

= Francesco Antonio Berio, Marchese di Salza —
Library sold in England ?1830s



DI GIOVANNI

[illegible]

Giovanni di Giovanni (1699–1753)

No more was published but a rehash entitled "Storia ecclesiastica di Sicilia, continuata dal G. S. Lanza": 8 vol. appeared in Palermo, 1847 under his name.

CODEX DIPLOMATICUS SICILIÆ,

NOTIS, AC DISSERTATIONIBUS

ILLUSTRATUS.

CODEX
DIPLOMATICUS
SICILIÆ,

COMPLECTENS

Documenta a primo Chriſtianæ Religionis ſæculo ad noſtram uſque ætatem.

QUEM

Collegit, ac Notis, Diſſertationibuſque illuſtravit

JOHANNES de JOHANNE
TAUROMENITANUS,
SANCTÆ PANORMITANÆ ECCLESIÆ CANONICUS.

TOMUS PRIMUS.



PANORMI CIƆDCCXLIII.
In Typographia Seminarii Archiepiſcopalis excudebat Antoninus Gramignani.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/codexdiplomaticu00giov



EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

D. SILVIO VALENTI

G O N Z A G Æ

S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO

BENEDICTI XIV. PONT. MAX.

A SECRETIS, &c.

JOHANNES de JOHANNE.



PRimum hoc Volumen Codicis mei tibi nuncupare, EMINENTISSIME PRINCEPS, *tuum tibi reddere eſt, non alienum dare: utpote qui litteras impenſe foveas, & mihi eruditionis aditum, quum Meſſanæ ageremus ambo, benigne aperueris: id in te ſpecto*

unum; id unum laboris mei celſitudini tuæ dicandi eſt incitamentum. Non reſpicio Principem loco ſummo natum, vetuſta ac ſplendida ſtirpe; cui invidia, cui pericula, cui diſſenſiones, cui tempeſtates omnes perpetuo cedunt; non Legatum ingenio, eloquentia, ac peritia ad negotia ſacerdotii & imperii tractanda præſtantem; non Præſidem ſapientia, æquitate, atque humanitate cum primis a longo jam tempore certantem; non Judicem ſacratiſſimarum legum cuſtodem, natura mitem, atque clementem; non Antiſtitem ad ampliſſimos Eccleſiæ gradus virtutibus præcedentibus evectum, atque ad illud præterea ſubſellium merito promovendum, ſupra quod aſcendi ulterius non poteſt; qualem te prædicat nominis tui ac virtutum relicta apud Siculos, Belgas, ac Hiſpanos, qui tibi amplexus præſtitere & plauſus, non facile delenda memoria: qualem te experitur Roma Chriſtiani orbis metropolis & caput. Hunc, inquam, non reſpicio, ſed virum qui vel ſolius eruditionis merito ſumma ſibi laus, ſummum ſibi pretium eſt: virum cui adſunt ſimul quæ in unum raro coeunt graviores amœnioreſque litteræ: virum cujus ex ore nihil non melle dulcius fluit; nihil excidit non elegantia & urbanitate limatum: virum denique non minus ingenii ſublimitate, quam Romanæ purpuræ oſtro eminentem, cujus nomen præſens, futuraque ætas celebrabit, æternitas ipſa alet atque tuebitur.

Jam-

Jamdiu eſt, PRÆSUL EMINENTISSIME, *quod memor beneficiorum, ac tuæ in me humanitatis & patrocinii, officium officio rependere meditabar, impari tamen ſorte ſolvendo debito me ſatis eſſe numquam intellexi; nihilo tamen minus cedit jam nunc expectatiſſima dies, in qua meliori ſpe renaſcente, pudorem non impleti hactenus officii jam prope depono. Quod enim ab arte non ignobili accepi, poſt inſignes temporum viciſſitudines, privataſque difficultates publici juris efficio; &, quod præ ceteris extimandum, clariſſimi nominis tui ſplendore coruſcans, in lucem emitto: ut profeſſio debiti mei privatis teſtimoniis non contenta, in publicum emiſſa latius pateat.* Exiguum *eſt munus, ſed officio tuo, tuiſque ſtudiis ac doctrina dignum: continet ſane non unius aut alterius, ſed omnium ſimul ſanctorum patrum, ac ſcriptorum eccleſiaſticorum & profanorum a primo Chriſtianæ religionis ſæculo ad annum uſque* MLX. *de* Sicilia *bene merentium documenta: continet* Romanorum *pontificum bullas, imperatorum, regumque confœderationes, epiſtolas, & alia id genus monumenta, cum manuſcripta, tum edita; ſed nunc primum chronologico ordine in unum collecta, diligenti criterio examinata, ac opportunioribus admonitionibus, ſelectiſque diſſertationibus illuſtrata. Qua generoſi animi bonitate me tibi devinxiſti, eadem debiti mei præſens teſtimonium in ſinus tuum benigne accipias, & me humi-*

humili obſequio munus offerentem, immo potius debitum perſolventem, continuo gratiæ tuæ favore juves, precor, tuearis, ac protegas.

Dabam Panormi kalendis Aprilis CIϽDCCXLIII.

PRÆ-

PRÆFATIO.

TOt taleſque de rebus patriis libros, ſumma eruditione refertos, tulit fertque hodie Sicilia, ut non neceſſariam provinciam nanciſci videatur, qui huic hiſtoriæ illuſtrandæ operam dare, in votis habuerit: habemus apud Fazellum, Maurolycum, Bonfilium, Pyrrhum, Caruſum, alioſque eruditionis Siculæ cultores eximios perfectam, omnibuſque numeris abſolutam hiſtoriam, cum eccleſiaſticam, tum profanam: eam ſcilicet, quæ ab origine initium ſumens, per varias ætates ad noſtra uſque tempora deſcendit, nullam prorſus æram relinquens intentatam, non Barbaram, non Græcam, non Romanam, ſed nec etiam Saracenam, vel Nortmannam, aut Svevam, & quæ inde ſubſecutæ ſunt. Nihilominus etſi nihil ſit, unde hiſtoria hæc in melius commutari poſſe videatur, puto me haud in vacuum laborare, ſi conſtituam hic fundamenta, quibus ipſius hiſtoriæ moles inniti videtur. Quamobrem non texendæ novæ hiſtoriæ incumbimus, veluti ſi quæ exſtat ſufficiens non ſit; ſed proferendis in lucem monumentis vacamus, e quibus eadem hiſtoria eruta jam eſt, vel forte erui accuratius poſſet. Argumentum omnibus adhuc intentatum, ſed ſummopere expetitum: quare jure ac merito doctiſſimi viri, Edmundus Martene, & Urſinus Durand in eorum Præfat. ad Chron. Sicul. editum Tom. 3. Theſ. Nov. Anecd. agentes de Sicilia inquiunt: *Hi ſane de republica litteraria quam bene mereri cenſendi ſunt, qui vetuſtiora regni illius monumenta, e tenebris eruta, in lucem emittunt.*

Continet hic labor Romanorum pontificum, regum, & virorum illuſtrium bullas, privilegia, confœderationes, epiſtolas, & alia id genus monumenta, a primo Chriſtianæ religionis ſæculo ad noſtram uſque ætatem manuſcripta ſimul & excuſa, ſed nunc primum chronologico ordine in unum collecta, Notis aucta & Diſſertationibus. Quibus illuſtrantur vera, exploduntur falſa, dubia annotantur & incerta. In duplicem claſſem dividitur collectio: qua-

quarum altera ſcripturas amplectitur genuinas & ſinceras; altera vero, quam Appendicem appellamus, dubias, & ſuppoſitionem quomodolibet redolentes.

Quinque integris Voluminibus abſolvitur totum opus: quorum primum monumenta continet a primo Chriſti ſæculo ad medium uſque undecimi: alterum a medio undecimi ad annum uſque 1265. tertium ad annum 1377. exſtenditur: quartum ad ætatem noſtram pervenit: poſtremum vero quatuor in partes dividitur: ex quibus tres priores exhibent ſcripturas trium militarium ordinum Jeroſolymitanorum in Sicilia, fratrum ſcilicet Hoſpitalitatis, Templariorum, & Theutonicorum; poſtrema autem amplectitur Sicula inſtrumenta monaſterii Jeroſolymitani S. Mariæ de Valle-Joſaphat.

Hujuſmodi ſectionis faciendæ opportuna exſtitit ratio: porro circa medium undecimi ſæculi Siciliæ ſtatus, exactis Saracenis, in meliorem formam mutatus eſt: atque ideo abſoluto uno Volumine, alteri initium dare fuit opus; quod dominium Nortmannum, & Svevum comprehendens, ultra annum 1265. extendi non potuit. Tunc enim regno Siciliæ ad Carolum Provinciæ comitem, ſancti Ludovici fratrem translato, dirum ac diutinum illud bellum Andegavenſes inter, & Aragonenſes in Sicilia & propter Siciliam uſque ad citatum annum 1377. geſtum fuit: de quo bello tot authentica inſtrumenta congeſſimus, ut ad tertium concinnandum Volumen ſufficerent. Quod fuit in cauſſa ut reliqua ſubſequentis ætatis monumenta uſque ad hodiernum diem quarto Volumine comprehenderentur. Scripturas vero trium antedictorum militarium ordinum, & monaſterii de Valle-Joſaphat, ab aliis ſejungendas putavimus, & in quintum Volumen, tamquam in propriam ſedem, compegimus.

Primi & poſtremi Voluminis collectio generalis eſt, omnia quæ habere potuimus documenta comprehendens; hanc tamen methodum non ſequuntur tria alia, quibus ſcripturæ tantummodo juris publici, eccleſiaſtici, & profani continentur, loco ſuo & tempori opportunius reſervatis, quæ ad jus privatum cujuſcumque eccle-

eccleſiæ urbis & familiæ ſpectant: ſi enim privatis hiſce inſtrumentis hic locum dare voluiſſemus, opus adeo in immenſum excreſceret, ut vix & ne vix quidem viginti Voluminibus abſolvi commode potuerit.

In publicandis anecdotis omnem adhibemus diligentiam, quamobrem fideliter & ſincere edantur, quamvis verba plerumque barbara rudia & impolita contineant: ne hujuſmodi documenta alienis mendis exonerare cupientes, erratis noſtris aggravemus impenſius; in recudendis vero jam publicatis, emendatioribus ſemper editionibus utimur: quales eſſe duximus illas Monachorum Benedictinorum e congregatione ſancti Mauri pro epiſtolis ſancti Athanaſii, ſancti Baſilii, ſancti Auguſtini, Aurelii Caſſiodori, ſancti Gregorii magni, & ſancti Bernardi abbatis; illam Quiſnel pro epiſtolis ſancti Leonis magni & Paſchaſini epiſcopi Lilybœtani; illam Gothofredi pro epiſtolis imperatorum, Conſtantini, Conſtantii, Conſtantis, Juliani, Valentiniani, Valentis, Arcadii, Honorii, & Theodoſii; illam Valeſii pro erutis ab Euſebio; illam Couſtant & Labbei pro epiſtolis Romanorum pontificum, Innocentii I. Gelaſii, Pelagii I. Pelagii II. Vitaliani, & Nicolai I. necnon pro epiſtolis epiſcoporum Sicilienſium, Evagrii & Juſtini, & ſynodi Sardicenſis, ac conciliabuli Philippopolitani; & ne omnia commemorando prolixi ſimus, illam Edmundi Martene & Urſini Durand pro epiſtolis Urbani papæ IV. & Clementis papæ IV.

Fatemur haud inviti, ampliſſimam omnium ſcripturarum ſegetem totam metere non poſſe; religioni nihilominus permaximæ nobis eſt, ut quæ undique collegimus monumenta, iterum cum gravi litteratorum damno diſpergi non ſinamus. Ergo ſi minora accipis expectatione tua, ut eruditione tua inferiora eſſe non dubitamus, cauſare, precamur, non diligentiam noſtram, ſed argumenti genus, in quo illuſtrando nullum prævium pæceptorem ſecuti, peſſimos, ut dicitur, magiſtros nos metipſos habuimus. Erunt viri diligentiores nobis atque doctiores, qui provinciam hanc

locu-

locupletioribus libris perſequentur; quorum fortaſſe ſpicilegium meſſem noſtram uberius ſuperabit: nam ad ea quæ fieri poterant, non præripuiſſe eis, ſed aperuiſſe potius viam, ſatis nobis in comperto eſt. Merentur qui præſtruunt hanc veniam, ut minus perfecte laborent.



CODICIS DIPLOMATICI SICILIÆ

TOMUS PRIMUS.

DIPLOMA I.

Epiſtola imperatoris Conſtantini ad Chreſtum epiſc. Syracuſanum: Ut ſumptibus imperatoris ad Arelatenſe concilium veniret.

Conſtantinus auguſtus Chreſto Syracuſanorum epiſcopo:



JAm quidem antea quum nonnulli pravo ac perverſo animo a ſancta religione cæleſtique virtute, & ab Eccleſiæ catholicæ ſententia diſſidere cœpiſſent, hujuſmodi eorum contentionem præcidere cupiens, ita conſtitueram, ut miſſis e Gallia quibuſdam epiſcopis; accitis etiam ex Africa iis qui duas in partes diviſi, pertinaciter inter ſe atque obſtinate contendunt; præſente quoque Romanæ urbis epiſcopo, id quod commotum fuiſſe videbatur, ſub horum præſentia poſſet diligentiſſima examinatione componi. Sed quoniam nonnulli, ut fere fit, & propriæ ſalutis, & venerationis quæ ſanctiſſimæ fi- *Anno 314.* Euſeb. hiſt. Eccl. l.10. c.5.

 dei

dei debetur obliti, privatas adhuc ſimultates prorogare non ceſſant: prolatæ jam ſententiæ acquieſcere nolentes, aſſerenteſque paucos admodum epiſcopos ſententiam tuliſſe, qui nec omnibus quæ prius inquiri oportebat diligenter excuſſis, ad depromendum judicium properanter acceſſiſſent. Unde fit, ut & ipſi quos concordi ac fraterno inter ſe animo eſſe decuerat, turpi ſeu potius deteſtanda ſeceſſione diſſideant; & iis hominibus qui a ſanctiſſima religione alieno ſunt animo, ſubſannandi occaſio præbeatur. Iccirco mihi ſedulo providendum fuit, ut hæc quæ poſt depromptum judicium voluntaria aſſenſioſione jam finita eſſe debuerant, nunc tandem multorum interventu finem poſſint accipere. Quoniam igitur plurimos ex diverſis ac prope infinitis locis epiſcopos in urbem Arelatenſem intra Calendas Augusti juſſimus convenire; tibi quoque ſcribendum eſſe cenſuimus, ut accepto publico vehiculo a viro clariſſimo Latroniano (*a*) correctore Siciliæ, adjunctis tibi duobus ſecundi ordinis (*b*) quos tu eligendos putaveris, tribus item ſervulis, qui in itinere vobis miniſtrare poſſint, intra eumdem diem ad prædictum locum occurras: quo tum per tuam gravitatem, tum per ceterorum in unum coeuntium unanimem concordemque ſolertiam controverſia hæc quæ per fœdiſſimam altercationem ad hoc uſque temporis perduravit, auditis omnibus eorum qui nunc inter ſe diſſident, quos etiam adeſſe juſſimus, allegationibus, ad congruam religionis & fidei obſervantiam, fraternamque concordiam tandem aliquando poſſit revocari. Incolumem te Deus omnipotens diutiſſime ſervet.

Latronianus corrector Siciliæ.

DI-

(*a*) De eo fit quoque mentio in antiqua inſcriptione Panormitana, quam poſt Gualterium, & Notum publicavit, ſuiſque notis illuſtravit Muratorius, *Novus Theſaur. Veter. Inſcr.* Tom. I. pag. 254. n. I. Ibi: *Domitius Latronianus V. C. Corr. P. S.* Vide in fine hujus Tomi, Diſſer. VII. Cap. I.

(*b*) Quod Chreſto juſſerit cæſar ad Arelatenſe concilium venire duobus cum ſociis *ſecundi ordinis*, eum totius provinciæ metropolitam faciunt ſcriptores non uni; at ſub clauſula tamen *ſecundi ordinis* non epiſcopos alios, ſed Eccleſiæ ſuæ miniſtros inferioris gradus venire, viſa ſequente epiſtola, ex Siculis ab ipſo tantum Chreſto, & Floro ejus diacono ſcripta, dubitabit nemo. Quod clarius adhuc & uberius oſtendemus quum hocce argumenti genus ad calcem Voluminis Diſſert. II. ſumus illuſtraturi. Ceterum Chreſtus iſte diverſus quidem eſt a Chreſto S. Marciani ſucceſſore, cujus vitam illuſtrant, Cajetanus noſter, Tom. I. *SS. Siculor.* pag. 19. & ſocii Bollandiani *Act. SS.* Julii die 3. Hic enim quarto ſæculo claruit, ille primo, fruſtra reclamante ejuſdem Bollandianæ continuationis ſocio, Daniele Papebrochio, die 14. Junii, *de S. Marciano epiſc. Syrac.* qui ipſum S. Marcianum, Syracuſanæ Eccleſiæ auctorem primarium, non ante ſæculum tertium in Siciliam veniſſe contendit; cui Papebrochio grave quoad hanc partem negotium faceſſunt quæ dabimus infra in Diſſertatione I.

DIPLOMA II.

Epiſtola antedicti Chreſti, aliorumque patrum concilii Arelatenſis ad S. Silveſtrum Rom. Pont. De his quæ in ipſo concilio acta & definita ſunt.

Domino, & ſanctiſſimo fratri Silveſtro epiſcopo, Marinus, vel cœtus epiſcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatenſi.

QUid decrevimus communi conſilio caritati tuæ ſignificamus, ut omnes ſciant, quid in futurum obſervare debeant. *Anno 314.* Labbe t.1.Cōc. pag. 1451. & Couſtāt epiſt. PP.t.1. p.343.

1. Primo in loco de obſervatione Paſchæ Dominicæ, ut uno die, & uno tempore per omnem orbem, a nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.

2. De his qui in quibuſcumque locis ordinati fuerint miniſtri, in locis perſeverent.

3. De his qui arma projiciunt in pace (*a*), placuit abſtinere eos a communione.

4. De agitatoribus qui fideles ſunt, placuit eos, quamdiu agitant, a communione ſeparari.

5. De theatricis, & ipſos placuit, quamdiu agunt, a communione ſeparari.

6. De his qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi.

7. De præſidibus qui fideles ad præſidatum impetu proſiliunt, ita placuit, ut, quum promoti fuerint, litteras accipiant eccleſiaſticas communicatorias, ita tamen, ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur, ut quum cœperint contra diſciplinam publicam agere, tunc demum a communione excludantur. Similiter & de his fiat qui rempublicam agere volunt, &c. (*b*).
Poſt aliqua ſubjiciuntur ſubſcriptiones patrum.

Chreſtus epiſcopus (*c*), Florus diaconus, ex civitate Syracuſanorum, provincia Sicilia.

Protinus epiſcopus, &c.

(*a*) Rectius legendum, *in bello*, ut ex manuſcripto codice membranaceo corrigendum putat eruditiſſimus Bail.

(*b*) Tum reliqui canones, quorum ſynopſim exhibet Natal. Alex. Hiſt. Eccl. ſæcul. 4. Cap. III. art.1. §. 10. & integros legere eſt apud Labbeum, alioſque conciliorum collectores.

(*c*) Conſule quæ exhibuimus in proxima admonitione noſtra.

DIPLOMA III.

Epiſtola imperatoris Conſtantini ad Eufraxium rationalem Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ. De admittenda ſolutione ſimultanea, & quocumque tempore facta: item de æſtimatione ſolidi: de materia auri loco ſolidorum inferenda, deque ejuſdem auri ponderatione.

Imp. Conſtantinus A. ad Eufraxium rationalem trium provinciarum (*a*).

Anno 325. die 19. Julii.

Cod. Th. lib. 12. tit. 6. l. 2. & tit. 7. l. 1.

SI quis ſolidos (*b*) appendere voluerit auri cocti, ſeptem ſolidos quaternorum ſcripulorum noſtris vultibus figuratos appendat pro ſingulis unciis; quatuordecim vero pro duabus, juxta hanc formam omnem ſummam debiti illaturus. Eadem ratione ſervanda & ſi materiam quis inferat, ut ſolidos dediſſe videatur. Aurum vero quod infertur, æqua lance, & libramentis paribus ſuſcipiatur: ſcilicet ut duobus digitis ſummitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad ſuſceptorem emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento ſervato, nec æquis ac paribus ſuſpenſo ſtatere momentis. Pro multis etiam & in diverſis locis conſtitutis, liceat auri pondus inferre, ita ut pro omnibus fundis ſecuritas emiſſis cautionibus detur: ne ſeparatim ab unoquoque auro exacto, multis & aſſiduis incrementis provincialium utilitas fatigetur. Hoc quoque addimus, ut unuſquiſque quod debet, intra anni metas, quo tempore voluerit, inferat, & per tabularium apparitorem illatio cognoſcatur: abſque omni mora auro ſuſcipiendo, ne quis in aliena civitate ſumptus faciat, vel, quod eſt gravius, legem commiſſi fruſtratus incurrat: nam ſi ſolvere volens a ſuſcipiente fuerit contemptus, teſtibus adhibitis, conteſtationem debebit proponere, ut hoc probato, & ipſe ſecuritatem debitam, mommiſſi nexus liberatus, cum emolumentis accipiat; & qui ſuſcipere neglexerit, ejus ponderis quod debebatur duplum fiſci rationibus per vigorem officii tui inferre cogatur. Dat. XIV. kalendas Auguſti. Paulino, & Juliano Conſſ.

DI-

(*a*) Trium provinciarum nomine Siciliam venire, Sardiniam, & Corſicam, dubitare non ſinit Notitia imperii, infra ſub n. XXI. recudenda. Ubi ſub diſpoſitione Comitis ſacrarum largitionum conſtituitur *Rationalis ſummarum trium provinciarum, Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ*. Id docent præterea eruditiſſimi viri, Cujacius ad l. 1. Cod. Juſt. *de Suſceptor.* Gothofredus ad l. unic. Cod. Theod. *de Comm. divid.* ad l. 2. *de Suſceptor.* ad l. 1. *de Ponderator.* & ad l. 5. *de Petition.* Ergo trium harum provinciarum, Conſtantino imperii habenas moderante, rationalis fuit Eufraxius, cui Gerulus ſucceſſit, huic Callepius, ut diſcimus ex duabus epiſtolis immediate ſequentibus. Vide in fine Voluminis Diſſert. VII. Cap. IV.

(*b*) De valore ſolidi agemus infra Diſſert. VIII. Cap. I. n. 3.

DIPLOMA IV.

Epiſtola antedicti Conſtantini ad Gerulum rationalem earumdem trium provinciarum. Ut conjunctæ ſervorum perſonæ in locandis fundis patrimonialibus, vel emphyteuticariis, ad principem pertinentibus, per diverſos conductores non dividantur.

Imp. Conſtantinus A. Gerulo rationali trium provinciarum (*a*).

IN Sardinia (*b*) fundis patrimonialibus, vel emphyteuticariis, per diverſos nunc dominos diſtributis, oportuit ſic poſſeſſionum fieri diviſiones, ut integra apud poſſeſſorem unumquemque ſervorum agnatio (*c*) permaneret. Quis enim ferat, liberos a parentibus, a fratribus ſorores, a viris conjuges ſegregari? Igitur qui diſſociata in jus diverſum mancipia traxerunt, in unum redigere eadem cogantur. Ac ſi cui propter redintegrationem neceſſitudinum ſervi ceſſerunt, vicaria per eum, qui eoſdem ſuſceperit mancipia reddantur. Et invigilandum, ne per provinciam aliqua poſthac querela ſuper diviſis mancipiorum affectibus perſeveret. Dat. III. kalendas Maji, Proculo, & Paulino Conſſ. (*d*). *Anno incer.* Ibid. l. unic. de comm. divid.

DIPLOMA V.

Epiſtola imperatoris Conſtantii ad Callepium rationalem trium antedictarum provinciarum. Ut dominium rerum ab imperatore donatarum anteriori donatario tradatur.

Imp. Conſtantius A. Callepio rationali trium provinciarum (*e*).

DOnatarum rerum dominium his tradatur, quos anteriores tempus imperialis donationis oſtenderit. Dat. IV. Non. Febr. Naiſſo, Acyndino, & Proculo Conſſ. *Anno 340.* Ibid. l. 5. de petit. & ultr.

DI-

(*a*) Id eſt Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ, ut paullo antea expoſuimus.

(*b*) De Sardinia potiſſimum querelæ ad imperatorem perlatæ ſunt; ſed idem jus pro ſociis provinciis, Sicilia, & Corſica, ut obſervat huc doctiſſimus Gothofredus, firmatum fuit.

(*c*) Coloni fundorum ipſa ſui naſcendi ſorte ſervilis erant conditionis: eapropter juſſit imperator per agros colendos ita dividi debere, ut horum cognationes integræ permanerent. Idem pro ſervis eccleſiæ Siculum patrimonium colentibus ordinavit inde S. Gregorius, infra Dipl. CCXLI.

(*d*) Error irrepſit in notam conſulum: non enim Proculus, & Paulinus conſulatum ſimul geſſerunt, potiſſimum imperatore Conſtantino: iccirco incertum nos annum relinquere maluimus, quam ſine majori delectu mendum admittere.

(*e*) Sub nomine trium provinciarum Siciliam intelligi, Sardiniam, & Corſicam, jam in monitis ad duas præcedentes epiſtolas obſervavimus.

DIPLOMA VI.

Epiſtola ſynodi Sardicenſis ad Julium Pontif. Max. Ut de diſpoſitis in ipſa ſynodo Siculos, Sardos, Italoſque erudiret.

Anno 347.

Ex opere hiſt. S. Hil. fragm. 2. pag. 1290. & ſeqq.

QUod ſemper credidimus, etiam nunc ſentimus: experientia enim probat & confirmat quæ quiſque auditione audivit. *Et poſt aliqua*: Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam & ipſi religioſiſſimi imperatores permiſerunt, ut de integro univerſa diſcuſſa diſputarentur: & ante omnia de ſancta fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt. Secunda de perſonis, quas dicebant eſſe dejectas, de iniquo judicio, vel ſi potuiſſent probare, juſta fieret confirmatio. Tertia vero quæſtio, quæ vere quæſtio appellanda eſt, quod graves & acerbas injurias, intolerabiles etiam & nefarias contumelias Eccleſiis feciſſent, quum raperent epiſcopos, presbyteros, diaconos, & omnes clericos in exſilium mitterent, ad deſerta loca transducerent, fame ſiti nuditate & omni egeſtate necarent. *Aliquanto poſt*: Tua autem excellens prudentia diſponere debet, ut per tua ſcripta qui in Sicilia (*a*), qui in Sardinia, & in Italia ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt & quæ definita, cognoſcant; ut ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, quos extra epiſcopatum juſta ſententia declaravit. Perſeverent autem Marcellus, Athanaſius, & Aſclepius in noſtra communione: quia obeſſe eis non poterat iniquum judicium, & fuga, & tergiverſatio eorum, qui ad judicium omnium epiſcoporum qui convenimus, venire noluerunt. Ceterum, ſicut ſuperius commemoravimus, plena relatio fratrum, quos ſincera caritas tua miſit, unanimitatem tuam perdocebit. Eorum autem nomina, qui pro facinoribus ſuis dejecti ſunt, ſubjicere curavimus; ut ſciret eximia gravitas tua, quia eſſent communione privati, uti ante prælocuti ſumus. Omnes fratres, & epiſcopos noſtros litteris tuis admonere digneris, ne epiſtolas, ideſt litteras communicatorias eorum accipiant.

DI-

(*a*) Celebrato œcumenico concilio Sardicenſi, qui interfuerant patres, epiſtolam hanc Julio PP. ſcripſerunt, quid in eo actum fuerat, & quid definitum exponentes, ut Siculos, Sardos, Italoſque ipſe erudiret. Verebantur enim patres, ne Ariani epiſcopi qui, facto divortio, e Sardicenſi ſynodo ad conciliabulum Philippopoli in Thracia celebrandum ſeſe ſubduxerant, populos illos, ſanctam Nicænam fidem profitentes, deciperent: eo vel maxime quod Ariani conciliabulum ſuum, ut fucum aliis facerent, mentito nomine, Sardicenſe concilium vocabant; atque Syracuſanum epiſcopum, ab eorum hæreſi reſipiſcentem, reprehenſione dignum prædicabant; ut videre eſt in Dipl. ſequenti. Sane quod Siculi epiſcopi, ſin minus omnes, eorum certe aliqui genuino ac generali concilio Sardicenſi interfuerint, perhibet S. Athanaſius, in cujus gratiam celebratum illud fuit, in *Apolog. adverſus Arian.* ubi antedicto concilio patres interfuiſſe, refert, *Siciliæ*, *totius Africæ*, & aliarum provinciarum.

DIPLOMA VII.

Fragmentum epiſtolæ pſeudoſynodi Sardicenſis, ſeu conciliabuli Philippopolitani, ad Donatum Carthaginenſem. Epiſcopi Semi-Ariani conqueruntur, quod Syracuſanus epiſcopus, eorum prius ſectæ perditiſſime addictus, ab hæreſi reſipuerit.

SEd hæc quidem ſecundum impietatem Marcelli (*a*) hæretici prima fuerunt: pejora ſunt deinde ſubſecuta. Nam quis fidelium credat, aut patiatur ea quæ ab ipſo male geſta, atque conſcripta ſunt, quæque digne anathematizata ſunt? Nam cum ipſo Marcello a parentibus noſtris in Conſtantinopolim civitatem (*b*). Namque liber ſententiarum exſtat in ipſum ab epiſcopis conſcriptus, in quo libro etiam iſti qui nunc cum ipſo ſunt, Marcello, atque illi favent, id eſt Protogenes Sardicæ civitatis epiſcopus, & Syracuſanus (*c*) in ipſa ſententia (*d*) manu propria conſcripſerunt, quorum manus valens teſtatur fidem ſanctiſſimam nullo genere mutandam, nec Eccleſiam ſanctam prædicatione falſa ſubvertendam, ne hoc modo peſtis ac lues animalium (*e*) omnibus graviſſima importetur, Paulo dicente: *Sive nos, ſive Angelus de cœlo aliter annunciaverit vobis, quam quod accepiſtis, anathema ſit.*

Anno 347. Ibid. fragm. 3. pag. 1307. Gal. 1. 8.

DI-

(*a*) Scilicet, Ancyrani, quem quod Sabellianæ hæreſeos auctor exſtiterit, non modo hæreticum, ſed hæreticorum magiſtrum appellant cum epiſcopis Semi-Arianis, hujus epiſtolæ ſcriptoribus, S. Baſilius, S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Hilarius, Sulpitius Severus, S. Johannes Chryſoſtomus, & diſertiſſime Euſebius Cæſarienſis, libros quinque adverſus ipſum Marcellum litteris commendans. Hinc quærunt Theologi: num Sardicenſis ſynodus quæ, ut liquet ex præcedente epiſtola, eum abſolutione donavit, atque throno ſuo reſtituit, ſaltem in facto erraverit. Id cordate negat Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæcul. 4. Diſſert. 30. quot quot ex adverſo allegantur patres erudite ſatis, atque religioſiſſime explicans.

(*b*) Locus mutilus.

(*c*) Qui per hæc tempora Syracuſanæ Eccleſiæ præerat epiſcopus, Germanus nominabatur, ex M. S. catalogo cujuſcumque fidei epiſcoporum Syracuſanorum, quem poſt Schobarem indicat & exſcribit Rocchus Pyrrhus Sicilia ſacra lib. 3. Notit. 2. Eccl. Syracuſ. ſub anno Chriſti 326. n. 20.

(*d*) Forte legendum: *in ipſum ſententiam.*

(*e*) Lege, *animarum hominibus...*

DIPLOMA VIII.

Fragmentum epiſtolæ S. Athanaſii archiepiſcopi Alexandr. ad epiſcopos Ægypti, & Libyæ. De Capitone epiſcopo Siciliæ Arianorum hoſte infeſtiſſimo.

Anno 356.
S. Athan. t. I. pag. 278.

ITaque ſi quæ ſcribunt, ea ſcriberent orthodoxi, ut magnus & confeſſor Hoſius, & Maximinus Galliæ, aut ejus ſucceſſor: Philogonius, & Euſtathius Orientis, vel Julius, & Liberius Romæ epiſcopi, Cyriacus Myſiæ, Piſtus, & Ariſtæus Græciæ epiſcopi, Silveſter, & Protogenes Daciæ, Leontius, & Eupſychius Cappadociæ epiſcopi, Cæcilianus Africæ, Euſtorgius Italiæ, Capito Siciliæ (*a*), Macarius Jeroſolymæ, Alexander Conſtantinopolis, Pæderos Heracleæ, magni Meletius, & Baſilius, & Longianus, aliique ex Armenia, & Ponto; ut item Lupus, & Amphio Ciliciæ epiſcopi; vel Jacobus, ceterique ex Meſopotamia; vel denique ut etiam noſter beatus Alexander, aliique qui idem, ac illi ſentiunt: ſi, inquam, illi his eſſent ſimiles, nullus profecto in illorum ſcriptis eſſet ſuſpicionis locus: ſimplex enim, ac candidum eſt virorum apoſtolicorum ingenium. Quia vero ſcripta illa auctores eos habent, qui pro propugnanda hæreſis cauſſa mercede ſunt conducti, & juxta divinum proverbium: *Sermones impiorum ſunt doloſi*. Et: *Os impiorum reſpondet mala*. Et: *Impii dolos gubernant*. Vigilandum, & cavendum eſt, fratres, ut monuit Dominus, ne qua fraus ex verborum elegantia, aſtutiave oriatur; ne, inquam, quis veniat nomine tenus dicturus: Ego Chriſtum annuntio; & paulopoſt idem Antichriſtus agnoſcatur. Antichriſti porro iſti ſunt habendi, qui ad vos audent accedere, ut veſanam Arii hæreſim diſſeminent.

Prov. 12. 6.
Ibid. 15. 28.
Ibid. 12. 5.

DI-

(*a*) Eum œcumenico concilio Nicæno interfuiſſe, ac contra Arium, & Arianam hæreſim præclara ingenii monumenta edidiſſe, perhibent gentici ſcriptores; at vereor tamen, ne gratis pro rebus hiſce conteſtandis S. Athanaſius teſtis detur: is enim, ut vides, ſolummodo aſſerit, libros qui tunc circumferebantur, propterea ſuſpicionem redolere, quod auctorem non habuerint Capitonem Siciliæ, aut alterum orthodoxæ fidei aſſertorem; ſed eos qui Arianæ hæreſi propugnandæ perditiſſime erant addicti. Et quidem ex iis quorum honoris cauſſa recordatur huc S. Athanaſius, plures ſunt nec inter patres Nicænæ ſynodi, nec inter eccleſiaſticos ſcriptores recenſiti. Cui ſignanter Eccleſiæ Capito præfuerit, incertum omnino eſt: nec audiendi ſunt qui partium ſtudiis abrepti, illi cathedræ honorem hunc putant deberi, quæ totius provinciæ caput erat & metropolis, ſumpto argumento ex nomine regionis *Siciliæ* ei indicto: quum nullum ante nonum ſæculum in Sicilia fuiſſe metropolitam, certum hodie ſit. Vide Diſſertationem II. ad calcem hujus Voluminis edendam: *De eccleſiaſtica politia Siciliæ per decem priora ſæcula*.

DIPLOMA IX.

Epiſtola Conſtantii, & Conſtantis auguſtorum, & Juliani cæſaris ad Taurum præfectum Prætorio. E Sicilia, aliiſque Italiæ provinciis ad præfectum Prætorio, non ad præfectum Urbis appellandum.

Imp. Conſtantius, & Conſtans AA. & Julianus cæſar ad Taurum PF. P.

DE Sardinia, Sicilia (*a*), Campania, Calabria, Brutiis, & Piceno, Æmilia, & Venetia, & ceteris, interpoſitas appellationes laudabilis ſublimitas tua more ſollemni debebit audire, competenti appellatione terminandas. Nec vero ulla poterit eſſe confuſio: Præfectus (*b*) enim Urbis, noſtra reſponſione conventus, prædictis cognitionibus temperandum ſibi eſſe cognovit. Dat. Sirmio, Conſtantio A. IX. & Juliano II. Cæſ. Conſſ. (*c*).

Anno 357. Cod. Theod. l. 27. de appell. & conſult.

DIPLOMA X.

Epiſtola Conſtantii auguſti, & Juliani cæſaris ad eumdem Taurum præfectum Prætorio. Ut fundi patrimoniales, & emphyteutici Siciliæ non ſecus ac illi Africæ, Italiæ, & Urbicariarum regionum, ab extraordinariis oneribus immunes ſint.

Imp. Conſtantius A. & Julianus Cæſ. ad Taurum PF. P. (*d*).

EXemplo Africæ debent fundi patrimoniales, & emphyteutici per Italiam conſtituti, ab extraordinariis omnibus excuſari: Non enim per Italiam tantum, ſed etiam per Urbicarias regiones, & Si-

Anno 359. die 23. Febr. Ibid. l. 9. de Extr. ſive Sor.

(*a*) E Sicilia, Sardinia, Campania, Calabria, aliiſque Italiæ provinciis, hic deſcriptis, appellationes ad præfectum Urbis vetuſtiori jure fieri ſolebant; ſed nova hac lege ad præfectum Prætorio, ejus dignitate magnopere aucta, transferuntur; ut obſervat doctiſſimus Gothofredus in notis ad hanc epiſtolam.

(*b*) Ergo non omnis omnino juriſdictio præfecto Urbis in ipſa Sicilia, & aliis provinciis ex hac lege adimitur: quin potius & ad utrumque præfectum, Urbis ſcilicet, & Prætorio in eas jus aliquod diſtinctum pertinuiſſe, vel ex hoc tantum loco plane liquet. Sane in excipiendis appellationibus e Sicilia adhuc poſt hæc tempora præfectum Urbis partem aliquam habuiſſe, dubitare non ſinit Symmachus, & ipſe præfectus Urbis in ſua ad Flavianum fratrem epiſtola, hic Dipl. XVIII. Sed aliter obſervatum fuit ſub imperio Juſtiniani, ut diſcimus ex Dipl. L. LI. & LII.

(*c*) Id eſt anno Chriſti 357.

(*d*) Ex hac conſtitutione plane conſtat ſub una præfectura Prætoriana, Tauro concredita, quatuor diſtinctas diœceſes fuiſse, Africam ſcilicet, Italiam,

Siciliam (*a*), patrimonialium, & emphyteuticorum fundorum vires ſervandas eſſe perſpeximus. PP. Rom. VII. kal. Mart. Euſebio, & Hypatio Conſſ.

DIPLOMA XI.

Epiſtola Juliani auguſti quum Syracuſis ageret, Mamertino præfecto Prætorio ſcripta. De reformatione curſus publici.

Imp. Julianus A. ad Mamertinum PF. P.

Anno 362. die 22. Febr. Ibid. l. 12. de curſu publ.

QUoniam curſum publicum faticavit quorumdam immoderata præſumptio, & evectionum frequentia, quas vicaria poteſtas, & præſidum, atque conſularium officia prorogare non deſinunt, curam ac ſolicitudinem hujus rei non ſubire compulſi, faciendarum evectionum licentiam cunctis abduximus. Exceptis igitur vobis, nulli evectionem licebit facere de cetero. Sed ut neceſſitates publicæ impleantur, vicariis denas, vel duodenas evectiones manu mea perſcriptas ipſe permittam: præſidibus vero binas annuas faciat veſtra ſublimitas, quibus ad ſeparatas provinciarum, ſecretaſque partes neceſſariis ex cauſſis officiales ſuos dirigere poſſint. Sed his quoque noſtra etiam manſuetudo evectiones ſingulas dabit, ut ad nos referre poſſint, quum id fieri neceſſitas quædam exegerit. Acc. VIII. kalend. Mart. Syracuſis (*b*), Mamertino, & Nevitta Conſſ. (*c*).

DI-

liam, Urbicarias regiones, & Siciliam: quod & a temporibus Conſtantini imperatoris inſtitutum eſse, ex Zoſimo lib. 2. pag. 688. refert Gothofredus huc: unde a vero aberrat, qui per hæc tempora Siciliam appellatione Italiæ venire, vel numero Urbicariarum regionum comprehendi, aſserunt: Ii ſane videant *quidnam huic legi, tam apertæ reſponſuri ſint*. Utor verbis dicti Gothofredi.

(*a*) Africæ immunitatem jam conceſſerat Conſtantinus magnus, datis ad Catullinum proconſulem illius provinciæ litteris ſub die 27. Auguſti anni 319. quas exſcribit Codex Theod. l. 1. *de Extraord. ſive Sordid.* Ab ipſo eodem Conſtantino Africana immunitas Italiæ quoque tributa fuit, ut patet ex ejus epiſtola, Ulpio Flaviano conſuli Æmiliæ, & Liguriæ ſcripta die 21. Maji anni 323. quæ exſtat ſub cit. titulo Cod. Theod. l. 2. Quemadmodum Africæ exemplo Italiam ab extraordinariis oneribus exemit Conſtantinus, ſic Italiæ exemplo Siciliam Conſtantius, & Julianus; & quidem ſingulari quadam prærogativa, ad diſtinctionem Sardiniæ, & Corſicæ, pari alioquin lege cum Sicilia rectarum, ut conſtat ex Dipl. III. & V.

(*b*) Epiſtola hæc utpote quæ Syracuſis data eſset, notabilis eſt ad Siculam hiſtoriam illuſtrandam: nulli enim ex ſcriptoribus noſtris, quod ſciam, cognitum unquam fuit, Julianum auguſtum in Sicilia hoc ſignanter anno, Chriſti 362. egiſse, atque legem de reformatione curſus publici condidiſse, de qua loquens doctiſsimus Gothofredus *Syracuſis* (inquit) *data hæc lex*, *Siciliæ urbe*. Juliani milites, numero plures per hæc ferme tempora in Siciliam veniſſe, Africam facilius expugnaturos, refert Amm. Marcell. lib. 21. & 22.

(*c*) Anno reparationis humanæ 362.

DIPLOMA XII.

Epiſtola Evagrii epiſcopi Siculi, aliorumque epiſcoporum Acacianorum Antiochenam ſynodum celebrantium, ad Jovianum imperatorem. Qua fidem concilii Nicæni confirmant.

Sanctiſſimo, Deoque cariſſimo domino noſtro Joviano, dictori auguſto, concilium epiſcoporum Antiochiæ in unum ex variis provinciis convocatum, ſalutem (*a*).

TUam pietatem, imperator ſanctiſſime, cum primis laborare, ut Eccleſiæ pax, & concordia ſtabiliatur, nobis exploratum eſt. Neque ſumus neſcii, te ſapienter conſideraſſe formam veræ & orthodoxæ fidei ad hanc concordiam confirmandam valere maxime. Iccirco, ne eorum numero qui doctrinam veritatis adulterare ſtudent, habeamur: viſum eſt, tuæ prudentiæ ſignificare, quod fidem ſancti concilii jam olim Nicææ congregati & approbemus, & teneamus. Quandoquidem vocabulum *Conſubſtantialis*, quod quibuſdam videtur parum recte in ea poſitum, eſt probe a patribus commodaque interpretatione explanatum. Quæ quidem interpretatio oſtendit Filium ex Patris ſubſtantia genitum, Patri ſecundum ſubſtantiam ſimilem, & neque affectionem ullam in ejus inexplanabili generatione debere intelligi, neque vocabulum ſubſtantiæ apud ſanctos patres ad conſuetudinem Græci ſermonis capi, ſed ab illis poni ad evertendum illud peſtiferum dogma, Chriſtum ſcilicet ex nihilo ortum eſſe, ab Ario impio inductum: quod etiam iſti Anomiani, id eſt, qui Filium Patri diſſimilem ſtatuunt nuper exorti, multo audacius imprudentiuſque ad Eccleſiæ concordiam labefactandam aſſeverant. Quamobrem exemplar fidei ab epiſcopis Niceææ coactis expoſitæ (quam ſane

Anno 363.

Labbe t.2.Cōcil.pag.964.

(*a*) Caremus actis concilii Antiocheni, Liberio pontifice, & Joviano imperatore, anno 363. celebrati, cui interfuit Evagrius Siculus; nihilominus quid in eo actum, quid definitum fuerit, diſcimus ex hac epiſtola; necnon ex Socrate lib. 3. cap. xxi. & Sozomeno lib.6. cap. iv. Porro imperatori Joviano e Perſide redeunti obviam proceſſerunt epiſcopi Macedoniani, ab eo, oblato fidei libello, obnixe petentes, ut pulſis Acacianis [qui Filium Patri diſsimilem, Arianorum hæreſim æmulantes, aſſerebant, quique catholicorum ſedes, iis ejectis, temere occupabant] ipſi in eorum epiſcopatus ſufficerentur. Id ut intellexerunt Acaciani, metu depoſitionis percuſsi, Antiochenum concilium celebrarunt, & Nicænam in eo fidem, cui impugnandæ antea intenderant, quaſi e longo inſanientis hæreſis lethargo expergefacti, unanimi voto admiſerunt, ejuſdem concilii acta una ſimul cum ſynodica hac epiſtola ad ipſum Jovianum tranſmittentes.

(*b*) Evagrium hunc Acacianum Rocchus Pyrrhus, Siculorum epiſcoporum catalogum texens, non memorat: vel quia ei minime occurrit, vel quia canonice electum non æxiſtimavit. Quem ſignanter thronum ipſe Evagrius, ejecto legitimo ac catholico præſule, invaſerit, ſilente prorſus antiquitate, divinare non præſumimus.

ſane vehementer amplectitur) his litteris , quibus animorum noſtrorum ſententiam tibi declaravimus, ſubjungere placuit: eſt enim plenum eruditionis, & doctrinæ, ſeque habet ad hunc modum. „ Cre„ dimus in unum Deum Patrem Omnipotentem : *Et quæ ſecuntur in confeſſione ſymboli Nicæni*.

Ego Meletius epiſcopus Antiochiæ , ea quæ ſupra ſcripta ſunt, fateor me approbare.

Ego Euſebius Samoſatæ epiſcopus eodem modo.

Evagrius item Siculus (*b*). *Inde ſecuntur alii epiſcopi*.

DIPLOMA XIII.

Exemplum profeſſionis fidei a legatis Lampſacenæ ſynodi Romæ primum coram Liberio PP. tum in Sicilia coram provinciali concilio expoſitæ.

Anno 366. Couſtāt.epiſt. Rom.Pont.ad ann. 366.

PRopter (*a*) inſanas ſuſpiciones hæreticorum, qui offenſionum cauſſas catholicis eccleſiis inferre non ceſſant, nos omnem illis occaſionem adimere cupientes, profitemur & adſeveramus epiſcoporum orthodoxorum ſynodum, quæ Lampſaci, Smyrnæ, variiſque in locis celebrata eſt, cujus legatione fungentes tum ad tuam benignitatem, tum ad univerſos Italiæ, & Occidentis epiſcopos litteras afferimus catholicam fidem tenere & cuſtodire, quæ in ſancta ſynodo Nicæna bea-

(*a*) Statim atque Valentinianus, Joviano vita functo, imperator ſalutatus eſt, epiſcopi Helleſponti, & Bithyniæ, aliique ſane quam multi [non quidem hæretici, ſed catholici, & *Conſubſtantialitatis* aſſertores, ut contra Baronium & Binium ſuſtinet Natal. Alex. ſæcul. 4. cap. III. art. 4. §. 31.] Lampſaci in Helleſponto concilium anno 365. celebraverunt: in quo Arianos, & Acacianos, eorumque impia dogmata, & hæreſis fautores execrati ſunt. Inde qui interfuerant patres, legatos ad Liberium PP. & Occidentales epiſcopos miſerunt. Romam itaque Lampſaceni legati venientes, Liberio ejuſmodi fidei formulam exhibuerunt, propter quam ab eo ne dum in communionem recepti ſunt, ſed litteras quoque communicatorias ad orthodoxos patres Orientales obtinuerunt. His litteris acceptis, non ſtatim ad eos a quibus miſsi fuerant, redierunt; ſed in Siciliam profecti ſunt, ſimiles quoque litteras ab epiſcopis illius provinciæ accepturi. Ergo in Siciliam anno 366. ineunte, ut ſupputat Pagius *Crit. Baron.* ann. 365. n. VI. iidem legati transfretati, illuc provinciali concilio celebrando intenderunt, in quo eamdem *Conſubſtantialitatis* fidem, atque illam quam Romæ, profeſsi, epiſtolas pontificiis ſimillimas ab eis perceperunt, & ſtatim in Orientem reverſi ſunt. Tianæ tunc temporis in Cappadocia catholica ſynodus celebrabatur: quare eo illi venientes, utraſque epiſtolas, Liberii ſcilicet, & Siculorum exhibuerunt, coram ſynodo recitandas. Adi Socratem *Hiſt. Eccl.* lib. 4. cap. XII. Sozomenum *Hiſt. Eccl.* lib. 6. cap. XI. & XII. & Caſsiodorum *Hiſt. tripartita* lib. 7. cap. XXV. Fidei formulam coram epiſcopis Siculis expoſitam, eorumque communicatorias epiſtolas ad patres Orientales, quod conſonæ fuerint his, quæ Romæ ſcriptæ ſunt, exſcribere antiquis patribus neceſſarium viſum non eſt: unde ex Romanis noſtras cogimur mutuari.

beati Conſtantini temporibus a trecentis decem & octo epiſcopis confirmata, hactenus integra & inconcuſſa perpetuo permanſit, in qua *Conſubſtantialis* vocabulum adverſus Arii perverſitatem ſancte ac pie poſitum eſt. Similiter & nos cum ſupradictis eamdem fidem tenuiſſe & tenere, & uſque ad extremum ſpiritum ſervaturos eſſe propria manu profitemur: condemnantes Arium & impiam doctrinam ejus cum diſcipulis illius; necnon omnem hæreſim Patropaſſiani, Marcionis, Photini, Marcelli, & Pauli Samoſateni, horum doctrinam, & omnes qui eadem atque illi ſentiunt, omnes denique hæreſes adverſantes prædictæ ſanctæ fidei, quæ pie & catholice a ſanctis Patribus Nicææ expoſita eſt: in primis anathema dicentes Ario, atque iis omnibus quæ in Ariminenſi ſynodo adverſus prædictam fidem ſancti concilii Nicæni geſta ſunt: quibus ab oppido Thraciæ Nice Conſtantinopolim allatis, dolo ac perjurio circumventi, ſubſcripſimus. Fides autem noſtra ac ſupradictorum quorum legatione fungimur, hæc eſt.

„ Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium „ viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum unigenitum Deum „ Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei, genitum ex Patre, id eſt „ ex Patris ſubſtantia, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum „ verum de Deo vero; genitum non factum, conſubſtantialem Patri, „ per quem omnia facta ſunt, tam quæ in cælo, quam quæ in terra: qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus, homoque factus eſt; paſſus eſt etiam, & reſurrexit tertia die, aſcendit in cælum, & venturus eſt judicare vivos „ & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. Eos autem qui dicunt: Erat „ aliquando, quando non erat, & antequam gigneretur non erat, „ & quia ex nullis exſtantibus factus eſt; aut qui dicunt, ex alia „ ſubſtantia vel eſſentia, aut mutabilem & converſioni obnoxium „ eſſe Filium Dei, anathematizat catholica & apoſtolica Eccleſia Dei.

Ego Euſtachius epiſcopus urbis Sebaſtæ, & Theophilus, & Silvanus legati ſynodi Lampſacenæ & Smyrnenſis & aliarum, hanc profeſſionem propriis manibus & noſtra ſponte conſcripſimus. Si quis autem poſt hanc fidei noſtræ expoſitionem adverſus nos, aut adverſus eos a quibus miſſi ſumus, aliquam criminationem inferre voluerit, cum litteris ſanctitatis tuæ coram orthodoxis epiſcopis, quos probaverit ſanctitas tua, veniat, & apud illos judicio contendat nobiſcum, ac ſi quid criminis convictum fuerit, in auctorem animadvertatur.

DI-

DIPLOMA XIV.

Epiſtola Liberii Romani pontificis, & Sicilienſis Concilii ad Orientales epiſcopos. Ut Lampſaceni Concilii patres coram ipſis Conſubſtantialitatis *fidem profeſſi in communionem admitterentur.*

Anno 366.

Caſſiod. Hiſt. Eccl. tripart. lib.7. cap.25.

Dilectiſſimis fratribus (*a*), & conſacerdotibus, Euſtatio, Cyrillo, Hypericio, Heroni, Elpidio, Maximo, Euſebio, Eucarpio, Ortaſio, Neoni, Eumathio, Fauſtino, Proclo, Paſſinico, Arſenio, Severo, Didymioni, Britanio, Callicrati, Damabio, Edeſſio, Euſtochio, Ambroſio, Gelonio, Pardalio, Macedonio, Paulo, Marcello, Heraclio, Alexandro, Adolio, Martiano, Sthenelo, Joanni, Maceri, Chariſio, Sylvano, Photino, Antonio, Autho, Celſo, Euphranori, Mileſio, Patricio, Severiano, Euſebio, Eumolpio, Athanaſio, Diophanto, Minodoro, Diocli, Chryſampelo, Eugenio, Euſtathio, Callicrati, Arſenio, Eugenio, Martyrio, Hieratio, Leontio Philagrio, Lucio, & univerſis Orientalibus ortodoxis, Liberius epiſcopus, & Occidentales epiſcopi, in Domino ſalutem.

Optabile nobis pacis, atque concordiæ gaudium veſtræ litteræ detulerunt, fidei lumine reſplendentes, fratres cariſſimi, oblatæ nobis per cariſſimos fratres, & coepiſcopos Euſtathium, Sylvanum, atque Theophilum, & maxime quia veſtram ſententiam, veſtroſque ſenſus concordare & conſonare cum mea humilitate, & Italis, atque Occidentalibus univerſis affirmaverunt, atque demonſtraverunt. Et hanc eſſe cognoſcimus catholicam, & apoſtolicam fidem, quæ uſque ad Nicænum concilium integra, immobiliſque ſervata eſt, & hanc ipſi retinere profeſſi ſunt, gaudioque repleti, & omne veſtigium, ac nebulas ineptæ ſuſpicionis abjicientes, non ſolum ſermone eam, ſed etiam ſcriptura currente profeſſi ſunt. Cujus exemplar his litteris ſubdere neceſſarium judicavimus: ne ullam occaſionem hæreticis ad exercendas inſidias denuo relinquamus: quibus iterum flammas propriæ malitiæ commoventes, incendia diſcordiarum conſuete reſuſcitent. Hæc inſuper ſunt profeſſi cariſſimi fratres noſtri Euſtathius, Sylvanus, atque Theophilus veſtram caritatem ſemper hanc fidem habuiſſe, & hanc uſque ad terminum cuſtodire, id eſt, in Nicæna urbe a trecentis decem & octo epiſcopis orthodoxis approbatam, quæ perfectam continet veritatem, & os totius hæreticæ multitudinis obſtruit atque diſſolvit. Non enim ſpontaneo motu, ſed nutu divino tantorum epiſcoporum numerus aggregatus eſt contra veſaniam Arii, quanto numero beatus Abraham tanta millia fide deſtruxit. Quæ fides, dum in ſubſtantia, & nomine *Conſubſtantialitatis* continetur, velut quoddam minutiſſimum, & inexpugnabile caſtrum, omnia jacula & molitiones Arianæ in-

(*a*) Quæ ad illuſtrandam hanc epiſtolam neceſsaria viſa ſunt, expoſuimus jam in ſuperiore obſervatione noſtra.

incredulitatis decenter evitat. Cum igitur omnes Occidentales epiſcopi Arimino (*a*) congregati, quando eos Arianorum collegit veſania, quadam ſuaſione, aut (ut verius dicam) mundana potentia, hoc quod cautius erat in fide poſitum, auferre, aut oblique denegare conati ſunt; tamen nihil eorum calliditas profuit. Nam pene omnes convenientes Arimino tunc terrore permoti atque decepti, tunc reſipiſcentes, atque anathematizantes eos qui ibi convenerunt, aut ſubſcribentes catholicæ fidei, quæ in Nicæna urbe ſancita eſt, nobiſque communicantes, ferventius contra Arii dogma, ejuſque diſcipulos inflammantur. Cujus rei indicium etiam ipſi legati veſtræ civitatis agnoſcentes, vos ipſos in ſua ſubſcriptione junxerunt, anathematizantes Arium, & quæ ab ejus ſequacibus Arimino geſta noſcuntur, contra fidem in Nicæna urbe ſancitam. In quibus etiam vos capti, perjurio ſubſcripſiſtis. Unde conſequens nobis viſum eſt ſcribere caritati veſtræ, & adjuvare juſta poſcentes; maxime quia per profeſſionem veſtrorum legatorum reſipiſcentes Orientales cum orthodoxis Orientalibus concordare cognovimus, & ſignificavimus, ut noveritis blaſphemos Ariminenſes, qui tunc videbantur per ſurreptionem maculati, nunc anathematizatos, & univerſos ad Nicænam reſpiraſſe fidem. Quod oportet per vos omnibus indicari, quatenus poſſint, qui violenter læſi ſunt aliquando ab hæreticis tenebris ad divinum lumen catholicæ libertatis accedere. Qui poſt hanc ſynodum, niſi voluerint reſpuere venenum perfidiæ, & blaſphemias Arii univerſas abjicere eaſque anathematizare, cognoſcant ſe cum Ario, ejuſque diſcipulis, ceteriſque ſerpentibus, ſive Sabellianis, vel Patripaſſianis, aut cujuslibet alterius hæreſis ſocios eſſe, & communione privatos ab eccleſiaſtica ſynodo, quæ ad ſe filios adulterii non admittit. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi.

DI-

(*a*) De concilio Arimini in Æmilia juſſu Conſtantii imperatoris in cauſſa Arianæ hæreſeos celebrati, de quo ſæpius hic, atque in præcedenti Diplomate fit mentio, multa dicamus non oportet: quum ejus hiſtoria notior ſit, quam ut longa narratione exponatur. Conſule epiſtolam ſynodicam ejuſdem concilii ad ipſum Conſtantium auguſtum datam, quam refert S. Athanaſius lib. *de Synodis*. Et præterea lege Socratem lib. 2. cap. 29. Theodoretum lib. 2. cap. 18. & Sozomenum lib. 4. cap. 16. & 17.

DIPLOMA XV.

Epiſtola imperatorum Valentiniani, & Valentis auguſtorum ad Domnum conſularem Siciliæ. De his qui parhippum exigere poſſunt.

Imperatores Valentinianus, & Valens AA. (*a*) ad Domnum conſularem Siciliæ (*b*).

Anno 368. die 2. Decebr.

Cod.Th. l.29. de curſu publ.

HI tantum parhippum (*c*) præſumant, quibus nos ipſi, in evectione, quam facimus, veredum cum parhippo tribui juſſerimus. Si quis vero citra noſtræ adnotationis indultum, id licenter exegerit, ſeveriſſimæ ſubjaceat ultioni. Dat. iv. Non. Decembris Triveris, poſt Conſſ. (*d*) Lupicini, & Jovini VV. CC.

DIPLOMA XVI.

Epiſtola epiſcoporum Ægypti, & Libyæ XC. necnon & S. Athanaſii archiepiſcopi Alexandrini ad honoratiſſimos in Africa epiſcopos. De ſynodo Sicula, Nicænam approbante.

Anno 269.

S.Athan.t.1. pag.891.

SAtis quidem ſunt, quæ a dilecto, & comminiſtro noſtro Damaſo magnæ Romæ epiſcopo, & a tot epiſcopis una cum illo coactis, nec minus ea, quæ ab aliis ſynodis in Gallia, & in Italia celebratis, ſcripta ſunt de ſana, & orthodoxa fide: quam Chriſtus largitus eſt, apoſtoli prædicarunt, & quam tradidere patres, qui ex univerſo orbe noſtro Nicæam convenerunt. Ideo enim tanta ſolicitudine de Ariana hæreſi actum fuit, ut qui in eam lapſi eſſent, ab ea retraherentur, & ut

---

(*a*) Ex nota Gothofredi addendus eſt *Gratianus*, qui tunc temporis inter auguſtos jam cooptatus erat.

(*b*) Siciliam per hæc ferme tempora conſularem fuiſſe, vel ex ſola Notitia imperii Romani, hîc Dipl. xxi. eruditorum neminem latet. Præter Domnum, cui epiſtola hæc inſcripta fuit, & Euſebium, ad quem ſcripſerunt imperatores Arcadius, & Honorius, hîc Dipl. xix. alii ſane quam multi conſulares nobis innoteſcunt, de quibus ad calcem Voluminis aptius redibit ſermo, Differt. vii. Cap. ii.

(*c*) Etſi varia ſit *parhippi* interpretatio; at huc tamen idem ſonat, ac *equus avertarius*, qui præter veredum, ſarcinæ ferendæ cauſſa, adſumebatur: unde iidem imperatores in epiſtola ad Voluſianum præfectum Urbis anno 373. conſignata: *parhippum* (inquiunt) *vel avertarium nullus accipiat, nullus impune præſumat, niſi cum noſtræ Serenitatis arbitrio.*

(*d*) In hanc ſubſcriptionem mendum irrepſiſſe, nullus dubitat idem Gothofredus, atque ad ſuperiorem annum, in quem incidit conſulatus Lupicini, & Jovini, epiſtolam referendam eſſe contendit. Is tamen, ſi verum amas, non ſatis ſibi cavit, porro non currente conſulatu, ſed poſt conſulatum Lupicini & Jovini ſcripta traditur: atque ita ei bene convenit Chriſti annus 368.

& ut noti forent auctores ejus. Huic igitur totus olim aſſenſit orbis, & hoc tempore compluribus celebratis ſynodis, moniti omnes per Dalmatiam, Dardaniam, Macedoniam, Epiros, Græciam, Cretam, & alias inſulas, Siciliam (*a*), Cyprum, & Pamphyliam, Lyciam, Iſauriam, univerſam Ægyptum, Lybias, & plerique ex Arabia, hanc comprobarunt: admiratique ſunt eos qui ſubſcripſerant, quia ſcilicet ſi qua apud illos ex Arianorum radice reſidua erat ſurſum pullulans amaritudo, Auxentius nempe, Urſacius, Valens, & qui eamdem, quam iſti tuentur ſententiam; illi, inquam, ipſi per ea ſcripta abſciſſi, rejectique fuerant.

DIPLOMA XVII.

Fragmentum Epiſtolæ S. Baſilii magni ad Neocæſarienſes. De Eccleſia Sicula, quacum ipſe ſanctus, omneſque Orientales patres communicare ſoliti erant.

JUſtius eſt autem res noſtras judicari, non ex uno aut altero non recte in veritate ambulantibus, ſed ex multitudine epiſcoporum, qui nobis in toto terrarum orbe per Domini gratiam conjuncti ſunt. Interrogentur autem Piſidæ, Lycaones, Iſauri, Phryges utrique, Armeniorum quidquid vobis eſt vicinum, Macedones, Achæi, Illyrii, Galli, Hiſpani, Italia tota, Siculi (*b*), Ægypti pars ſana, quidquid eſt reliqui in Syria: qui & ad nos litteras mittunt, & rurſus a nobis accipiunt. Ex quibus litteris, tum quæ illinc afferuntur, tum quæ rurſus vice verſa hinc ad ipſos mittuntur, diſcere vobis licet, nos omnes eſſe unanimes, idemque ſentire. Quapropter communionem noſtram qui refugit, ſinceritas veſtra noverit eum ſeſe a tota Eccleſia ſeparare, &c.

Anno 375.
S. Baſil. tom. 3. epiſt. 204.

(*a*) Concilium Sicilienſe ad confirmationem fidei Nicænæ celebratum, quod hic memorat S. Athanaſius & cum eo cœtus epiſcoporum Ægypti, & Lybiæ, idem eſſe videtur, de quo agunt Socrates, Sozomenus, Caſſiodorus, & ſcriptores alii in monitis ad Dipl. XIII. laudati, quos conſulat ſtudioſus lector.

(*b*) Deſiderantur hodie epiſtolæ hic commemoratæ, veluti ab Orientalibus patribus ad epiſcopos Siculos, & viciſſim ab epiſcopis Siculis ad Orientales patres ſcriptæ; nihilominus S. Baſilii teſtimonium commode intelligi poteſt de epiſtolis illis Lampſaceni concilii ad ſynodum Siculam, & a ſynodo Sicula reſcriptis, & in Tianenſi conventu recitatis, quarum meminimus ſupra in notis ad Dipl. XIII. Sane ut perhibent monachi Benedictini *in Vita S. Baſilii* cap. 10. ipſe S. Baſilius in antedicto Lampſaceno concilio multa de fide cum epiſcopis diſſeruit, atque non parum conſilio ſuo juvit, quamobrem in Occidentem ad Liberium Rom. Pont. & epiſcopos Siculos viri tres ex intimis ejus amicis mitterentur legati.

DIPLOMA XVIII.

Epiſtola Symmachi præfecti Urbis ad Flavianum fratrem. De vulneratis cauſſis per appellationis remedium ad ipſum e Sicilia devolutis.

Symmachus Flaviano fratri (*a*).

Anno 380. circiter.

Symmach. lib. 2. epiſt. 30.

QUo animo acceperim Sicilienſe negotium vulneratum (*b*), facile conjectas, qui me noveris in alienis quoque judicatorum iniquitate morderi. Quin etiam conſilii a te imprudentis accuſor ob admiſſam. Recte agis. Cur enim ſperavi contumeliam ſacri auditoris vindicandam? Cur de amicis legitima, & juſta præſumpſi? Et quo redacti ſumus? Juſtitiam perdidi, dum expecto vindictam. Jam illud quo pacto diluam quod probus mitior judicatur, qui in præjudicium, vel invidiam poſſeſſionis meæ parvi agelluli retentione receſſit, quum illi tota mulierculæ præmitteretur hæreditas? Nam referendi hæc ſola præfecto Urbis ratio fuit; non ut receptarum appellationum pœnam Siciliæ rector exſolveret; ſed ut injuriam ſuam ſacri auditoris cognitor vindicaret. Nunc reſcriberetur in cauſſam poſt victoriam meam contra ſententiam præfecturæ, cui pars adverſa conſenſit? Si relatio ad fortunam negotii pertineret, & ſupplementa, vel reputatorios jurgantes dediſſent, rogo, de quibus actionibus judicabitur, quas in Sicilia poſt appellationem meam pars una deprompſit, quibus tyrannicorum temporum geſta ſociata ſunt? Tanti eſt invidia mei, & grata eſt aliquibus noſtra reprehenſio. Cede adverſantium voluntati, & domino noſtro invictiſſimo principi Theodoſio, ſemper auguſto dignare ſuggerere, non pluris ad me divitias valere, quam famam. Bonum de me judicium parentis publici conſervatoris mei, cuivis antepono patrimonio. Si placet ut homines mei hereditaria poſſeſſione decedant, lex mihi erit quidquid omnium Dominus placata auctoritate cenſuerit.

DI-

(*a*) Vel ex hac tantum epiſtola dubitare utique non poſſumus, apud præfectum Urbis juriſdictionem aliquam ſtetiſſe ſuper appellationes excipiendas e Sicilia: quapropter edictum Conſtantii, & Conſtantis auguſtorum, necnon & Juliani cæſaris ſupra Dipl. IX. exſcriptum, ut e Sicilia non ad præfectum Urbis, ſed ad præfectum Prætorio appelletur, cum aliqua moderatione interpretandum venit. Non idem jus obtinuit circa has appellationes imperatore Juſtiniano. Vide Dipl. L. LI. & LII.

(*b*) Id eſt *litem* contraria ſententia deciſam, & appellationis remedio ab inferiore ad ſuperiorem judicem tranſlatam, ut multis illius ætatis teſtimoniis interpretatur Juretus in notis ad hanc epiſtolam.

DIPLOMA XIX.

Epiſtola imperatorum Arcadii, & Honorii auguſtorum ad Euſebium conſularem Siciliæ. Ut tertia pars redituum Reipublicæ reparandis operibus publicis, & thermis ſubſtruendis impendatur.

Impp. Arcadius, & Honorius AA. Euſebio conſulari Siciliæ (*a*).

NE ſplendidiſſimæ urbes, vel oppida, vetuſtate labantur, de reditibus fundorum juris Reipublicæ tertiam partem reparationi publicorum mœnium, & thermarum ſubuſtioni (*b*) deputamus. Dat. XI. kal. Jul. Med. Olybrio, & Probino Conſſ. (*c*).

Anno 395. Cod. Theod. l.32.de operibus publ.

DIPLOMA XX.

Epiſtola S. Auguſtini epiſcopi ad Deogratias presbyterum. De Porphyrio Siculo, Chriſtianæ religionis cultore, diverſo a Porphyrio Tyrio, hæreticorum principe.

INter hæc miſſæ ſunt mihi a Carthagine quæſtiones ſex, quas propoſuit amicus quidam, quem cupiebam fieri Chriſtianum, ut contra paganos ſolverentur, præſertim quia nonnullas earum a Porphyrio philoſopho propoſitas dixit. Sed non eum eſſe arbitror Porphyrium Siculum (*d*) illum, cujus celeberrima eſt fama. Harum quæſtionum diſputationes in unum librum contuli, non prolixum, cujus eſt titulus: *Sex quæſtiones contra paganos expoſitæ*. Earum autem prima eſt, *de reſurrectione*, ſecunda, *de tempore Chriſtianæ religionis*, tertia, *de ſacrificiorum diſtinctione*, quarta, de eo quod ſcriptum eſt: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*, quinta, *de Filio Dei ſecundum Salomonem*, ſexta, *de Jona propheta*. In quarum ſecunda quod dixi: *Salus religionis hujus, per quam ſolam veram ſalus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit*, non ita dixi tamquam ex meritis

Anno 408. S. Auguſt. ep. 102. alias 49. & lib. 2. retract.c.31.

Matth. 7.2.

(*a*) De conſularibus Siciliæ pauca exſcripſimus in notis ad Dipl. XV. majora exponemus in fine Voluminis Diſſertatione VII. Cap. II.

(*b*) Rectius legendum, *ſubſtructioni*, ut advertit Gothofredus in notis ad hanc epiſtolam.

(*c*) Anno Chriſti 395.

(*d*) Porphyrium Siculum cum Porphyrio Tyrio Baronius ad annum 302. ſimilitudine nominis offenſus, perperam confundit; ſed videat quidnam reſponſurus ſit S. Auguſtino, qui Tyrium eumdem eſſe ac Siculum, hîc apertiſſime negat. Et quidem duos fuiſſe origine, tempore, atque religione diverſos, diſerte probat eruditiſſimus Mongitorius in *Bibl. Sicul.* verbo *Porphyrius*.

ritis ſuis quiſquam dignus fuerit: ſed quemadmodum ait Apoſtolus:
Rom. 9. 12. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe, major ſerviet minori.* Quam vocationem ad Dei propoſitum aſſerit pertinere. Unde dicit:
2. Tim. 1. 9. *Non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum, & gra-*
Rom. 8. 28. *tiam.* Unde item dicit: *Scimus quia diligentibus Deum omnia coope-rantur in bonum iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* De
2. Teſſ. 1. 11. qua vocatione ait: *Ut dignos vos habeat vocatione ſua ſancta.* Hic liber poſt epiſtolam quæ poſtmodum a capite addita eſt, ſic incipit: *Movet quoſdam, & requirunt.*

DIPLOMA XXI.

Fragmenta Notitiæ imperii Romani. De provincia Siciliæ ſub præfecto Prætorio; de ejus conſulare ſub vicario Urbis; de rationale ſummarum, & procuratore baphii Syracuſani ſub comite ſacrarum largitionum; & de rationale rei privatæ per Siciliam, & procuratore rei privatæ per eamdem provinciam ſub comite rerum privatarum.

Anno 409. circiter.

Pancir. Not. utriuſq. imper. lib. 2.

PRæfectus Prætorio Italiæ, & ſub ipſo diœceſes tres: Italiæ, Illyrici, Africæ. Sub diœceſi Italiæ provinciæ XVII. Venetiæ, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picennum Annonarium, Tuſcia & Umbria, Picenum ſuburbicarium, Campania, Sicilia, Apulia & Calabria, Lucania & Brutii, Alpes Cottiarum, Rhætia I. Rhætia II. Samnium, Valeria, Sardinia, Corſica.

Præfecto Prætorio Italiæ primo loco parebat vicarius Urbis, qui IV. imperabat conſularibus, id eſt: Campaniæ, Tuſciæ & Umbriæ, Piceni ſuburbicarii, Siciliæ (*a*). *Inde agens de conſulare Campaniæ ait:* officium autem habet ita: Principem de officio præfecti Prætorio Italiæ, cornicularium, tabularios duos pro numerario, adjutorem, commentarienſem, ab-actis, ſubadjuvam, exceptores, & reliquos cohortalinos, quibus non licet ad aliam tranſire militiam ſine annotatione clementiæ principalis. Ceteri omnes conſulares ad ſimilitudinem conſularium Campaniæ officium habent.

Sub diſpoſitione comitis ſacrarum largitionum rationales XI. Rationalis ſummarum Pannoniæ ſecundæ Dalmatiæ & Saviæ, rationalis ſummarum Pannoniæ primæ Valeriæ Norici mediterranei & Ripenſis, rationalis ſummarum Italiæ, rationalis ſummarum urbis Romæ, rationalis ſummarum trium provinciarum (*b*), Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ,

(*a*) De conſulare Siciliæ jam egimus ſupra in notis ad Dipl. XV.

(*b*) Trium provinciarum, Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ unus rationalis curam gerebat, veluti fuit Eufraxius, & poſt eum Gerulus, cui inde ſucceſſit Callepius, ut manifeſte patet ex Dipl. III. IV. & V. Conſule Diſſertationem VII. Cap. IV.

ſicæ, rationalis ſummarum Africæ, rationalis ſummarum Numidiæ, rationalis ſummarum Hiſpaniæ, rationalis ſummarum quinque provinciarum, rationalis ſummarum Galliarum, rationalis ſummarum Brittanniarum.

Idem comes ſacrarum largitionum habebat ſub juriſdictione ſua procuratores baphiorum, id eſt: baphii Tarantini Calabriæ, baphii Salonitani Dalmatiæ, baphii Ciſſenſis Venetiæ & Hiſtriæ, baphii (*a*) Syracuſani Siciliæ, baphiorum omnium per Africam, baphii Girbitani provinciæ Tripolitanæ, baphii inſularum Balearium in Hiſpania, baphii Telonenſis Galliarum, baphii Narbonenſis.

Sub diſpoſitione comitis rerum privatarum rationales XI., & procuratores XI. id eſt: Rationalis rerum privatarum per Illyricum, rationalis rerum privatarum per Italiam, rationalis rei privatæ per Italiam, rationalis rei privatæ per urbem Romam & Suburbicarias regiones cum parte Fauſtinæ, rationalis rei privatæ per Siciliam (*b*), rationalis rei privatæ per Africam, rationalis rei privatæ per Hiſpanias, rationalis rei privatæ per Gallias, rationalis rei privatæ per quinque provincias, rationalis rei privatæ per Brittannias, rationalis rei privatæ fundorum Domus divinæ per Africam; Procurator rei privatæ per Siciliam, procurator rei privatæ per Apuliam & Calabriam ſive ſaltus Carminianenſes, procurator rei privatæ per Sequanicum & Germaniam primam, procurator rei privatæ per Dalmatiam, procurator rei privatæ per Saviam, procurator rei privatæ per Italiam, procurator rei privatæ per urbem Romam, procurator rei privatæ per Urbicarias regiones rerum Juliani, procurator rei privatæ per Mauritaniam Sitifenſem, procurator rei privatæ Cynegiorum Triberorum, procurator Cynegii Juvarenſis rei privatæ. Meti tranſlatæ Anhelas.

DI-

(*a*) Id eſt loci, ubi veſtes principis purpura tingebantur. Vide cit. Diſſert. VII. Cap. IV.

(*b*) Pancirolus *Notit. Imp. Occid.* Cap. XLII. ne præter rationalem *ſummarum*, hunc *rei privatæ* in Sicilia quoque admitteret, locum hunc mendoſum dixit & caſtigatione dignum. Ei tamen nos obſequi non poſſumus ex his quæ dabimus infra in Diſſert. paullo antea laudata Cap. IV.

DIPLOMA XXII.

Epiſtola imperatorum Honorii, & Theodoſii ad Machedonium comitem rerum privatarum. De tyronibus, triginta ſolidis æſtimatis, indictis officialibus judicum Africæ, honoratiſque ejuſdem provinciæ, necnon Sardiniæ, Siciliæ, & Corſicæ.

Impp. Honorius, & Theodoſius AA. Machedonio C. R. P. (*a*).

Anno 410. *die* 8. *Febr.*

Cod. Theodoſ. l. 20. de Tyronibus.

TYrones (*b*), tricenis ſolidis æſtimatos (*c*), ab omnibus officiis judicum Africæ, exemplo præcedentis temporis poſtulamus: Quod ſimul jam ab honoratis (*d*) memoratarum provinciarum, necnon Sardiniæ, Siciliæ (*e*), & Corſicæ. Eos ſane honore excipi ab his conveniet, quibus aut præſenti tempore publicum munus injunctum eſt, aut in Italiæ, ſive Urbis ſolo barbara vaſtitate (*f*) depulſi ſunt. Dat. VI. Id. Feb. Rav. Varane (*g*), V. C. Conſ. (*h*).

DI-

(*a*) De comite rerum privatarum pauca in ſuperiore admonitione noſtra diximus; majora exponemus infra in Diſſertatione VII. Cap. IV.

(*b*) Id eſt lectiſſimos juvenes ſtatura quinque pedum, & ſeptem unciarum ad tyrocinii militiam imperiali præceptione annuatim exhibendos, ut patet ex litteris imperatorum Valentiniani, & Valentis vicario Urbis anno 367. inſcriptis. Hujuſmodi tyrones colligere in Sicilia, & probare muneris erat ſcribonum, ut patet ex Dipl. LXXXVI. §. *Venientibus ſcribonibus*. Vide Diſſert. VII. Cap. X. *de Scribonibus*.

(*c*) Pretium non præſtiti tyronis triginta ſolidis adæratur. Conſonat Novella *de Tyronibus in l.* 3.

(*d*) Viri honorati erant qui propter geſtos jam magiſtratus in honore habebantur. Horum notitiam diſerte exponit eruditiſſimus Gothofredus in ſuis Comment. ad Codicem Theodoſianum l. unic. *de officio judicum civilium*.

(*e*) De tribus hiſce provinciis, Sicilia, Sardinia, & Corſica egimus in monitis ad Dipl. III.

(*f*) Ad illam Gothorum incurſionem, quæ Alarico duce Italiam, atque Romam devaſtavit, quæque in Africam, Siciliam, Sardiniam, & Corſicam non pervenit, verba hæc alludere videntur: nempe a præſtatione tyronum excipiuntur honorati hi qui in illa Urbis atque Italiæ vaſtitate, patria pulſi, in Africanas provincias, atque in tres inſulas proximas profecti fuerant. Et ſane Siciliam Barbarorum minis tentatam, Alarico apud Coſentiam repentina morte ſublato, a prima hac Gothorum incurſione liberam evaſiſſe, expreſſius referunt Paulus Diac. *de bello Gothico* lib. 3. Oroſius lib. 7. Photius *Hiſt.* cap. 181.

(*g*) Addendus eſt Tertullus, qui cum F. Varane hoc anno 410. conſulatum ſimul iniit.

(*h*) Id eſt Chriſti anno 410.

DIPLOMA XXIII.

Epiſtola Hilarii Syracuſani ad S. Auguſtinum epiſcopum. Proponit quæſtiones aliquot, Syracuſis exortas, de quibus cupit edoceri.

Domino ſancto jure ac merito venerabili, & per omnia colendo Auguſtino epiſcopo, Hilarius (*a*).

Sanctitatis tuæ gratia, quæ omnibus nota eſt, parvitati meæ perſuaſit, ut veſtris de Syracuſano Hipponem remeantibus, has ad laudandum mihi venerabilitatem tuam litteras erogarem, poſcens ſummam Trinitatem, ut incolumis, & vegetus Dei noſtri favore hoc meum ſcriptum ad recenſendum ſuſcipias, Domine ſancte jure ac merito venerabilis, & per omnia colende. Proinde rogo ut mei memor in ſanctis orationibus tuis eſſe digneris, atque imperitiam noſtram informare de eo quod quidam Chriſtiani (*b*) apud Syracuſas exponunt, dicentes: Poſſe eſſe hominem ſine peccato: Et mandata Dei facile cuſtodire ſi velit. Infantem non baptizatum morte præventum non poſſe perire merito, quoniam ſine peccato naſcitur.

Anno 414. *circiter.*

S. Auguſ. epiſt. 156. alias 88.

(*a*) Qui de eccleſiaſticis ſcriptoribus agunt, erudite differunt, cui ſignanter Hilario epiſtola hæc ſit aſcribenda, Pictavienſine, an Arelatenſi, vel Proſperiano, ſive S. Proſperi ſocio, tunc Syracuſis forte agenti. Nihilominus, ſi verum amas, Hilarius noſter ab illis diverſus videtur: atque in primis perperam cum Pictavienſi, vel cum Arelatenſi confunditur: quum alter Hilario Siculo fuerit antiquior, alter recentior. Pictavienſis enim claruit circa medium quarti ſæculi, quum nondum Pelagiana hæreſis eruperat; nec S. Auguſtinus Manichæorum deliramenta deteſtaverat. Arelatenſis vero, quum epiſtola hæc ſcripta fuit, impuberem adhuc agebat ætatem, utpote qui natus eſſet anno 401. ut perhibet Honoratus Maſſilienſis vitæ ejus ſcriptor. Similiter nec Proſperiano Hilario tribui poteſt epiſtola: quum is S. Auguſtino ſcribere conſueverit veluti patri ſuo & præceptori, arta familiaritate ſibi conjuncto, ut patet ex ejus epiſtola inter Auguſtinianas 178. Siculus autem ipſi S. Auguſtino ejuſmodi dedit epiſtolam, motus, ut ipſe de ſe teſtatur, & fama ſanctitatis ejus longe lateque diffuſa, & opportunitate eorum qui Syracuſis Hipponem revertebantur.

(*b*) Hæretici qui ſub Chriſtiano nomine Siciliam infeſtare dicuntur, iidem videntur eſſe, ac perditiſſimi illi, Cæleſtius & Pelagius: pro Cæleſtio teſtem damus ipſum eumdem S. Auguſtinum in ſua ad hanc epiſtolam reſponſione mox recudenda, & expreſſius *in libr. de perfect. juſti*. Pro Pelagio autem adeſt teſtimonium S. Hieronymi *in Jerem.* lib. 4. præfat. Ex quo facile datur intelligi, majores noſtros eximio animi ardore Pelagium, & Cæleſtium, eorumque ſectatores, & impia dogmata procul ab inſula abegiſſe; ut cecinit S. Proſper illius ætatis ſcriptor lib. *de ingratis* cap. 2.

Præterea quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſus, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis:
Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens,
Agmen vipereum propriis exegerit oris.

tur. Divitem manentem in divitiis ſuis, regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit; nec prodeſſe eidem poſſe, ſi forte ex ipſis divitiis fecerit mandata. Non debere jurare omnino. Et de Eccleſia, quæ ſit de qua ſcriptum eſt, non habere rugam, neque maculam; utrum hæc ſit in qua nunc congregamur, an illa quam ſperamus. Quidam autem putant Eccleſiam hanc eſſe, quæ nunc frequentatur populis, & ſine peccato eſſe poſſe. De his omnibus rogo quantis valeo precibus ſanctitatem tuam, ut jubeas nos apertius inſtrui, quo noverimus, quatenus ſentire debeamus. Dei noſtri miſericordia ſanctitatem tuam incolumem conſervet annis innumeris opto Domine ſancte jure ac merito venerabilis, & per omnia colende.

DIPLOMA XXIV.

Epiſtola S. Auguſtini epiſcopi ad antedictum Hilarium. Reſpondet ad propoſitas ſibi quæſtiones.

Auguſtinus epiſcopus ſervus Chriſti & ejus eccleſiæ, dilectiſſimo filio Hilario in Domino ſalutem (*a*).

Anno 414. *circiter.*

S. Auguſt. epiſt. 157. alias 89.

CAP. I. Reſpondet ad queſtionem I. de impeccantia.

1. EX litteris tuis didici non ſolum incolumitatem tuam, ſed etiam religioſum ſtudium tuum circa Verbum Dei, & piam curam pro ſalute tua, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Unde gratias Deo agens, non diſtuli reſcripta perſolvere.

2. Si ergo quæris utrum in hac vita quiſquam ita juſtitiæ perfectione proficiat, ut hic ſine ullo vivat omnino peccato: attende quid dixerit Johannes apoſtolus, quem Dominus inter diſcipulos ſuos præcipue diligebat: *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus*, *nos*

1. Johan. 1. 8. *ipſos decipimus*, *& veritas in nobis non eſt*. Si ergo illi, de quibus mihi ſcripſiſti, ſe dicunt eſſe ſine peccato; vides quia ſeipſos decipiunt, & veritas in eis non eſt. Si autem ſe eſſe peccatores fatentur, ut Dei miſericordiam poſſint mereri, compeſcant ſe ab aliis etiam decipiendis, quibus hanc ſuperbiam perſuadere conantur. Omnibus enim neceſſaria eſt oratio dominica, quam etiam ipſis arietibus gregis, id eſt apoſtolis

Matth. 6. 12. ſuis Dominus dedit, ut unuſquiſque Deo dicat: *Dimitte nobis debita noſtra*, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Cui enim hæc in oratione verba neceſſaria non fuerint, ipſe hic ſine peccato vivere pronun-

(*a*) Reſponſionem hanc & librum, & epiſtolam nuncupatam, veluti nuper editam indicat, & laudat S. Hieronymus, lib. 3. *adverſus Pelagianos*, quem anno 415. ſcripſit. Eodem anno hanc ipſam lucubrationem in Palæſtino conventu Oroſius recitavit. Et de ea in Dioſpolitana ſynodo, celebrata menſe Decembri ejuſdem anni actum eſſe, perhibet ipſemet S. Auguſtinus, lib. *de geſtis Pelagii* cap. 11. Conſule monachos Benedictinos e congregatione S. Mauri in notis ad hanc epiſtolam.

nuntiandus eſt. Quales ſi aliquos futuros dominus prævideret, meliores utique quam extiterunt ejus apoſtoli, aliam orationem illos doceret, qua non peterent dimitti ſibi peccata, quibus in baptiſmo fuerant omnia jam dimiſſa. Nam ſi Daniel ſanctus non coram hominibus quaſi humilitate fallaci, ſed coram Deo, id eſt in oratione qua Deum precabatur, non ſolum peccata populi ſui, ſed etiam ſua confitebatur, ſicut ejus ore veridico expreſſum eſt; nihil aliud mihi videtur dicendum iſtis, niſi quod per prophetam Ezechielem cuidam ſuperbo dominus mandat: *Numquid tu ſapientior es, quam Daniel?* Dan. 9. 20. Ezech. 28. 3.

3. Sed plane qui miſericordia Dei adjutus & gratia ſe ab eis peccatis abſtinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata, ſine quibus non hic vivitur, mundare operibus miſericordiæ & piis orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire ſine peccato, quamvis cum hic viveret habuerit nonnulla peccata: quia ſicut iſta non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur, affuerunt. Quiſquis autem hac velut occaſione comperta, cum audierit neminem hic arbitrio ſuo ſine peccato vivere, dederit ſe libidinibus & criminibus nefariis obligaverit, atque in his criminoſis conſceleratiſque moribus uſque in diem ſuum ultimum perduraverit, quaslibet inter hæc eleemoſynas faciat, & infeliciter ducit vitam, & infelicius finit.

CAP. II. Reſpondet ad quæſtionem 2. de libero arbitrio.

4. Sed iſti utcumque tolerandi ſunt, quando dicunt vel eſſe vel fuiſſe hic aliquem, præter unum Sanctum ſanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum. Illud vero quod dicunt, ſufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamſi Dei gratia & Spiritus ſancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum eſt, & omnibus exſecrationibus deteſtandum. Qui enim hoc aſſerunt, a gratia Dei penitus alieni ſunt: quia *ignorantes Dei juſtitiam*, ſicut de Judæis dicit Apoſtolus, *& ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*. Plenitudo quippe legis non eſt, niſi caritas. Et utique caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per nos ipſos, nec viribus propriæ voluntatis, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Rom. 10. 3. Rom. 13. 10. Rom. 5. 5.

5. Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, ſi divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo, & faciendo. Deſertum vero divino adjutorio qualibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit juſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem impiæ ſuperbiæ, & exitioſum tumorem. Docet hoc eadem ipſa dominica oratio. Fruſtra enim rogantes Deum dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*; ſi hoc in noſtra ſic poſitum eſt poteſtate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere. Dictum eſt enim: *Ne nos inferas in tentationem*, quod intelligitur ne nos inferri deſerendo permittas. *Fidelis enim Deus*, ait Apoſtolus, *qui non vos permittet tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis ſuſtinere*. Ut quid hoc dixit Deum facere, ſi hoc ſine ipſius adjutorio in ſola noſtra eſt poteſtate. Matth. 6. 13. 1. Cor. 10. 13.

6. Nam & ipſa lex in hoc adjutorium data eſt illis, qui ea legitime utuntur, ut per illam ſciant, vel quid juſtitiæ jam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis deſit, quod inſtanter petant. Qui autem ſic audiunt quod ait lex: *Non concupiſces*, ut hoc quia Alludit ad Iſa. 8. 20. ſecund. 70. Exod. 20. 17.

didicerint, ſufficere ſibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei ad faciendum quod juſſum eſt dari ſibi virtutem credant & petant, ad
Rom.7.7. hoc eis: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*; quod dictum eſt de Judæis. Parum enim eſt, quia non implent quod præcepit lex: *Non concupiſces*: ſed inſuper ſuperbiunt, & ignorantes Dei juſtitiam, id eſt quam Deus dat, qui juſtificat impium, & ſuam volentes conſtituere tamquam ſuæ voluntatis viribus factam, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.
Rom.10.4. *Finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti, qui utique ideo venit, ut ubi abundavit delictum, ſuperabundet gratia*. Cui gratiæ ſi fuerunt inimici Judæi, Dei ignorantes juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere; quare ſunt & iſti inimici, ſi in eum crediderunt, quem illi occiderunt? An ut illi accipiant præmium, qui occiſo Chriſto ſuam impietatem accuſaverunt, & ſe illius gratiæ cognitæ ſubdiderunt; & iſti portent judicium, qui ſic in Chriſtum volunt credere, ut ejus ipſam gratiam conentur occidere?

7. Ad hoc quippe in eum credunt, qui recte credunt, ut eſuriant
Joël. 2. 32. ſitiantque juſtitiam, & ejus gratia ſaturentur. *Omnis enim*, ſicut ſcri-
Rom.10.13. ptum eſt: *Qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*: non utique ſalute corporis, quam multi habent, & qui non invocant nomen Do-
Matth 9.12. mini; ſed illa ſalute, de qua ipſe dicit: *Non eſt opus ſanis medicus*,
Verſ.13. *ſed ægrotantibus*; & quid dixerit, conſequenter exponens: *Non veni*, inquit, *vocare juſtos, ſed peccatores*. Juſtos ergo ſanos, peccatores autem dixit ægrotos. Non itaque de ſuis viribus præſumat ægrotus; quia in multitudine virtutis ſuæ non erit ſalvus. Nam ſi inde præſumit, videat ne vires iſtæ non ſint quales ſolent eſſe ſanorum, ſed quales ſolent eſſe phreneticorum: qui quum ſint inſani, adeo ſe ſanos putant, ut nec medicum quærant, & tamquam importunum inſuper cædant: ſicut iſti Chriſtum inſana ſuperbia quodammodo cædunt, cujus gratiæ tam benignum adjutorium ad faciendam juſtitiam dato legis præcepto neceſſarium non eſſe contendunt. Deſinant ergo ſic inſanire, & ad hoc ſe intelligant habere, quantum poſſunt, liberum arbitrium, non ut ſuperba voluntate reſpuant adjutorium, ſed ut pia voluntate invocent Dominum.

8. Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior quanto ſanior: tanto autem ſanior, quanto divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior.
Pſal.118.133. Ipſa enim fideliter orat & dicit: *Itinera mea dirige ſecundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas*. Quomodo enim libera eſt, qui dominatur iniquitas? Ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur. Non enim ait: Itinera mea dirige ſecundum liberum arbitrium, quia non dominabitur mihi omnis iniquitas; ſed, *itinera mea*, inquit, *dirige ſecundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas*. Precatur, non pollicetur: confitetur, non profitetur: optat pleniſſimam libertatem, non jactat propriam poteſtatem. Non enim omnis qui viribus ſuis confidit, ſed omnis qui invo-
Rom. 10.14. cat nomen Domini, ſalvus erit. *Quomodo autem invocabunt*, inquit, *in quem non crediderunt*? Ad hoc ergo credunt, qui recte credunt ut invocent in quem crediderunt, & valeant facere quod in præceptis legitimis acceperunt; quoniam id quod lex imperat, fides impetrat.

9. Nam

9. Nam ut interim omittamus legis multa præcepta, & hoc inde commemoremus, quod ad commemorandum elegit Apoſtolus; cum dicit lex: *Non concupiſces*, quid videtur aliud imperare, niſi ab illicitis cupiditatibus continentiam? Animus quippe velut pondere, amore fertur quocumque fertur. Jubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus caritatis, donec illud conſumatur, hoc perficiatur. Plenitudo enim legis eſt caritas. Et tamen de ipſa continentia vide quid ſcriptum ſit: *Et cum ſcirem*, inquit, *quia nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det*, *& hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum.* Numquid dixit, & cum ſcirem quia nemo poteſt eſſe continens, niſi per proprium liberum arbitrium, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire a me ipſo eſſe hoc bonum? Non plane hoc dixit, quod quidam in ſua vanitate dicunt; ſed quod fuit in ſanctæ Scripturæ veritate dicendum: *Cum ſcirem*, inquit, *quia nemo eſſe poteſt continens, niſi Deus det*. Jubet ergo Deus continentiam, & dat continentiam: jubet per legem, dat per gratiam: jubet per litteram, dat per ſpiritum. Lex enim ſine gratia facit abundare delictum, & littera ſine ſpiritu occidit. Jubet ideo, ut facere juſſa conati, & noſtra infirmitate ſub lege fatigati, adjutorium gratiæ poſcere noverimus, & ſi quid facere potuerimus operis boni, ei qui adjuvat non ſimus ingrati: hoc & iſte fecit. Id enim eum ſapientia docuit, cujus eſſet hoc donum.

Rom. 7. 7. Rom. 13. 10. Sap. 8. 21. 2. Cor. 3. 6.

10. Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: ſed ideo juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit: *Adjutor meus eſto*, confitetur ſe velle implere quod juſſit, ſed ab eo qui juſſit, adjutorium poſcere ut poſſit. Sic & iſte quum ſciret neminem eſſe poſſe continentem, niſi Deus det, adiit Dominum & deprecatus eſt: utique volens adiit, volens depreatus eſt, nec petiiſſet niſi eſſet voluntas. Sed niſi petiiſſet, quantum poſſet voluntas? Quia etſi poſſit antequam petat, quid ei prodeſt, niſi illi agat gratias ex eo quod poteſt, a quo petendum eſt quod nondum poteſt? Unde etiam qui jam continens eſt, non habet utique continentiam, niſi adſit voluntas: ſed niſi accepiſſet, quid haberet voluntas? *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis*? id eſt, quid gloriaris quaſi a teipſo habeas, quod ſi non accepiſſes, a teipſo habere non poſſes. Hoc autem dictum eſt, ut qui gloriatur, non in ſeipſo; ſed in Domino glorietur: & qui nondum habet unde glorietur, non a ſeipſo ſperet; ſed Dominum precetur. Satius eſt enim minus quemque habere quod a Deo petat, quam plus habere quod ſibi tribuat: quoniam expedit ab imo ſurgere, quam ex alto cadere. *Deus enim*, ſcriptum eſt, *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Ad abundantiam igitur delictorum lex nos docet quid velle debeamus, niſi adjuvet gratia, ut quod volumus, valeamus, & quod valuerimus, impleamus. Adjuvabit autem, ſi non de noſtris viribus præſumentes, alta ſapiamus; ſed humilibus conſentientes, & de iis quæ jam poſſumus, gratias agamus, & pro iis quæ nondum poſſumus, Deum ſuppliciter inhiante voluntate poſcamus, adminiculantes orationem no-

Pſal. 26. 9. 1. Cor. 4. 7. 2. Cor. 10. 17. Jac. 4. 6.

ſtram miſericordiæ fructuoſis operibus ; dando ut detur nobis , dimittendo ut dimittatur nobis .

Cap. III. Reſpondet ad quæſtionem de peccato originis.

11. Quod autem dicunt infantem morte præventum , non baptizatum , perire non poſſe , quoniam ſine peccato naſcitur : non hoc dicit Apoſtolus ; & arbitror eſſe melius , ut Apoſtolo potius quam iſtis credamus . Dicit enim ille doctor gentium , in quo Chriſtus loquebatur:

Rom. 5. 12.

Per unum hominem peccatum intravit in mundum , & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit , in quo omnes peccaverunt . Et paullo poſt dicit : *Nam judicium quidem ex uno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem* . Proinde iſti , quem forte invenerint infantem non ex illius unius hominis concupiſcentia procreatum , ipſum dicant illi damnationi non eſſe obnoxium , nec per Chriſti gratiam ab illa damnatione eſſe liberandum . Quid eſt enim , *ex uno delicto in condemnationem* , niſi illo delicto , quo deliquit Adam? Et quid eſt , *ex multis delictis in juſtificationem* , niſi quia Chriſti gratia non ſolum illud unum delictum ſolvit , quo obſtringuntur infantes ex illo uno homine procreati , ſed etiam multa delicta , quæ quum creverint homines , addunt malis moribus ſuis ? Tamen & illud unum , quo eſt obligata propago carnalis , quæ ab illo primo homine originem ducit , ſufficere dicit ad condemnationem . Ideo non eſt ſuperfluus baptiſmus parvulorum , ut qui per generationem illi condemnationi obligati ſunt , per regenerationem ab eadem condemnatione ſolvantur . Sicut enim non invenitur homo , qui præter Adam carnaliter generetur : ſic non invenitur homo , qui præter Chriſtum ſpiritaliter regeneretur . Carnalis autem generatio delicto illi uni , & damnationi ejus obnoxia eſt ; ſpiritalis vero regeneratio non ſolum illud unum propter quod baptizantur infantes , ſed multa delicta facit aboleri , quæ homines male vivendo ad illud , in quo generati ſunt , addiderunt . Ideo ſequitur & dicit : *Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum , multo magis qui abundantiam gratiæ & juſtitiæ accipiunt , in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. Itaque ſicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem : ita per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ . Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi : ita per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi* .

Rom. 5. 17.

12. Quid ad iſta dicturi ſunt ? aut quid eis reſtat , niſi ut Apoſtolum erraſſe contendant ? Clamat vas electionis , doctor gentium , tuba Chriſti : *Judicium ex uno in condemnationem* . Et reclamant iſti , aſſerentes parvulos , quos ex illo uno homine , de quo loquitur , ducere propaginem confitentur , non ire in condemnationem , etſi in Chriſto non fuerint baptizati . *Judicium* , inquit , *ex uno in condemnationem* . Quid dicit , *ex uno* , niſi , *delicto* ? Sequitur enim : *Gratia autem ex multis delictis in juſtificationem* . Ergo inde judicium etiam ex uno delicto ducit in condemnationem : hinc autem gratia etiam ex multis delictis ducit in juſtificationem . Quapropter ſi non audent reſiſtere Apoſtolo , exponant nobis quare judicium ex uno delicto ducat in condemnationem , quum ex multis delictis homines damnandi veniant ad judicium . Aut ſi propterea ita dictum putant , quia initium peccati ex Adam factum eſt, quod imitati ceteri ſunt , ut ſic ex uno illo delicto in judicium condem-

demnationemque traherentur, qui eum imitando multa peccarunt: cur non etiam de gratia & juſtificatione ſic dictum eſt? cur non dixit ſimiliter: Et gratia ex uno delicto in juſtificationem? Sicut enim hominum multa delicta inter illud unum quod imitati ſunt, & judicium quo puniuntur, media reperiuntur; ab uno quippe ad multa venerunt, ut a multis ad judicium damnationemque ducerentur: ſic eadem multa delicta inter hoc ipſum unum cujus imitatione commiſſa ſunt, & gratiam qua dimittuntur, eodem modo media ſunt; quoniam ex illo uno ad multa venerunt, ut ex multis ad gratiam juſtificandi venirent. Quum ergo in utroque, id eſt & judicio & gratia, quod attinet ad unum & multa delicta, una eademque ratio ſit: dicant iſti nobis quare judicium dixerit ex uno delicto ducere in condemnationem, gratiam vero ex multis delictis in juſtificationem. Aut acquieſcant ideo ſic eſſe dictum, quia in hac cauſſa duo conſtituuntur homines, Adam, ex quo conſiſtit generatio carnalis, & Chriſtus, ex quo regeneratio ſpiritalis. Sed quia tantum ille homo, iſte autem & Deus & homo, non quomodo illa generatio uno delicto obligat, quod eſt ex Adam, ita iſta regeneratio unum delictum ſolum ſolvit, quod eſt ex Adam. Sed illi quidem generationi ſufficit ad condemnationem unius delicti connexio; quidquid enim poſtea homines ex malis ſuis operibus addunt, non pertinet ad illam generationem, ſed ad humanam converſationem; huic autem regenerationi non ſufficit illud delictum tantummodo ſolvere, quod ex Adam trahitur, ſed quidquid etiam poſtea ex iniquis operibus humanæ converſationis accedit. Ideo judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.

13. *Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum*, a quo delicto parvuli per baptiſmum expiantur; *multo magis qui abundantiam gratiæ & juſtitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum*: multo magis utique in vita regnabunt; quia æternæ vitæ regnum erit, mors autem in eis temporaliter tranſit, non in æternum regnabit. *Itaque ſicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem*, de qua condemnatione parvuli per Sacramentum baptiſmi liberandi ſunt: *ita per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ*. Et hic *omnes* dixit, & ibi; non quia omnes homines veniunt ad gratiam juſtificationis Chriſti, quum tam multi alienati ab illa, in æternum moriantur: ſed quia omnes qui renaſcuntur in juſtificationem, nonniſi per Chriſtum renaſcuntur: ſicut omnes qui naſcuntur in condemnationem, nonniſi per Adam naſcuntur. Nemo quippe eſt in illa generatione præter Adam, nemo in iſta regeneratione præter Chriſtum: ideo *omnes* & *omnes*, eoſdem autem *omnes*, etiam *multos* poſtea dicit, adjungens: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ſic & per unius hominis obedientiam juſti conſtituuntur multi*. Qui *multi*, niſi quos jam paullo ante *omnes* dixerat?

Rom. 5. 18.

Rom. 5. 19.

14. Vide quemadmodum commendat *unum* & *unum*, id eſt, Adam & Chriſtum: illum ad condemnationem, hunc ad juſtificationem, quum tanto poſt Adam venerit Chriſtus in carne: ut ſciamus etiam anti-

antiquos juſtos, quicumque eſſe potuerunt, nonniſi per eamdem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fidem ſcilicet incarnationis Chriſti, quæ illis prænuntiabatur, ſicut nobis facta annuntiatur. Ideo idem Chriſtum hominem dicit, quum ſit & Deus, ne quis exiſtimet antiquos juſtos per Deum tantummodo Chriſtum, id eſt per Verbum quod erat in principio, non etiam per fidem incarnationis ejus, qua & homo Chriſtus dicitur, potuiſſe liberari. Sententia quip-
1. Cor. 15. 21. pe iſta deſtrui non poteſt, de qua & alibi dicit: *Per unum hominem mors, & per unum hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Utique reſurrectionem dicit juſtorum, ubi eſt vita æterna; non reſurrectionem iniquorum, ubi mors erit æterna. Ideo ait: *vivificabun-*
Levit. 12. 3. *tur*; quia illi damnabuntur. Hinc & in veteribus ſacramentis circumciſio parvulorum octava die fieri præcepta eſt, quoniam Chriſtus, in quo fit delicti carnalis expoliatio, quam ſignificat circumciſio, die dominico reſurrexit, qui poſt ſeptimum ſabbati octavus eſt. Hæc ergo fides etiam antiquorum juſtorum fuit. Unde & Apoſtolus di-
2. Cor. 4. 13. cit: *Habentes autem eumdem ſpiritum fidei, propter quod ſcriptum eſt: credidi, propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur*, non diceret, *eumdem ſpiritum fidei*; niſi admonens etiam antiquos juſtos habuiſſe ipſum ſpiritum fidei, hoc eſt incarnationis Chriſti. Sed quia illis futura prænuntiabatur, quæ jam facta nobis annuntiatur, & tempore veteris Teſtamenti velabatur, quæ tempore novi Teſtamenti revelatur; ideo ejus ſacramenta variata ſunt, ut alia eſſent in veteri Teſtamento, alia in novo; quum fides ipſa
1. Cor. 15. 22. varia non ſit, ſed una ſit: quia *ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

15. Quod vero illis verbis, quæ tractabamus, adjungit, & dicit:
Rom. 5. 20. *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum,* jam non pertinet ad illud delictum, quod trahitur ex Adam, de quo dicebat ſuperius:
Rom. 5. 17. *Mors regnavit per unum.* Legem quippe ſive naturalem intelligamus, quæ in eorum apparet ætatibus, qui jam ratione uti poſſunt, ſive conſcriptam, quæ data eſt per Moyſen, quia nec ipſa vivificare potuit, & liberare a lege peccati & mortis, quæ tracta eſt ex Adam,
Rom. 4. 15. ſed magis addidit prævaricationis augmenta: *Ubi enim lex non eſt,* ait idem Apoſtolus, *nec prævaricatio.* Proinde quoniam lex eſt etiam in ratione hominis, qui jam utitur arbitrio libertatis naturaliter in corde conſcripta, qua ſuggeritur ne aliquid faciat quiſque alteri, quod pati ipſe non vult: ſecundum hanc legem prævaricatores ſunt omnes, etiam qui Legem per Moyſen datam non acceperunt, de quibus in
Pſal. 118. 119. Pſalmo legitur: *Prævaricatores eſtimavi omnes peccatores terræ.* Non enim omnes peccatores terræ Legem per Moyſen datam prævaricarunt; ſed tamen niſi aliquam prævaricaſſent, non appellarentur prævaricatores: *Ubi enim lex non eſt, nec prævaricatio.* Prævaricata ergo lege quæ in paradiſo data eſt, naſcitur homo ex Adam cum
Rom. 7. 23. lege peccati & mortis, de qua dicitur: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Quæ tamen niſi mala po-

ſtea

ſtea conſuetudine roboretur, facilius vincitur; non tamen niſi gratia Dei. Lege autem alia prævaricata, quæ eſt in uſu rationis animæ rationalis in ætate hominis jam ratione utentis, prævaricatores fiunt omnes peccatores terræ. Prævaricata vero lege etiam illa, quæ data eſt per Moyſen, multo amplius abundat delictum. *Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivificare, omnino ex lege eſſet juſtitia. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* Hæc verba, ſi agnoſcis, apoſtolica ſunt: de qua lege iterum dicit: *Lex prævaricationis gratia poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt, diſpoſita per Angelos in manu mediatoris*: Chriſtum commendans, cujus gratia ſalvi fiunt omnes, ſive parvuli a lege peccati & mortis, cum qua nati ſumus: ſive majores, qui male utentes arbitrio voluntatis, prævaricarunt legem naturalem ipſius rationis: ſive qui legem acceperunt, quæ data eſt per Moyſen, eamque prævaricantes littera occiſi ſunt. Quum vero etiam evangelica præcepta homo prævaricat, velut quatriduanus mortuus putet: nec de illo tamen deſperandum eſt propter ejus gratiam, qui non lente dixit; ſed, *magna voce clamavit: Lazare veni foras.* Gal. 3. 21. Verſ. 19. Johan. 11.43.

16. *Lex ergo ſubintravit ut abundaret delictum*; ſive quum homines negligunt quod Deus jubet, ſive quum de ſuis viribus præſumentes, adjutorium gratiæ non implorant, & addunt infirmitati ſuperbiam. Quum autem vocatione divina intelligunt cur ſit ingemiſcendum, & invocant eum in quem recte credunt, dicentes: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Et: *Ego dixi: Domine miſerere mei; ſana animam meam, quia peccavi tibi.* Et: *In tua juſtitia vivifica me.* Et: *Viam iniquitatis amove a me, & de lege tua miſerere mei.* Et: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatorum non moveat me.* Et: *Itinera mea dirige ſecundum verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniquitas. A Domino* enim *greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet.* Et alia multa, quæ propterea ſcripta ſunt, ut nos admonerent, ad implenda ea quæ nobis jubentur, ab illo petendum adjutorium a quo jubentur. Quum ergo ſe homo ad illum extenderit, & ſic ingemuerit, fiet quod ſequitur: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Et: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et diffunditur in corde caritas Dei, unde fiat legis plenitudo; non per vires arbitrii, quod eſt in nobis, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Noverat quippe ille legem, qui dicebat: *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem*: & tamen adjungebat: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Cur non dixit potius, per meum liberum arbitrium, niſi quia LIBERTAS SINE GRATIA non eſt libertas, ſed contumacia. Pſalm. 50. 1. Pſalm. 40. 5. Pſalm. 30. 2. Pſalm. 118. 29. Pſalm. 35. 12. Pſalm. 118. 133. Pſalm. 36. 23. Rom. 5. 12. Luc. 7. 47. Rom. 5. 5. Rom. 7. 22. & 23. &c.

17. Quum ergo dixiſſet Apoſtolus: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*; ſecutus adjunxit: *Ut quemadmodum regnavit peccatum in morte; ſic & gratia regnet per juſtitiam in vita æterna per Jeſum Chriſtum Dominum* Rom. 5. 20.

num

Verſ. 21. *num noſtrum*. Modo quum dixiſſet: *Ut quemadmodum regnavit peccatum in morte*; non ait: per unum hominem, aut per primum hominem, aut per Adam: quia jam dixerat: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*; quæ abundantia delicti non pertinet ad primi hominis propaginem, ſed ad converſationis humanæ prævaricationem, quæ illi uni delicto, quo ſolo obſtricti tenentur infantes, jam in majoribus ætatibus ex abundantia iniquitatis adjecta eſt. Sed quoniam hoc totum, etiam quod non pertinet ad illius unius delicti originem, tamen idonea eſt ſolvere gratia Salvatoris; ideo quum dixiſſet: *Sic & gratia regnet per juſtitiam in vita æterna*, addidit, *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*.

18. Nullius itaque argumentationes contra hæc apoſtolica verba prolatæ impediant parvulos ad ſalutem, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. (Tanto magis enim pro eis loqui debemus, quanto ipſi pro
Rom. 5. 12. ſe loqui non poſſunt): *Per unum hominem intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Sicut ab illo uno homine, ſic ab eodem peccato infantes immunes eſſe non poſſunt, niſi ab ejus reatu per Chriſti baptiſmum
Ibid. 13. reſolvantur: *Uſque enim ad legem peccatum in mundo fuit*. Non quia deinceps in nemine fuit, hoc dictum eſt; ſed quia non poterat per litteram legis auferri, quod ſolo poterat ſpiritu gratiæ. Ne quiſquam ergo fidens de viribus non dico voluntatis; ſed potius vanitatis ſuæ, putaret libero arbitrio legem potuiſſe ſufficere, & Chriſti gratiam derideret; ideo ait Apoſtolus: *Uſque enim ad legem peccatum in mundo fuit, peccatum autem non deputabatur quum lex non eſſet*. Non dixit, non erat: ſed *non deputabatur*: quia lex non erat, qua arguente demonſtraretur, ſive lex rationis in parvulo, ſive lex litteræ in populo.

Ibid. 14. 19. *Sed regnavit*, inquit, *mors ab Adam uſque ad Moyſen*; quia nec lex data per Moyſen potuit regnum mortis auferre, quod ſola Chriſti abſtulit gratia. In quos autem regnaverit vide: *Et in eos*, inquit, *qui non peccaverunt in ſimilitudine prævaricationis Adæ*. Regnavit ergo in eos qui non peccaverunt. Sed cur regnaverit, oſtendit quum ait: *In ſimilitudine prævaricationis Adæ*. Iſte eſt enim melior intellectus horum verborum, ut quum dixiſſet: *Regnavit mors in eos, qui non peccaverunt*; quaſi nos moneret, quare in eos regnaverit, qui non peccaverunt; adderet, *in ſimilitudine prævaricationis Adæ*; id eſt quia inerat eorum in membris ſimilitudo prævaricationis Adæ. Poteſt & ſic intelligi: *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, & in eos, qui non in ſimilitudine prævaricationis Adæ, peccaverunt*: quia in ſemetipſis quum jam nati eſſent, nec ratione adhuc uterentur, qua ille utebatur quando peccavit, nec præceptum accepiſſent, quod ille tranſgreſſus eſt; ſed ſolo originali vitio tenerentur obſtricti, per quod eos regnum mortis traheret ad condemnationem. Quod regnum mortis in eis tantum non eſt, qui Chriſti gratia renati, ad ejus regnum pertinent: quoniam mors temporalis, quamvis & ipſa de originali delicto propagata ſit, corpus in eis interimit, animam vero ad pœnam non trahit, ubi voluit regnum mortis intelligi: ut anima renata per gratiam, jam non moriatur in gehennam, id eſt a vita Dei non alienetur, non ſeparetur: tempo-

ralis

ralis autem mors corporis, etiam in iis, qui Chriſti morte redimuntur, relinquatur interim ad exercitationem fidei, & agonem præſentis luctationis, in quo & martyres certaverunt; abſumatur vero & ipſa in renovatione corporis, quam reſurrectio pollicetur. Ibi enim 1. Cor. 15. 54.
penitus abſorbebitur mors in victoriam, cui modo gratia Chriſti adimit regnum, ne ſuorum animas ad pœnas tartari trahat. Nonnulli ſane codices non habent, *in eos, qui non peccaverunt*; ſed, *in eos, qui* Rom. 5. 14.
peccaverunt in ſimilitudine prævaricationis Adæ: quibus quidem verbis nullo modo iſte ſenſus aufertur. Secundum hoc quippe intelliguntur peccaſſe in ſimilitudine prævaricationis Adæ ſecundum quod ſupra dictum eſt: *In quo omnes peccaverunt*. Sed tamen græci codices, unde in latinum Scriptura translata eſt, illud plures habent quod diximus.

20. Quod vero adjunxit de Adam, *qui eſt forma futuri*, neque hoc uno intelligitur modo: aut enim forma Chriſti a contrario eſt, ut quemadmodum in illo omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificentur; & quomodo per ipſius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ſic per Chriſti obedientiam juſti conſtituantur multi. Aut formam futuri eum dixit, quod ipſe inflixerit formam mortis poſteris ſuis. Ille tamen eſt melior intellectus, ut a contrario forma eſſe credatur, quam multum commendat Apoſtolus. Denique ne omnino ex æquo in hac forma eadem contraria penſarentur, adjungit & dicit: *Sed non ſicut delictum, ita & donatio. Si enim ob unius deli-* Rom. 5. 15.
ctum multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in multos abundabit: ut intelligatur, non in magis multos, quum iniqui magis multi ſint qui damnabuntur; ſed magis abundabit, quod in iis, qui per Chriſtum redimuntur, temporaliter valet forma mortis ex Adam, in æternum autem valebit vitæ forma per Chriſtum. Quamvis ergo, inquit, Adam futuri forma ſit a contrario, plus tamen præſtat Chriſtus regeneratis, quam eis nocuerat ille generatis. *Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem*. Non ſolum in hoc, inquit, non æqualis eſt forma, quia ille temporaliter nocuit eis, quos in æternum Chriſtus redemit: verum etiam quia illius uno delicto poſteri niſi a Chriſto redimantur, traduntur in condemnationem: Chriſti autem redemptio etiam multa delicta diſſolvit, quæ illi uni abundantia prævaricatricis iniquitatis adjecit; unde jam ſuperius diſputavimus.

21. Contra hæc Apoſtoli verba ſanumque intellectum nemini acquieſcas, ſi vis Chriſto, & in Chriſto vivere. Nam ſi quemadmodum illi dicunt, propterea iſta commemoraſſet Apoſtolus, ut intelligeremus ad primum hominem peccatores ideo pertinere, quia non delictum ex illo naſcendo traximus; ſed eum imitando peccamus; diabolum potius poneret, qui & primus peccavit, & de quo nullam ſubſtantiæ propaginem traxit genus humanum, ſed eum ſola imitatione ſecutum eſt: unde dicitur pater impiorum, ſicut noſter dicitur pater Abraham Johan. 8. 38.
propter imitationem fidei, non propter originem carnis. Nam ideo de ipſo diabolo dictum eſt: *Imitantur autem illum qui ſunt ex parte* Sap. 2. 25.

ipſius. Deinde ſi propter imitationem hoc loco Apoſtolus commemoraret primum hominem, quia primus peccator in hominibus fuit, ut ideo ad illum omnes homines peccatores diceret pertinere; cur non ſanctum Abel poſuit, qui primus in hominibus juſtus fuit, ad quem juſti omnes propter imitationem juſtitiæ pertinerent? ſed poſuit Adam, contra quem non poſuit niſi Chriſtum: quia ſicut ille homo delicto ſuo vitiavit poſteritatem ſuam, ſic ille Deus homo juſtitia ſua ſalvavit hæreditatem ſuam. Ille trajiciendo carnis immunditiam, quod non poterat impius diabolus; ille donando ſpiritus gratiam, quod non poterat Abel juſtus.

22. Multa de his quæſtionibus in aliis noſtris opuſculis & eccleſiaſticis ſermonibus diximus: quoniam fuerunt etiam apud nos quidam, qui ubicumque poterant hæc ſui erroris nova ſemina ſpargerent, quorum nonnullos per miniſterium noſtrum fratrumque noſtrorum, miſericordia Domini ab illa peſte ſanavit. Nec tamen hic deeſſe aliquos arbitror, maxime apud Carthaginem: ſed jam occulte muſſitant, timentes Eccleſiæ fundatiſſimam fidem. Nam unus eorum nomine Celeſtius, in ejuſdem civitatis eccleſia jam ad presbyterii honorem ſubrepere cœperat: ſed fideliſſima libertate fratrum propter has ipſas contra Chriſti gratiam diſputationes uſque ad judicium epiſcopale perductus eſt. Tamen coactus eſt confiteri propter baptizandos parvulos, quod & ipſis redemptio ſit neceſſaria. Ubi quamquam noluerit de originali peccato aliquid expreſſius dicere, tamen ipſo redemptionis nomine non parum ſibi præſcripſit. Unde enim redimendi eſſent, niſi a diaboli poteſtate, in qua eſſe non poſſent, niſi originalis obligatione peccati? Aut quo pretio redimuntur, niſi Chriſti ſanguine, de quo
Matth.26.28. apertiſſime ſcriptum eſt: quod in remiſſionem effuſus ſit peccatorum? Sed quia magis convictus & ab Eccleſia deteſtatus quam correctus & pacatus abſceſſit, veritus ſum ne forte ibi ſit ipſe qui veſtram fidem perturbare conatur. Ideo nominis ipſius commemorationem putavi eſſe faciendam. Sed ſive ipſe ſit, ſive alii conſortes ejus erroris: plures enim ſunt quam ſperare poſſumus, & ubi non redarguuntur, etiam alios ad ſuam ſectam ſeducunt, & ſic crebreſcunt, ut neſciam quo ſint erupturi: nos tamen malumus eos in Eccleſiæ compage ſanari, quam ex illius corpore velut inſanabilia membra reſecari, ſi tamen hoc permittit ipſa neceſſitas. Timendum eſt enim, ne plura putreſcant dum putribus parcitur. Potens eſt autem miſericordia Domini noſtri, quæ potius eos ab hac peſte liberet: quod ſine dubio faciet, ſi fideliter ad-
Joël 2.32. vertant teneantque quod ſcriptum eſt: *Qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit*.

CAP. IV. Reſpondet ad quęſtionem 4 de abdicandis facultatibus.

23. Audi jam pauca de divitibus, quod in epiſtola tua ſequitur inquirendum. Hoc enim poſuiſti illos dicere: *Divitem manentem in divitiis ſuis, regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit, nec ei prodeſſe ſi forte ex ipſis divitiis mandata fecerit*. Evaſerunt iſtorum diſputationes patres noſtri Abraham & Iſaac & Jacob, qui tanto ante ex hac vita migrarunt. Habebant quippe hi omnes non paucas divitias, ſicut fideliſſima ſcriptura teſtatur: multos tamen ven-
Matth.8.11. turos ab Oriente & Occidente, & non ſupra ipſos, vel extra ipſos; ſed

ſed cum ipſis recubituros in regno cælorum, ille ipſe qui propter nos factus eſt pauper cum vere dives eſſet veraciſſima promiſſione prædixit. Et quamvis ſuperbus dives, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide mortuus apud inferos torqueretur: tamen ſi pauperis ulceroſi, qui ante januam ejus contemptus jacebat miſeratus fuiſſet, mereretur & ipſe miſericordiam. Et ſi pauperi illi meritum eſſet inopia non juſtitia, non utique ab angelis in Abrahæ gremium, qui dives hic fuerat, tolleretur. Sed ut nobis oſtenderetur, nec in iſto paupertatem per ſeipſam divinitus honoratam, nec in illo divitias fuiſſe damnatas; ſed in iſto pietatem, in illo impietatem ſuos exitus habuiſſe: ſic ſuſcepit impium divitem cruciatus ignis, ut tamen pium pauperem ſuſciperet ſinus divitis. Qui ſane quum hic dives viveret, divitias ſic habebat, & eas præ Dei præceptis tam parvipendebat, ut etiam ipſius filii immolatione nollet offendere Deum jubentem, quem ſuarum divitiarum, & ſperabat & optabat heredem. Gen. 22. 10.

24. Hic utique dicunt, ideo patres antiquos non vendidiſſe omnia quæ habebant, & dediſſe pauperibus, quia hoc eis non præceperat Dominus. Nondum enim revelato Teſtamento novo, quod non fieri niſi plenitudine temporis oportebat, nec eorum virtus fuerat revelanda, qua virtute hoc eos facillime poſſe, Deus in eorum cordibus noverat, qui teſtimonium illis tam inſigne perhibebat, ut cum ſit omnium ſanctorum Deus, tamquam de præcipuis amicis ſuis dicere dignaretur: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob: hoc mihi nomen eſt in æternum*. Poſtea vero quam magnum pietatis ſacramentum manifeſtatum eſt in carne, & vocandis omnibus gentibus Chriſti adventus illuxit, in quem etiam illi patres crediderant; ſed hujus fidei olivam ſuo tempore manifeſtandam, in illius arboris de qua Apoſtolus loquitur, tamquam radice ſervabant, dictum eſt diviti: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis, & veni ſequere me*. Exodi 3. 15. Rom. 11. 17. Matth. 19. 21.

25. Hæc ſi dicunt, videntur aliquid rationabiliter dicere. Sed totum audiant, totum advertant, non in parte aures aperiant, in parte ſurdeſcant. Cui enim Dominus hæc præcepit? Profecto illi diviti, qui vitæ æternæ conſequendæ conſilium quærebat accipere. Hoc enim Domino dixerat: *Quid faciam, ut vitam æternam conſequar*? Ille autem non ei reſpondit, ſi vis venire ad vitam, vade, vende omnia quæ habes; ſed: *Si vis venire ad vitam, ſerva mandata*. Quæ juvenis cum ſibi a Domino ex lege commemorata ſe ſervaſſe dixiſſet, & quæſiiſſet quid adhuc ſibi deeſſet, reſponſum accepit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Et ne ſe illa, quæ multum amabat, hoc modo perdere exiſtimaret, *& habebis*, inquit, *theſaurum in cælis*. Deinde addidit, *& veni ſequere me*: ne cuiquam, quum hæc fecerit, aliquid prodeſſe exiſtimetur, ſi non ſequitur Chriſtum. At ille quidem triſtis abſceſſit, qui viderit quemadmodum illa legis mandata ſervaverat: puto enim quod ſe arrogantius quam verius ſervaſſe reſponderat. Verumtamen magiſter bonus mandata legis ab iſta excellentiore perfectione diſtinxit. Ibi Matth. 19. 16. Ibid. 21. Marci 10. 21. Luc. 18. 22.

enim dixit: *Si vis venire ad vitam ſerva mandata*: hic autem: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes*, &c. Cur ergo negamus divites, quamvis ab illa perfectione abſint, venire tamen ad vitam, ſi mandata ſervaverint, & dederint ut detur illis, & dimiſerint ut dimittatur illis?

1.Tim. 6. 17. 18.& 19. 26. Credimus enim miniſtrum novi Teſtamenti fuiſſe apoſtolum Paulum, quum ſcribens ad Timotheum diceret: *Præcipe divitibus hujus mundi non ſuperbe ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum; ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundanter ad fruendum. Benefaciant, divites ſint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant æternam vitam*: de qua & illi adoleſcenti dictum eſt: *ſi vis venire ad vitam*. Puto quod iſta præcipiens, divites inſtruebat, non fallebat Apoſtolus: qui non ait: præcipe divitibus hujus mundi, ut vendant omnia quæ habent, dent pauperibus, & ſequantur Dominum; ſed, *non ſuperbe ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum*. Iſta ſuperbia divitem illum, qui jacentem ante januam ſuam contemnebat pauperem juſtum, & iſta ſpes in incerto divitiarum, qua ſe propter purpuram, byſſum, & epulas ſplendidas beatum putabat, non ipſæ divitiæ perduxerunt ad inferni tormenta.

Matth.19.23. 24. 27. An forte quia Dominus adjunxit, & dixit: *Amen dico vobis, difficile dives intrabit in regnum cælorum: & iterum dico vobis, facilius intrabit camelus per foramen acus, quam dives in regnum cælorum*: ideo putant iſti divitem, etiamſi faciat iſta quæ divitibus præcipienda ſcripſit Apoſtolus, in regnum cælorum intrare non poſſe? Quid ergo eſt? Utrum Apoſtolus contra Dominum loquitur, an iſti neſciunt quid loquuntur? Quid horum credat, eligat Chriſtianus. Puto melius nos credere, iſtos neſcire quid loquantur, quam Paulum contra Dominum loqui. Deinde cur non in conſequentibus etiam ipſum Dominum audiunt dicentem diſcipulis pro miſeria divitum contriſtatis: *Quod hominibus impoſſibile eſt, Deo facile eſt*? (Matth.19.26.)

28. Sed ideo, inquiunt, hoc dictum eſt, quia futurum erat ut audito evangelio, divites vendito patrimonio erogatoque pauperibus Dominum ſequerentur, & intrarent in regnum cælorum, atque ita fieret quod difficile videbatur; non ut manentes in divitiis ſuis, præcepta Apoſtoli cuſtodiendo, id eſt non ſuperbe ſapiendo, neque ſperando in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, bene faciendo, facile tribuendo, & communicando indigentibus veram apprehendant vitam; ſed etiam iſta præcepta apoſtolica venditis omnibus ſuis rebus implerent.

29. Hæc ſi dicunt, ſcio quippe eos illa dicere non attendunt primitus quemadmodum Dominus contra eorum dogma ſuam gratiam prædicaverit. Non enim ait: quod hominibus impoſſibile videtur, facile eſt hominibus ſi voluerint; ſed: *Quod hominibus*, inquit, *impoſſibile eſt, Deo facile eſt*: oſtendens quando iſta recte fiunt, non fieri hominis potentia; ſed Dei gratia. Hoc ergo attendant iſti, etſi reprehendunt eos, qui gloriantur in divitiis ſuis, caveant ipſi in ſua virtute confidere. Si-
Pſalm.48. 7. mul enim utrique reprehenduntur in pſalmo: *Qui confidunt in virtute ſua, & qui in abundantia divitiarum ſuarum gloriantur*. Audiant itaque

que divites; *Quod hominibus impoſſibile eſt, Deo facile eſt*: & ſive manentes in divitiis ſuis, atque ex eis bona opera facientes, ſive illis venditis, & per indigentias pauperum diſtributis, intrent in regnum cælorum, gratiæ Dei tribuant non propriis viribus bonum ſuum. Quod enim hominibus impoſſibile eſt, non hominibus, ſed Deo facile eſt. Audiant hoc & iſti, & ſi jam omnia ſua, vel vendiderunt, & pauperibus tribuerunt, vel adhuc id agunt atque diſponunt, & hoc modo præparant intrare in regnum cælorum, non hoc tribuant virtuti ſuæ, ſed eidem gratiæ divinæ. Quod enim hominibus impoſſibile eſt, non ipſis; quia & ipſi homines ſunt, ſed Deo facile eſt. Hoc quippe illis & Apoſtolus dicit; *Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Philip.2.12. & 13.
Certe ideo ſe dicunt de ſuis rebus vendendis perfectionis a Domino ſuſcepiſſe conſilium ut ſequantur Dominum, quoniam illic additum eſt, *& veni ſequere me*. Cur ergo in iis bonis quæ faciunt, de ſua tantum voluntate præſumunt, nec audiunt Dominum, quem ſequi ſe dicunt, increpantem atque teſtantem: *Sine me nihil poteſtis facere*? Matth.19.21. Johan. 15.5.

30. Si autem Apoſtolus ita dixit: *Præcipe divitibus hujus mundi, non ſuperbe ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum*, ut vendant omnia, quæ poſſident, & ea pretia diſtribuendo indigentibus, faciant quod ſequitur: *facile tribuant, communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum*, & aliter eos in regnum cælorum intrare poſſe non credit: fallit ergo eos quorum domos tam diligenter doctrinæ ſanitate componit, admonens & præcipiens quales ſe præbere debeant uxores viris, viri uxoribus, filii parentibus, parentes filiis, ſervi dominis, domini ſervis. Nam quomodo hæc agi poſſunt ſine domo, & ſine aliqua re familiari? 1.Tim.6.17.

31. An hoc eos movet, quod ait Dominus: *Quicumque dimiſerit omnia ſua propter me, accipiet in hoc ſæculo centuplum, & in futuro vitam æternam poſſidebit*? Aliud eſt dimiſerit, aliud eſt vendiderit. Nam & in iis quæ dimittenda mandavit, etiam uxor commemorata eſt, quam nullis humanis legibus licet vendere, Chriſti autem legibus nec dimittere, excepta cauſſa fornicationis. Quid ſibi ergo volunt iſta præcepta? (non enim poſſunt inter ſe eſſe contraria): niſi quia occurrit aliquando neceſſitatis articulus, ubi aut uxor dimittatur aut Chriſtus: ut alia omittam, ſi ipſi uxori maritus diſplicuerit Chriſtianus, eique propoſuerit aut a ſe divortium, aut a Chriſto. Hic ille quid eligat niſi Chriſtum, & dimittat uxorem laudabiliter propter Chriſtum. Ambobus quippe Chriſtianis Dominus præcepit ne quiſquam dimittat uxorem, excepta cauſſa fornicationis. Ubi autem quælibet ex eis perſona infidelis eſt, conſilium Apoſtoli attendatur: Ut ſi infidelis conſentit habitare cum viro fideli, vir non dimittat uxorem. Similiter & uxor fidelis virum, ſi cum illa habitare conſenſerit. *Quod ſi infidelis*, inquit, *diſcedit, diſcedat; non eſt enim ſervituti ſubjectus frater aut ſoror in hujuſmodi*; id eſt, ſi infidelis noluerit eſſe cum conjuge fideli, hic agnoſcat fidelis ſuam libertatem, ne ita ſe ſubjectum deputet ſervituti ut ipſam dimittat fidem, ne conjugem amittat infidelem. Matth.19.29. Matth.5.32. 1.Cor.7.12. Verſ.15.

32. Hoc & de filiis atque parentibus, hoc de fratribus & ſororibus in-

intelligitur, propter Chriſtum omnes eſſe dimittendos, quum proponitur iſta conditio, ut Chriſtum dimittat, ſi illos ſecum habere deſiderat. Hoc ergo & de domo atque agris, hoc & de iis rebus quæ jure pecuniario poſſidentur, hoc loco accipiendum eſt. Similiter enim etiam de his non ait: quicumque vendiderit propter me quæcumque licitum eſt vendere; ſed, *quicumque dimiſerit*. Fieri enim poteſt ut dicatur Chriſtiano ab aliqua poteſtate, aut Chriſtianus non eris, aut ſi in hoc permanere volueris, domum, poſſeſſioneſque non habebis. Tunc vero etiam illi divites, qui in ſuis divitiis ſic ſtatuerant permanere, ut ex earum bonis operibus promererentur Deum, hæc dimittant potius propter Chriſtum, quam propter hæc Chriſtum, ut accipiant in hoc ſæculo centuplum, cujus numeri perfectione ſignificantur omnia: (Fidelis quippe hominis totus mundus divitiarum eſt; fiuntque hoc modo quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes): & in futuro ſæculo poſſideant vitam æternam, ne propter iſta dimiſſo Chriſto in mortem præcipitentur æternam.

Prov. 17. poſt verſ. 6. ſecundum 70.

33. Hac quippe lege & conditione, non illi tantum qui mentis excellentia perfectionis conſilium receperunt, ut vendita ſua pauperibus diſtribuerent, & humeris ab omni ſæculi hujus ſarcina liberioribus levem Chriſti ſarcinam ferrent; ſed etiam quiſquis infirmior, & illi glorioſiſſimæ perfectioni minus idoneus, qui tamen meminerit ſe veraciter eſſe Chriſtianum, quum audierit ſibi proponi, quod niſi hæc omnia dimiſerit, dimiſſurus eſt Chriſtum, apprehendet potius turrim fortitudinis a facie inimici: quia quum eam in ſua ædificaret fide, computavit ſumptus quibus perfici poſſet, id eſt eo animo acceſſit ad fidem, ut huic ſæculo non ſolum verbis renuntiaret: quia & ſi emit aliquid, tamquam non poſſidens erat; & ſi utebatur hoc mundo, tamquam non utens erat, non ſperans in incerto divitiarum; ſed in Deo vivo.

34. Quum enim omnis qui renuntiat huic ſæculo, ſine dubio renuntiet omnibus quæ ſunt ejus, ut poſſit Chriſti eſſe diſcipulus: (ipſe enim, quum de ſumptibus ad turris ædificium neceſſariis, & de bello adverſus regem alterum præparando, ſimilitudines præmiſiſſet, adjunxit ſic: *Qui non renuntiat omnibus quæ ſunt ejus, non poteſt meus eſſe diſcipulus*): profecto renuntiat etiam divitiis ſuis, ſi quas habet; aut ſic ut eas omnino non diligens, totas diſtribuat indigentibus, & ſuperfluis exoneretur ſarcinis: aut ſic, ut plus diligens Chriſtum, ſpem ab eis transferat in ipſum, atque ita utatur illis, ut facile tribuens & communicans, theſaurizet in cælo; paratuſque ſit quemadmodum parentes & filios & fratres & uxorem, hoc modo & iſtas relinquere, ſi talis conditio propoſita fuerit, ut niſi dimiſſo Chriſto eas habere non poſſit. Nam ſi aliter huic ſæculo renuntiat, quando accedit ad fidei ſacramentum, facit quod de lapſis beatus Cyprianus ingemit, dicens: *Sæculo verbis ſolis renuntiantes, & non factis*. De hoc quippe dicitur, quum veniente tentatione, magis iſta metuit amittere, quam Chriſtum negare: *Ecce homo qui cæpit ædificare, & non potuit perficere*. Ipſe eſt etiam, qui quum adhuc longe eſſet, adverſarius ejus, miſit legatos quærens pacem; id eſt, nondum affligente, ſed adhuc imminente ac minante tentatione, ut iis non careat, quæ plus diligit, ad relinquendum Chriſtum negandumque conſentit. Et multi ſunt tales, qui etiam putant ſibi ad augendas

Lucæ 14. 33.

Lucæ 14. 30.

opes

opes ſuas, & multiplicanda delectamenta terrena, religionem ſuffragari debere Chriſtianam.

35. Sed non ſunt tales divites Chriſtiani, qui licet iſta teneant, non tamen ab eis ita tenentur, ut hæc Chriſto anteponant; quia veraci corde ſæculo renuntiarunt, ut nullam ſpem in talibus ponant. Hi uxores & filios univerſaſque familias ad Chriſtianam religionem tenendam ſana erudiunt diſciplina. Horum domus hoſpitalitate ferventes, recipiunt juſtum in nomine juſti, ut mercedem juſti accipiant. Frangunt eſurienti panem ſuum, nudum veſtiunt, captivum redimunt, theſaurizant ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Et ſi forte pro fide Chriſti pecuniaria damna perpetienda ſunt, oderunt divitias ſuas: ſi ſuorum orbitates vel ſeparationes pro Chriſto minatur hic mundus, oderunt parentes fratres filios uxores: poſtremo ſi de ipſa hujus corporis vita cum adverſario paciſcendum eſt, ne deſertus deſerat Chriſtus, oderunt inſuper animam ſuam. De iis quippe omnibus mandatum acceperunt, quod aliter diſcipuli Chriſti eſſe non poſſint.

36. Nec tamen quia præceptum eſt eis, ut oderint pro Chriſto & animas ſuas, vendendas eas habent, aut illatis ſibi manibus effundendas; ſed parati ſunt eas amittere pro Chriſti nomine moriendo, ne mortui vivant Chriſtum negando. Sic etiam divitias, ad quas vendendas parati non fuerunt monente Chriſto, ad perdendas eas debent parati eſſe pro Chriſto, ne cum eis pereant perdito Chriſto. Habemus hinc utriuſque ſexus divites clariſſimaſque perſonas martyrii gloria ſublimatas. Ita multi, quos rerum ſuarum venditione piguerat ante perfici, Chriſti imitata paſſione ſunt repente perfecti: & qui nonnullam infirmitatem carnis & ſanguinis ſuis divitiis perfecerunt, ſubito adverſus peccatum pro fide uſque ad ſanguinem certarunt. Quibus autem non provenit corona martyrii, neque illius perfectionis de vendendis rebus ſuis conſilium tam grande tamque præclarum receperunt, & tamen a damnabilibus immunes criminibus eſurientem Chriſtum paverunt, ſitienti potum dederunt, nudum veſtierunt, peregrinantem ſuſceperunt, non ſedebunt quidem cum Chriſto ſublimiter judicaturi; ſed ad ipſius dexteram ſtabunt miſericorditer judicandi. Beati enim miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus. Et judicium ſine miſericordia fiet illi qui non fecit miſericordiam. Superexultat autem miſericordia judicio. Matth.5.7. Jac.2.13.

37. Proinde iſti deſinant contra Scripturas loqui, & in ſuis exhortationibus ad majora ſic excitent, ut minora non damnent. Num enim & ſanctam virginitatem aliter exhortando perſuadere non poſſunt, niſi conjugalia vincula damnaverint, quum docente Apoſtolo, unuſquiſque donum proprium habeat a Deo, alius ſic, alius autem ſic? Ambulent itaque perfectionis viam, venditis omnibus ſuis rebus, & miſericorditer erogatis. Sed ſi vere pauperes Chriſti ſunt, & non ſibi, ſed Chriſto colligunt, infirmiora ejus membra quare puniunt antequam ſedes judiciarias acceperint? Si enim tales erunt, qualibus Dominus dicit: *Sedebitis ſuper duodecim ſedes judicantes duodecim tribus Iſraël*: & de qua- 1.Cor.7.7. Matth.19.28.

1.Cor.6.3. qualibus Apoſtolus dicit: *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus*; præparent ſe potius non criminoſos, ſed religioſos divites recipere in tabernacula æterna, a quibus amici facti ſunt de mammona iniquitatis. Puto enim quod quidam eorum, qui hæc impudenter atque imprudenter garriunt, a divitibus Chriſtianis & piis in ſuis neceſſitatibus ſuſtentantur. Habet enim Eccleſia quodammodo ſuos milites, & quodammodo provinciales. Unde dicit Apoſtolus: *Quis militat ſuis ſtipendiis umquam*? Habet & vineam & plantatores, habet gregem & paſtores. Unde conſequenter dicit: *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte ejus non percipit?* Quamvis talia diſputare, qualia iſti diſputant, non ſit militare, ſed rebellare; non ſit plantare vineam, ſed eradicare; non ſit paſcendos congregare, ſed perdendos a grege ſeparare.

1. Cor. 9. 7.

38. Sicut autem ipſi qui divitum religioſis obſequiis aluntur atque veſtiuntur, (neque enim ad ſuas neceſſitates nihil accipiunt, niſi ab eis qui res ſuas vendunt), non tamen judicantur atque damnantur ab excellentioribus Chriſti membris, qui majori virtute, quam multum commendat Apoſtolus, ſuis ſe manibus tranſigunt: ſic nec iſti damnare debent inferioris meriti Chriſtianos, quorum opibus tranſiguntur; ſed recte vivendo & recte docendo magis eis dicere, ſi nos vobis ſpiritalia ſeminavimus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus? Multo quippe minori impudentia ſervi Dei, qui manuum ſuarum honeſtis operibus venditis vivunt, damnant iſtos a quibus nihil accipiunt, quam iſti qui propter aliquam corporis infirmitatem non valentes manibus operari, damnant eos ipſos, de quorum facultatibus vivunt.

Ibid. 11.

39. Ego qui hæc ſcribo, perfectionem de qua Dominus locutus eſt, quando ait diviti adoleſcenti: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni ſequere me*, vehementer adamavi, & non meis viribus, ſed gratia ipſius adjuvante ſic feci. Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipſi apoſtoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed TOTUM MUNDUM DIMITTIT, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego, quam quiſquam alius homo; ſed magis Deus quam ego. Et ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt: ſic tamen ut præcipue ſana doctrina teneatur, nec eos qui iſta non faciunt, vana contumacia judicemus, dicentes eis nihil prodeſſe quod pudice quamvis conjugaliter vivunt, quod domos ſuas & familias chriſtiane regunt; quod operibus miſericordiæ ſibi theſaurizant in poſterum; ne iſta diſputando non ſcripturarum ſanctarum tractatores, ſed earum accuſatores inveniamur. Quod ideo commemoravi, quoniam iſti quando talia dicere prohibentur ab eis, qui hoc Domini conſilium non cæperunt, reſpondent eos talia diſputari nolle, quoniam vitiis ſuis favent, & dominica præcepta implere detrectant: quaſi non, ut de

Matth. 19. 21.

Auguſtinus omnia dimiſit.

de iis taceam, qui, licet infirmiores, religioſe tamen utuntur divitiis, etiam ipſi cupidi & avari male his utentes, & in terreno theſauro cor luteum figentes, quia & ipſos neceſſe eſt uſque ad finem portet Eccleſia, ſicut illa retia uſque ad littus piſces malos, tolerabiliores in ea ſint quam iſti, qui talia ſermocinando & diſſeminando, ita ſe videri magnos volunt, quia divitias ſuas vel quantulacumque patrimonia ex præcepto Domini vendiderunt, ut ejus hereditatem, quæ uſque ad fines terræ dilatatur atque diffunditur, hac doctrina non ſana perturbare atque evertere moliantur.

40. Unde quia ex hac quidem occaſione, ſed tamen jam breviter dixi, quid etiam de Eccleſia Chriſti in hoc ſæculo ſentiam, id eſt quia uſque ad finem hujus ſæculi neceſſe eſt portet bonos & malos, quoniam & hoc inter tuas quæſtiones interrogaſti, prolixam epiſtolam jam tandem aliquando concludam. Jurationem cave quantum potes. MELIUS quippe nec verum juratur, quam jurandi conſuetudine, & in perjurium ſæpe caditur, & ſemper perjurio propinquatur. Sed illi, quantum aliquos eorum audivi, quid ſit jurare prorſus ignorant: putant enim ſe non jurare, quando in ore habent: *Scit Deus*. Et: *Teſtis eſt Deus*. Et: *Teſtem Deum invoco ſuper animam meam*: quia non dicitur, *per Deum*: & quia talia reperiuntur in apoſtolo Paulo. Sed etiam illa ibi contra eos inventa eſt, quam confitentur eſſe jurationem, ubi ait Apoſtolus: *Quotidie morior, per veſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. In græcis enim codicibus reperitur omnino eſſe hanc jurationem, ne quis in latina lingua hoc ſic intelligat dictum, *per veſtram gloriam*, quomodo dictum eſt, *per meum adventum iterum ad vos*: & multa ſimilia, ubi dicitur, per aliquid, & non eſt juratio. Sed non ideo quia in ſuis litteris juravit Apoſtolus, vir in veritate firmiſſimus, ludus nobis debet eſſe juratio. Multo enim tutius, ut dixi, quantum ad nos attinet, numquam juramus, ut ſit in ore noſtro: *Eſt eſt, non non*, ſicut Dominus monet. Non quia peccatum eſt, verum jurare; ſed quia graviſſimum peccatum eſt, falſum jurare: quo citius cadit, qui conſuevit jurare.

CAP. V. Reſpondet ad quæſtionem ſ. de cavenda juratione.

2. Cor. 12. 2. Rom. 1. 9. Phil. 1. 8. 2. Cor. 1. 23. 1. Cor. 15. 31. Matth. 5. 37.

41. Accepiſti quod mihi videtur: melius exponant iſta meliores: non iſti quorum novi jam ſententiam reprobandam; ſed alii qui veraciter poſſunt. Nam & ego paratior ſum diſcere quam docere; & tu magnum conferes beneficium, ſi ea quæ illic a ſanctis fratribus adverſus iſtorum vaniloquia diſſeruntur, non me facias ignorare. In Domino recte & fideliter vivas, dilectiſſime fili.

DIPLOMA XXV.

Epiſtola Innocentii papæ I. ad Decentium Eugubinum epiſcopum: De ritibus Romanæ Eccleſiæ per Siculos a S. Petro in Chriſti fidem traductos firmiter obſervandis.

Innocentius Decentio epiſcopo Eugubino ſalutem.

Anno 416. *die* 19. *Mart.*

Labbe t. 3. Cōcil. & Couſtant. epiſt. PP.

SI inſtituta eccleſiaſtica, ut ſunt a beatis apoſtolis tradita, integra vellent ſervare domini ſacerdotes, nulla diverſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus, & conſecrationibus haberetur. Sed dum unuſquiſque, non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc æſtimat eſſe tenendum, inde diverſa in diverſis locis, vel eccleſiis aut teneri, aut celebrari videntur; ac fit ſcandalum populis, qui dum neſciunt traditiones antiquas, humana præſumptione corruptas, putant ſibi, aut eccleſiis non convenire, aut ab apoſtolis, vel ab apoſtolicis viris contrarietatem inductam.

Quis enim neſciat, aut non advertat id quod a principe apoſtolorum Petro Romanæ eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuper induci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præſertim quum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam (*a*), inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe eccleſias, niſi eos, quos venerabilis apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes? Aut legant, ſi in his provinciis alius apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi, quod eccleſia Romana cuſtodit (*b*), a qua eos principium accepiſſe, non dubium eſt: ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere. *Et poſt alia ita concludit*. Data 14. Calendas Aprilis, Theodoſio auguſto ſepties, & Palladio (*c*) viris clariſſimis conſulibus.

DI-

(*a*) Quod S. Petrus, ordinatis viris apoſtolicis, gentem Siculam Chriſto genuerit, docet traditio ab utraque Eccleſia, Latina & Græca, ſimul & a patribus ultimæ antiquitatis communiter admiſſa, ut ex propoſito monſtrabimus in Diſſertatione 1. *de primaria inſtitutione Eccleſiæ Siculæ*, quæ ad calcem hujus Voluminis veniet in lucem.

(*b*) Traditiones inſtituta ritus & leges Siciliam per octo prima ſæcula ab eccleſia Romana accepiſſe, plane conſtat ex ſynodis Romæ habitis ſub Symmacho, Gregorio I. Martino I. & Agathone: idque teſtantur ulterius S. Leo magnus, Pelagius II. & antedictus S. Gregorius, quorum teſtimonia exhibuimus in Tractatu: *de divinis Siculorum Officiis*.

(*c*) Id eſt, anno 416. in quem incidit ſeptimus Theodoſii, & primus Palladii conſulatus.

DIPLOMA XXVI.

Epiſtola (a) Paſchaſini epiſcopi Lilybœtani ad S. Leonem papam I. Paſchaſinus de cyclo Paſchali a Leone conſultus, poſt pauca de Siciliæ clade præmiſſa, Alexandrinam ſupputationem, Romana poſthabita, retinendam eſſe probat, tum ex Hebræorum calculo, tum ex miraculo, quod Zoſimi papæ tempore contigit.

Domino vere ſancto atque beatiſſimo ac apoſtolico, mihique poſt Dominum plurimum colendo papæ Leoni Paſchaſinus epiſcopus (*b*).

APoſtolatus veſtri ſcripta diacono Panormitanæ eccleſiæ Silano deferente percepi, quæ nuditati meæ atque ærumnis, quas amariſſima captivitate (*c*) faciente incurri, ſolatium in omnibus atque remedium attulerunt, cæleſti rore meum animum recreantes, atque omne quod triſte fuerat, abſtergentes, domine venerabilis papa. Jubere dignata eſt corona veſtra, ut quod Paſchalis (*d*) ſupputationis veritas anni

Anno 443.

S. Leo poſt epiſtolam 2. edit. Queſnelli.

Tom. I. F 2

(*a*) Epiſtolam hanc, quæ in antiquioribus editionibus trunca erat & mutila, ex Mariano Scoto, Petavio, & Bucherio integram & emendatam publicavit, ſuiſque notis illuſtravit Paſchaſius Queſnel in ſua, qua nos utimur, editione operum S. Leonis.

(*b*) De Paſchaſino epiſcopo Lilybœtano in Sicilia multa dicamus non oportet, quum ejus nomen celebre nimis ſit apud acta concilii Chalcedonenſis, cui ipſe vicaria S. Leonis auctoritate præfuit, necnon, ut de Siculis ſcriptoribus taceam, apud S. Iſidorum, Vener. Bedam, Adonem, Sigibertum, Trithemium, Baronium, Bellarminum, Petavium, Voſſium, Dupinum, Cavem, Oudinum, alioſque ſcriptores & catholicos, & hæreticos. De eodem Paſchaſino redibit ſermo in notis ad Dipl. xxx.

(*c*) Ad Vandalorum in Siciliam excurſionem, in qua ipſe Paſchaſinus captivitatem ſubiit, alludere videtur; quemadmodum cum Adone Viennenſi *de Bell. Vand.* lib. I. cap. 5. putant ſcriptores omnes: pergit itaque ipſe Ado: *Vandali Carthagine capta, Siciliam quoque deleverunt: cujus captivitatis Paſchaſinus Lilybœtanus antiſtes in epiſtola, quam de ratione Paſchatis papæ Leoni ſcripſit, meminit.* Majora de Vandalica in Siciliam expeditione ſcire qui optat, conſulat quæ opportunius dabimus infra in notis ad Dipl. xxxv.

(*d*) Duplex S. Leone papa, controverſia de Paſchatis die definienda exſtitit: altera anno 444. altera anno 455. Ergo S. Leo, ne diverſitas in feſtum iſtud celebrandum irreperet, de utraque viros peritiſſimos, ac potiſſimum Paſchaſinum noſtrum, antequam tempus advenerit, anno ſcilicet 443. & anno 451. conſuluit: bis itaque Paſchaſino ſcripſit Leo, totidemque Leoni Paſchaſinus. De duabus Leoninis epiſtolis prima periit, altera ſupereſt; de Paſchaſinianis autem ſupereſt prima, quam hic publicamus, periit altera. Unde a vero abhorret qui unam controverſiam duodecim annorum metachroniſmo cum altera confundit, vel hanc Paſchaſini reſponſionem ad poſteriorem quæſtionem rejiciens, vel Leonis interrogationem ad priorem litem ſubſtollens; ut erudite ſatis advertit Queſnel huc, & in notis ad epiſt. 68. juxta ejus ordinem; quocum paria ſentit Pagius *in Critica Baron.* ad ann. 453. n. 13. & ſeqq.

anni poſt hunc futuri haberet, ſacroſanctis auribus veſtris exiguitas mea intimaret. Cui præcepto pio inobediens exiſtere non potui, omnino, nec debui. Diutino itaque tractatu, vel ratiocinatione id verum invenimus, quod ab Alexandrinæ eccleſiæ antiſtite beatitudini veſtræ reſcriptum eſt. Nam cum Romana ſupputatio, quæ cyclo concluditur, cujus ipſe, de quo agitur, erit ſexageſimus tertius annus, qui cyclus cœpit a conſulatu (*a*) Antonini & Syagrii, nobis dubietatem afferret, eo quod ſeptimo Calendarum Aprilium die dies dominica, & luna vigeſimaprima incurreret, & iterum nono Calendarum Majarum die (ut rei veritas habet) dominica dies, & luna decimanona obveniret: in hoc ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum, hoc eſt, legalem ſupputationem nos convertimus, quæ cum a Romanis ignoratur, facile errorem incurrunt. Cœpit ergo Ogdoas a conſulatu (*b*) virorum clariſſimorum Ætii iterum & Sigeſvulti, quæ clauditur anno, de quo quæſtio videtur exhorta. Talis ratio hæc eſt. Priores duo ſunt anni communes, tertius Emboliſmalis, quartus & quintus communes, ſextus Emboliſmalis, ſeptimus communis, octavus Emboliſmalis. Pervidet ergo apoſtolatus veſtri prudentia, octavum annum Ogdoadis fieri aliter non poſſe, niſi Emboliſmum teneamus. Quod ſi voluerimus illud, quod ſuperius diximus, id eſt, quod primum incurrit Paſcha ſeptimo Calendarum Aprilium die celebrare communem annum faciemus, & incipiet omnis deinceps ſubſequentium annorum ſupputatio vacillare.

Cap. II. Anni Hebræorum quales? Et ne hoc, quod expoſui, beatitudini veſtræ obſcuritatem aliquam afferat, ſuggerimus communes annos, apud Hebræos duodecim tantum lunas, hoc eſt, dies CCCLIV. habere. Emboliſmos vero lunas tredecim habere, hoc eſt, dies CCCLXXXIIII. Neceſſitate ergo Emboliſmi cogimur id tenere, quod longius eſt, ne a vero deviare videamur. Neque nobis aut novum, aut erraticum videatur, quum dies paſſionis undecimo Calendas Maji occurrat, a qua (ſicut Græcis videtur) Paſcha nomen accepit; licet Hebrææ linguæ interpretes tradant Paſcha tranſitum dici, quod tamen idem & Johannis Evangeliſtæ dicto firmatur, quo ait, quum de paſſione loqueretur: *Quum veniſſet hora, ut tranſiret Jeſus de hoc mundo ad Patrem*. Non ergo nos dies una longius poſita terreat, ne quum hanc vitamus, incurramus errorem ſicut evenit tempore beatæ recordationis Domini mei, prædeceſſoris apoſtolatus veſtri Zoſimi, anno conſulatus (*c*) Honorii Auguſti undecimo, & Conſtantii ſecundo. Tunc enim, quum declinaretur, ne decimo Calendas Maji dies Paſchæ teneretur, celebratum octavo die Calendas Aprilis, id eſt, pro Emboliſmo communis eſt annotatus, & error graviſſimus eſt ortus, in tantum, ut myſterio certo, quod dono ſancti Spiritus miniſtratur, hæc veritas probaretur. Quod

Johan. 13. 1.

(*a*) Scilicet ab anno 382. quando Antoninus & Syagrius conſulatum ſimul geſſerunt.

(*b*) Qui incidit in annum 437.

(*c*) Id eſt anno 417.

Quod propterea credidi exponendum, quia locus ipſe etiam ſancto atque a me venerando fratri meo Libanio diacono notiſſimus eſt. Cujus myſterii miraculum tale eſt.

Quædam viliſſima poſſeſſio, *Meltinas* appellatur in montibus arduis, ac ſilvis denſiſſimis conſtituta, illicque per parva, atque vili opere conſtructa eſt eccleſia. In cujus baptiſterio (*a*) nocte ſacroſancta Paſchali baptizandi hora, quum nullus canalis, nulla ſit fiſtula, nec aqua omnino vicina, fons ex ſe repletur; paucíſque qui fuerint, conſecratis, quum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex ſeſe diſcedit. Tunc ergo, ſicut ſupra diximus, ſub ſanctæ memoriæ Domino quondam meo ac beatiſſimo papa Zoſimo, quum apud Occidentales error ortus fuiſſet, conſuetis lectionibus nocte ſancta diſcuſſis, quum presbyter ſecundum morem baptizandi horam requireret, uſque ad lucem aqua non veniente, non conſecrati, qui baptizandi fuerant, receſſerunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quæ luceſcebat in diem dominicam, decimo die Calendas Maji fons ſacer hora competenti repletus eſt. Evidenti ergo miraculo claruit, Occidentalium partium fuiſſe errorem. Poſſeſſio *Meltinas*. Cap. III. Baptiſterium aqua repletur per miraculum.

Hæc prout potui, vel epiſtolaris brevitas paſſa eſt, jubente apoſtolatu veſtro, reſcripſi: provolutus obſecrans, ut pro mea parvitate, imo pro totius orbis ſtatu, orare dignemini: ut tandem de tot neceſſitatibus liberati, cognoſcamus quoniam ipſe eſt Deus noſter, *qui facit mirabilia ſolus*; Qui jam non tradat beſtiis animas confitentes ſibi; neque amplius patiatur tentari nos, ſupra id quod ferre poſſumus, ſed faciat cum tentatione proventum miſericordem, pro ſua pietate, ut ſuſtinere poſſimus. Orate pro me.

DI-

(*a*) Baptiſteria olim in ſolis cathedralibus eccleſiis conſtructa fuiſſe contendit vir alioquin erudítiſſimus Edmundus Martene, *de antiq. Eccl. rit.* lib. I. cap. I. art. 2. n. 15. At grave ei negotium locus iſte faceſſit, quum in viliſſima poſſeſſione *Meltina* baptiſterium erectum repræſentet. Adi Diſſert. IV. Cap. II. in fine Voluminis.

DIPLOMA XXVII.

Decretalis Epiſtola S. Leonis papæ I. ad epiſcopos Siciliæ alioſque Romani Patriarchatus. De ſervis, & bigamis non ordinandis, de uſura a clericis potiſſimum non exercenda, deque epiſcopo, canonum contemptore, dejiciendo.

Leo epiſcopus urbis Romæ omnibus epiſcopis per Campaniam, Picenum, Tuſciam & univerſas provincias conſtitutis (*a*).

Anno 443. *die* 10. *Oct.* Idem epiſt. 3. alias 1. Ezech. 3. 17.

UT nobis gratulationem facit eccleſiarum ſtatus ſalubri diſpoſitione compoſitus, ita non levi nos mærore contriſtat, quoties aliqua contra conſtituta canonum, eccleſiaſticamque diſciplinam præſumpta, vel commiſſa cognoſcimus: quæ ſi non qua debemus vigilantia reſecemus, illi, qui nos ſpeculatores eſſe voluit, excuſare non poſſumus permittentes ſincerum corpus Eccleſiæ, quod ab omni macula purum cuſtodire debemus, ambientium improba contagione fœdari, cum ipſa ſibi membrorum per diſſimilationem compago non congruat.

Cap. I. Alieni ſervi ordinationem eſſe illicitam. Diſt. 54. *Admittuntur* c. 21. Diſt. 54. *Nullus Sacerdotum* c. 1. 2. Tim. 2. 4.

Admittuntur paſſim ad ordinem ſacrum, quibus nulla natalium (*b*), nulla morum dignitas ſuffragatur: & qui a dominis ſuis libertatem conſequi minime potuerunt, ad faſtigium ſacerdotii, tamquam ſervilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur: & probari Deo poſſe creditur, qui domino ſuo nec dum probare ſe potuit. Duplex itaque in hac parte reatus eſt, quod & ſacrum miniſterium talis conſortii vilitate polluitur, & dominorum, quantum ad illicitæ uſurpationis temeritatem pertinet, jura ſolvuntur. Ab his itaque, fratres cariſſimi, omnes provinciæ veſtræ abſtineant ſacerdotes: & non tantum ab his; ſed ab illis etiam, qui aut origini, aut alicui conditioni obligati ſunt, volumus temperari: niſi forte eorum petitio aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vindicant poteſtatis. Debet enim eſſe immunis ab

(*a*) Hanc epiſtolam ad Siculos quoque datam vult doctiſſimus Tillemont *Hiſtor. Eccl.* tom. 15. in *S. Leone*; quod verum eſſe, nemo ibit inficias, qui Siciliam inter ſuburbicarias provincias recenſitam non ignorat. Conſule quæ expoſuimus in noſtro Tractatu *de divinis Siculorum Officiis*. Cap. 5.

(*b*) Decretum iſtud de irregularitate ſervorum renovavit Gelaſius I. hic Dipl. XXXII. Cap. II. & XIV. Et poſt Gelaſium S. Gregorius magnus, hic Dipl. CCXXXIII. Porro ſervum vinculis dominicæ poteſtatis irretitum, in clericum ordinari vetuit canon apoſtolicus 82. *Servi in clerum non ordinentur ſine domini voluntate*. Immo concilium Aurelianenſe I. anno 511. celebratum Can. 8. ob factam ejuſmodi ſervi ordinationem, damnum præcipit *domino duplici ſatisfactione* eſſe reſarturum, vel ab ordinante ſcienter epiſcopo, vel ab iis, qui eum decipientes, ſervum uti liberum præſentaverunt aut teſtimonio ſuo adjuverunt.

ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus: ut a caſtris dominicis, quibus nomen ejus adſcribitur, nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur.

Qualis vero, quum unicuique conſtiterit natalium honeſtas & morum, eſſe debeat ſacri altaris miniſterio ſociandus, & Apoſtolo nos docente, & divina præceptione didicimus, & canonum regulis, a quibus pleroſque fratrum declinaſſe, & penitus deviaſſe reperimus. Nam conſtat ad ſacerdotium perveniſſe viduarum maritos (*a*), quoſdam etiam quibus fuerint numeroſa conjugia, & ad omnem licentiam vita liberior, ad ſacrum ordinem paſſim patefactis aditibus fuiſſe permiſſos, contra illam beati Apoſtoli vocem, qua talibus exclamat, dicens: *Unius uxoris virum*. Et contra illud antiquæ legis præceptum, quo dicitur, & cavetur: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam*. Hos ergo, quicumque tales admiſſi ſunt, ab eccleſiaſticis officiis, & a ſacerdotali nomine, apoſtolicæ Sedis auctoritate jubemus arceri: nec hoc enim ſibi poterunt vindicare, cujus capaces, per hoc quod illis obſtiterat, non fuerunt. Hujus diſcuſſionis curam nobis ſpecialiter vindicantes, ut ſi qua forſitan de his commiſſa ſunt, corrigantur, nec liceat ultra committi, & ne qua excuſatio de ignoratione naſcatur: quamquam ignorare numquam licuerit ſacerdotem, quod canonum fuerit regulis definitum. Hæc ergo ad provincias veſtras, per Innocentium, Legitimum, & Segetium fratres & coepiſcopos noſtros ſcripta direximus: ut quæ male pullulaſſe noſcuntur, radicitus evellantur: & meſſem Dominicam zizania nulla corrumpant. Ita enim fructum uberem, quæ ſunt ſincera, præſtabunt, ſi ea quæ natam ſegetem enecare conſueverunt, diligentius amputentur.

Cap. II. Viduæ maritum, & qui fuerit pluſquã unius uxoris vir a ſacro miniſterio arcendum. 1.Tim. 3. 2. Tit. 1.6. Levit. 21. 14. 1.Tim. 3. 2. Levit. 21. 14.

Nec hoc quoque prætereundum eſſe duximus, quoſdam lucri turpis cupiditate captos uſurariam exercere pecuniam (*b*), & fenore velle diteſcere. Quod nos, non dicam in eos, qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed in laicos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acrius in iis, qui fuerint confutati, decernimus: ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

Cap. III. Uſura laicis, & clericis interdicta. 14. quæſt. 4. *Nec hoc prætereundũ* c. 7.

Illud

(*a*) De irregularitate ex bigamia ob matrimonium cum vidua, aut cum pluribus uxoribus diſertiſſime pleniſſimeque agit Gelaſius in ſua ad epiſcopos Siciliæ epiſtola, hic Dipl. XXXII. Cap. II. III. & XXII.

(*b*) Uſura numquam fuit laicis vel clericis permiſſa: quia, ut dicitur in concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. celebrato, eam *utriuſque Teſtamenti pagina deteſtatur*. Clericos feneratores præterea inſectantur concilia, Arelatenſe I. Nicænum I. Laodicenum, Carthaginenſe I. Aquiſgranenſe, & Pariſienſe IV. cum aliis, quæ inde celebrata ſunt, una cum decreto Gelaſii I. hic Dipl. XXXII. Cap. XV. In laicos vero acerbe invehuntur ultimæ antiquitatis leges ſanctiſſimæ, referente S. Auguſtino epiſt. 153. alias 54. *Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ leges & judices reddi jubent? An crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fenore?*

Cap. iv. Nec ſuo, nec alieno nomine fenus exerceat clericus. Diſt. 46. *ſicut non ſuo* c. 10.

Illud etiam duximus præmonendum, ut ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine, aliquis clericorum exercere fenus attentet: indecens enim eſt, crimen ſuum commodis alienis impendere. Fenus autem hoc ſolum aſpicere & exercere debemus, ut quod hic miſericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum manſura retribuet, recipere valeamus.

Cap. v. Epiſcopus, canones infringēs, dejiciatur. Diſt. 19. c. 1. *Si Rom. Pont.* §. *Quibus ad hæc.* Codex decretalium.

Hoc itaque admonitio noſtra denunciat, quod ſi quis fratrum (*a*) contra hæc conſtituta venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum, nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ. Ne quid vero ſit, quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omniá decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus: ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Data ſexto idus Octobris, Maximo iterum, & Paterno viris clariſſimis conſulibus (*b*).

DIPLOMA XXVIII.

Exemplum documentorum Ravennatum pro fundis Sicilienſibus, ſecundum duplicem variam editionem Benedicti Bacchinii, & Johannis Mabillonii (*c*).

Anno 444. Murator. t. 2. Rer. Ital. Scriptor. pag. 199.

Editio Bacchinii.

.... & Conductores, vel homines noſtri .... vena ..... feliciter ...... Siciliam perveneris duodecimæ, & tertiædecimæ Indictionis .... Maſſæ Fidilianæ, quam ille .... profligavit diſcuſſis omnibus .... undecima Indictione ...... ecies rationes, ut quidquid per illius negligentiam perditum, vel corruptum eſt, tua induſtria corrigatur, atque nobis reformetur, nihilominus .... pro-

Editio Mabillonii.

Commonitorium Theodoſii junioris pro Siſinnio, cui res a Tranquillo extortæ fuerant, ſed per Pyrrum Tribunum juſſu imperatoris reſtitutæ. Datum conſulatu Theodoſii junioris, & Albini.

dem

(*a*) Confer cum Dipl. xxxii. Cap. xxviii.

(*b*) Id eſt anno Chriſti 443.

(*c*) Documenta hujuſmodi primum publicavit Johannes Mabillonius in Appendice operis *de Re Diplomat.* inde

. . . . profic . . . . . . aut . . . . ipſa ra . . . . dem relictis ſcire poſſimus ſi . . . d . . . . a procur . . . . . ut dum a nobis alius fuerit directus fide induſtriæ ruæ . . . . noſtræ . . . . Ante omnia de Fundo Pacilaico, quem Tranquillus in temp . . . . jori quondam ſub certa depactione fiduciæ nexu obligaverat juxta cautionem, quam tecum portaveras, quam ipſi Pyrro refudiſti, qui a proxime . . . . cio quibuſque eorum perſonam ignoramus dicitur occupatus, & licet auct . . . . . . ut domus noſtræ reformetur, vel cer . . . . nis quis tibi ci . . . . functi ſatis . . . . . a debito, ut in hac parte prudentiam tuam oſtend . . . . profligaveris, quoniam cautionem ipſe tecum habes majorem . . . . quam tibi adquiras, quos ſolidos cum penſione quartædecimæ Indictionis de præteritis tem-

Tom. I. (po-

. . . . *dem relictis ſcire poſſemus . . . . ut dum a nobis alius fuerit directus, fidei, induſtriæque . . . . . noſter . . . . Ante omnia de Fundo Pacilaico, quam Tranquillum in temp . . . . ori quondam ſub depactione fiduciæ nexu obligaverat juxta . . . . . nem, quam tecum paraveras, quam ipſi Pyrro refudiſti, quia proximo . . . neſcio quibus, quorum perſonam ignoramus, dicitur occupatum elic. auct . . . . ut domui noſtræ reformetur, vel cer . . . . . . quis vel obvi . . . . facti ſatisfacit debito: ut in hac parte prudentiam tuam oſten . . . . profligaveras, quoniam cautionem ipſe tecum habes majorem . . . . . . tibi acquiras, quos ſolidos cum penſiones quartædecimæ Indictionis præſentis temporibus quidquid ſolicitudine tua exactum fuerit . . . . e deferas, vel certe fide, & periculo . . . . di . . . bus*

G *cum*

Fundus Pacilaicus.

---

de cum altera ſimul varia lectione recudit Benedictus Bacchinius in Appendice *ad lib. Pontif. Eccleſ. Ravenn.* & ex eo Ludovicus Antonius Muratorius tom. 2. *Rer. Italic. Script.* Quum uterque codex mutilus inventus ſit, nullatenus percipi poteſt integer ſcripturæ ſenſus; duo nihilominus plane liquent; occaſio ſcilicet, & tempus inſcriptionis: atque ad primum quod attinet, agitur in hac prolapſæ antiquitatis tabula de patrimonio eccleſiæ Ravennatis in Sicilia; quod vero ad tempus ſpectat, ex nota conſulum, Theodoſii, & Albini annum æræ vulgaris 444. deſignari, non dubium eſt. Quatuor in eodem exemplo continentur epiſtolæ: prior Siſinnio, qui poſt Pyrrhi tribuni receſſum patrimonio regendo præerat, ſcripta videtur; altera hominibus fundos ejuſdem eccleſiæ colentibus; tertia Eleutherioni, & Zoſimo conductoribus præcipuis; quarta demum omnibus ſimul colonis, ut ipſi Siſinnio obediant, & rationem accipiant mittendorum redituum Ravennam. Quo ſignanter anno, quoque auctore patrimonium iſtud eccleſiæ Ravennati acceſſerit, amiſſis jam antiquitatis monumentis, certo definiri non poteſt. Octavius Cajetanus, aliique ex ſcriptoribus noſtris, quod S. Urſum antiſtitem Ravennatem natione Siculum fuiſſe crediderint, facile aſſerere potuerunt, ab eo patrimonium Siculum eccleſiæ Ravennati fuiſſe collatum. Aſt, ut veritatem candide fatear, non perinde atque ſcriptores noſtrales, de patria S. Urſi ſentit Agnellus ſcriptor antiquus & gravis in lib. *Præſul. Ravenn.* Is enim vitam S. Petri XVII. epiſcopi illuſtrans, perhibet, ipſum S. Petrum, S. Urſum, omneſque retro epiſcopos e partibus Syriæ veniſſe. Ceterum de eodem patrimonio agitur quoque in Dipl. CCXI. & CCLXIX.

poribus quidquid ſolicitudine tua exactum fuerit .... e deferas, vel certe .... periculo ...... di ...... idoneos .... bus ... . omnia documenta, quæ Pyrrus egerat diriges debit .... rigoris ſervata juſtitia exiges, ut cum nobis ſatisfactum fuerit de ... ... nu ejus habita moderatione judicare poſſimus, quæque tamen ...... ſolertia, ut omnia requirantur, ne in aliquo nobis, aut ſecundæ ſententiæ .... diſpendium adferatur. Simili modo .... de peculi ..... a Clodian ..... nandum eſſe jubemus ad Conductores etiam, vel Actores, & ſimul ... . ſtri literas dedimus, ut admonitione noſtra pro utilitate noſtri ..... s obſecundent juſſionibus. Vide ergo ne rurſus ..... deſideria .... intercedat, & novitate noſ............. ipſe facias .... pec ...., domui noſtræ neceſſa ..... ſi navis fuerit inventa, quæ ad Ravennatem Portum feliciter opportuno tempore diſponat tranſmit............... .... nias, qui Ravennæ veniat ad urbem mitti curet in horreo noſtro .... ur .... Domini ſubſcribtio.. Opto multos annos bene valea...

cum omnia documenta, quæ Pyrrus egerit, dirigas debita .... rigoris ſervata juſtitia exige; ut cum nobis ſatisfactum fuerit di ... ... ejus habeat moderationem judicare poſſimus

quæque men .... llere jura omnia requirantur, ne in aliquo nobis, aut ſecundæ ſententiæ ..... diſpendium adferatur. Simili modo peculia Clodian ..... andum eſſe jubemus. Ad Conductores etiam, vel Actores & ..... noſtri literas dedimus, ut admonitione noſtra pro utilitate noſtri ...... obſecundent juſſionibus. Vide ergo rurſus, aut traditas, aut deſidera ......, deſideria intercedat, & novi ante nos excogitare ipſe facias ſpec .... domui noſtræ neceſſaria, ſi novis fuerit .... enta, quæ .... dra ...., cum feliciter opportuno tempore diſponat tranſmitte ..... nias, qui Ravennæ ad urbem mittatur, & in horreo noſtro .... tur. Et manu Domini ſubſcriptio. Opto multos annos bene valeatis.

Aliud Reſcriptum ejuſdem argumenti.

Editio Bacchinii.

........s ūr ......it.........

.......no de noſtra incolumitate gaudere, illud etiam admonemus, ut Siſinnio Conductori.... ...di-

Editio Mabillonii.

.... *jus vir īn Aſi* ....

de noſtra incolumitate gaudere. Illud etiam admonemus, ut Siſinnio conducta .... dilianæ mari..

. . . di liana manente diſpoſitione Conductorum veſtrorum ejus juſſionibus . . . . indetis, cui poſt egreſſum Pyrri Tribuni ad omnia, quæ minime egit procuranda Commonitorio nominis noſtri curam mandavimus, ut nemo veſtrum rebellis con . . . . . . ne in exemplo diſciplinæ ultione proſternatur, quidquid enim memo . . . . jus pro noſtris commodis egerit, ex lectione Commonitorii noſtri gratum . . . . eſſe ſcibitis. Opto bene valeatis.

ri . . . . . . diſpoſitione Conductorum veſtrorum ejus juſſionibus quo . . . . indetis, cui poſt egreſſum Pyrri Tribuni ad omnia, quæ minime . . . . . procurant . . . . Commonitorio nominis noſtri curam and . . . . mus, & nemo veſtrum rebellis con . . . . . . ne in exemplo diſciplinæ ultioni proſternatur . . . . . quidquid enim nemo . . . . . . jus pro noſtris commodis egerit, ex lectione Commonitorii noſtri grav . . . . eſſe ſcibitis. Opto bene valeatis.

Item aliud Reſcriptum.

Editio Bacchinii.

. . . . . ricius V. C. Eleutherioni, & Zoſimo Conductoribus . . . . diſſentientibus, utilitates noſtras ab initio laceſſiri non habentur ambiguum . . . . ceſſio . . . s . . . . coegit, ut Pyirrum Tribunum in tempore ad Siciliam miſerimus . . . . triennium reverſus diverſo tempore corporali tædio detentus edocuit ſe . . . . commodis prodeſſe minime potuiſſe, & quia Siſinnium, qui adverſus eundem . . . . illa depoſuerat occaſione adventus ejus præſentem invenit. neceſſe fuit . . . . . omnia agenda, & corrigenda injungeremus, ut univerſa exacte, remota fraude . . . . . . igeret quartædecimæ Indictionis ad nos penſiones, aut ipſe feliciter deferret . . . . . tranſmittet. Quid igitur illi a nobis injunctum ſit, lecto commonitorio noſtro agnoſcetis. Videte ergo memores ſalutis veſtræ, ut pro noſtri utilitatibus . . . . obſe-

Editio Mabillonii.

. . . . . jus Vir in Eleutherioni, & Zoſimo cond . . . . diſſentientibus utilitates noſtras ab initio laceſſiri non habetur ambiguum . . . ceſſionis coegit, ut Pyrrum Tribunum in tempore ad Siciliam miſerem . . . . . triennium reverſus, diverſo tempore corporali tædio detentus edocuit . . . . . omnimodis prodeſſe minime potuiſſe. Et quia Siſinnium, qui adverſus eundem . . . . lla depoſuerat, & occaſionem adventus ejus præſentem invenit, neceſſe fuit . . . . omnia agenda, & corrigenda injungeremus, ut univerſa exacta, remota fraude . . . quartædecimæ Indictionis ad nos penſiones, aut ipſe feliciter deferat . . . . tranſmittat. Quid igitur illi a nobis injunctum ſit, lecto Commonitorio noſtro . . . . . . Videte ergo memores ſalutis veſtræ, ut pro noſtri utilitate obſecundetis . . . . . juſſionibus de Fundo Pacilaico nihilominus actionem memorato Siſinnio manda . . .

ſecundetis juſſionibus. De Fundo Pacilaico nihilominus actionem memorato Siſinnio mandamus. Participato itaque conſilio, & ſolatio agite, ut omnium rerum indemnitas .... r...... It ſubſcribtio B. V.

da......jus. Participato itaque conſilio, & ſolatio agite, ut omnium rerum indemnitas ......is. Item ſubſcriptio. Opto bene valeatis.

Fragmenta de executione Commonitorii Imperialis.

Editio Bacchinii.

......ni Siciliensſis, qui damn.... ab Ind. XII. Conſs. Maximi ter.... Paterni V. V. C. C. conſo.....Bonifacio præſente.....ibus....... ſingulis......dare debent.
Ita.

Maſſa Emporitana. .....Maſſa Emporitana, per Zoſimum, & Ecupriorem --- Solid. ñ DCCLVI.......Fundus Annianus ſive.......rus per ſs ---- Sol. ñ CXLVII.

.....on tritici, ſive hordei, quod ante barbarico fiſco præſt--- Sol. n. LXXV.....Fundi operæ per ſs -- Sol. ñ. LII...... cullius conlocante Siſinnio Sol. ñ V ....ſufradilianenſis per Siſinnium Sol. ñ. CCXLV.

......ſucaſſitoria per Eleutherionem, Zoſimum, & Ebandum --- Sol. ñ D......ſs qui de Ind. XII. inferendi ſunt ſolidi CCCLXXV.

......XIII. Conſs. D. N. Theodoſi Aug. XVIII., & Albini V. C. ingerendi per ſs Pyrrum ---- Sol. IICLXXV.

.....faciunt omnes qui de Indictione XII., & XIII. per Tribunum Pyrrum inferendi ſunt auri Sol. IIICVL., & de reliqua..... ......

......Zoſimi jux.......lationis epiſtolæ Trib. Pyrri --------- Sol. MDCCC.

Editio Mabillonii.

....

ni Siciliensſis... Ind. XII. Conſ. Maximia. reg. patri V. V. C. C., & Bonifacio..........præſente relegi Pyrro........ceſſa Emporitana per Zoſimum, & Cuprionem Sol. n. DCCLVI......

.....dus Ariniara ſive murus per ſupra ſcriptos --- Sol. n. CXLVII.

.......one tritici, ſive hordei, quod ante barbarico fiſco præſtare ---- Sol. n. LXXV..................

XIII. Conſulatu D. N. Theodoſi Aug. XVIII., & Albini V. C. inferendi per ſupraſcriptum Pyrrum --- Solid. ñ. CLXXV.

& de reliqua Zoſimi juxta relationes epiſtulæ Tribuni Pyrri ---- Solid. VIII.

vero

MDCCC. . . . . faciunt tam de penſionibus Ind. XII., & XIII., quam de reliqua Zoſimi, qui . . . . . Tribunum Pyrrum inferendi debent rationibus D. N . . . . V. C. Laurici Solid. ñ VIC. . . . . CX. . . . .
Ravennæ ---- Solidi IIDVXVI. . . .
. . . . tiendus ---- Solidi M. . . . . Gratiano . . . . . Caſsio na . . . . mpori Ind. XII., & XIII.
. . . . . ñ de ---- Solid. MDXXXVII.
unius Ind. ------- Sol. ñ D
cum ſportula, & interpondiis . . . . tuor intulit, vel erogavit Tribunus Pyrrus Solid. IIIIVXVI. . . . . . ent, quos inferre debet Tribunus Pyrrus de ---- Sol. ñ VICL.
. . . . Sol. ñ MDCCCCXXXIIII.
. . . . creto debebit Eleutherionis ------ Sol. ñ IICLXXIIII. requirendum . . . . . opera ſua egerit, vel detulerit.
. . . . vero Tranquilli, qui Siſinnio . . . . ceſſit de ------ Sol. IMDCCCXL.
Conſt. . . . . us . . . . . I . . . . parte Solidos acceptos Siſinnius . . . . . dine Conductoribus . . . . . teſtimoniis adprobavit. -----

vero Tranquilli, qui res Siſinii extorſit, de Solidis n. DCCCXL. *conſtectus legentium . . . . . Solidos acceptos Siſinnius . . . . vidiſſe Conductoribus Eccleſiæ Raven. teſtimoniis approbavit. -----*

DIPLOMA XXIX.

Epiſtola S. Leonis papæ I. ad omnes epiſcopos Siciliæ. Eos reprehendit quod ſollemne baptiſma numeroſius in Epiphania, quam in Paſchate, & Pentecoſte conferrent: hortaturque ut terni ex eis ſingulis annis Romam, celebrandæ ſynodi cauſſa venirent.

Leo epiſcopus, univerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis, in Domino ſalutem.

DIvinis præceptis & apoſtolicis monitis informamur, ut pro omnium eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu: ac ſi quid uſquam reprehenſioni invenitur obnoxium, celeri ſolicitudine, aut ab igno- *Anno* 447. S. Leo ep. 16. alias 4.

25. quæſt. 1. *Divinis præceptis* c. 2. ignorantiæ imperitia, aut a præſumptionis uſurpatione revocemus. Manente enim Dominicæ vocis imperio, quo beatiſſimus apoſtolus Petrus trina repetitione myſticæ ſanctionis imbuitur, ut Chriſti oves; qui Chriſtum diligit, paſcat ipſius Sedis, cui per abundantiam divinæ gratiæ præſumus, reverentia coarctamur, ut periculum deſidiæ, quantum poſſumus, declinemus: ne profeſſio ſummi Apoſtoli, qua ſe
Johan. 21. 17. amatorem Domini eſſe teſtatus eſt, non inveniatur in nobis; quia negligenter paſcens toties commendatum gregem, convincitur ſummum non amare paſtorem.

Cap. I. De baptiſmo nõ in Epiphania, ſed in ſolo feſto Paſchali celebrãdo.

Quum ergo mihi de caritatis veſtræ actibus fraterna affectione ſolicito certis indiciis innotuerit, vos in eo quod inter ſacramenta Eccleſiæ principale eſt, ab apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepare, ita ut baptiſmi ſacramentum numeroſius in die Epiphaniæ (*a*), quam in Paſchali tempore celebretis, miror vos, vel præceſſores veſtros tam irrationabilem novitatem uſurpare potuiſſe, ut confuſo temporis utriuſque myſterio, nullam eſſe differentiam crederetis inter diem, quo adoratus eſt Chriſtus a Magis, & diem quo reſurrexit Chriſtus a mortuis. Quam culpam nullo modo potuiſſetis incidere, ſi unde conſecrationem honoris accipitis, inde legem totius obſervantiæ (*b*) ſumeretis: & beati Petri apoſtoli Sedes, quæ vobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet eccleſiaſticæ magiſtra rationis. A cujus vos regulis receſſiſſe minore poſſet æquanimitate tolerari, ſi aliqua commonitionis noſtræ increpatio præceſſiſſet. Nunc autem quia non deſperatur correctio, manſuetudo ſervanda eſt. Et licet vix ferenda ſit in ſacerdotibus excuſatio, quæ prætendat inſcientiam, malumus tamen & cenſuram neceſſariam temperare, & ratione vos apertiſſimæ veritatis inſtruere.

Cap. II. De ſervanda temporum, & myſteriorum diſtinctione.

Semper quidem in æterno conſilio Dei manſit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio: ſed ordo rerum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum temporaliter gerendarum in incarnatione Verbi ſumpſit exordium. Unde aliud tempus eſt, quo, annunciante Angelo, beata Virgo Maria fæcundandam ſe per Spiritum ſanctum credidit, &
Luc. 1. 26. concepit; aliud, quo ſalva integritate virginea, puer editus exultante
Luc. 2. 7. gaudio cæleſtium miniſtrorum paſtoribus indicatur; aliud, quo infans
Luc. 2. 21. circumciditur; aliud, quo hoſtia pro eo legalis offertur; aliud, quo tres
Verſ. 24. Magi claritate novi ſideris incitati, in Bethleem ab Oriente perveniunt,
Matth. 2. 1. & adoratum parvulum myſtica munerum oblatione venerantur. Nec ii-
Verſ. 15. dem ſunt dies, quibus impio Herodi, ordinata divinitus in Ægyptum
Verſ. 20. tranſ-

(*a*) Notabilis eſt præſens epiſtola ad intelligendum non omnes olim dies, quemadmodum hodie, ſed duas ſolummodo feſtivitates, ſcilicet Paſchæ, & Pentecoſtes, in toto integro anno ad celebrandum baptiſma ſollemne ab eccleſia Romana, aliiſque ei adjacentibus deſignatas fuiſſe. De quo argumento aptius ſumus acturi in Diſſert. IV. Cap. I.

(*b*) Vel ex hoc tantum loco plane conſtat inſeparabilem ab initio fuiſſe connexionem Romanos inter & Siculos in adhibendis eccleſiaſticis ritibus: quod abſque ulteriori teſtimonio præterea docent Innocentius papa I. epiſt. I. ad Decentium Eugubinum epiſcopum, hic Dipl. XXV. & Pelagius papa II. quem laudat & ſequitur S. Gregorius magnus epiſt. 44. lib. I.

tranſlatione ſubtractus eſt, vel quibus ab Ægypto in Galilæam perſecutore mortuo, revocatus eſt. Inter has autem diſpenſationum varietates, accedunt augmenta corporea: creſcit Dominus, ſicut Evangeliſta teſtatur, profectibus ætatis & gratiæ, per dies Paſchæ in templum Jeruſalem cum parentibus venit, & cum abeſſet a ſocietate redeuntium, ſedens cum ſenioribus, & inter admirantes magiſtros diſputans invenitur, rationemque remanſionis ſuæ reddens: *Quid eſt*, inquit, *quod me quærebatis? Neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* ſignificans, ejus ſe eſſe filium, cujus eſſet & templum. Jam vero quum in annis majoribus apertius declarandus, baptiſmum præcurſoris ſui Johannis expetiit, quid deitatis ejus remanſit ambiguum, quando baptizato Domino Jeſu Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper eum deſcendit, & manſit, audita de cælis Patris voce, dicentis: *Tu es filius meus dilectus, in te bene complacui.* Quæ omnia ideo, quanta potuimus brevitate, perſtrinximus, ut notum ſit dilectioni veſtræ, univerſos Chriſti dies innumeris conſecratos fuiſſe virtutibus, & in cunctis ejus actionibus ſacramentorum myſteria coruſcaſſe; ſed aliter quidque ſignis denunciari, aliter rebus impleri; nec quæcumque numerantur in operibus Salvatoris, ad tempus poſſe pertinere baptiſmatis. Nam ſi etiam illa, quæ poſt beati Johannis lavacrum a Domino geſta cognovimus, ſub indiſcreto honore colamus, omnia tempora continuatis erunt deputanda feſtis, quia omnia ſunt plena miraculis. Verum quia Spiritus ſapientiæ & intellectus ita apoſtolos, & totius Eccleſiæ erudivit magiſtros, ut in Chriſtiana obſervantia nihil inordinatum, nihil pateretur eſſe confuſum; diſcernendæ ſunt cauſſæ ſollemnitatum, & in omnibus inſtitutis patrum principumque noſtrorum rationabilis ſervanda diſtinctio: quia non aliter unus grex & unus paſtor ſumus, niſi quemadmodum Apoſtolus docet: *Id ipſum dicamus omnes: Simus autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia.*

Luc. 2. 52. Verſ. 41. Verſ. 49. Matth. 3. 16. Luc. 3. 22. 1. Cor. 1. 10.

Quamvis ergo & illa, quæ ad humilitatem, & illa quæ ad gloriam pertinent Chriſti, in unam concurrant eamdemque perſonam, totumque quidquid in illo & virtutis divinæ eſt & infirmitatis humanæ, ad noſtræ reparationis tendat effectum; proprie tamen in morte crucifixi, & in reſurrectione mortui, potentia baptiſmatis novam creaturam condit ex veteri: ut in renaſcentibus, & mors Chriſti operetur, & vita, dicente beato Apoſtolo: *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodo ſurrexit Chriſtus a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*: & cætera, quæ latius magiſter gentium ad commendandum ſacramentum baptiſmatis diſputavit: ut appareret ex hujus doctrinæ ſpiritu, regenerandis filiis hominum, & in

CAP. III. Cur in ſola Paſchæ, & Pentecoſtes ſollemnitate baptizetur. De conſecr. Diſt. 4. *Proprie in morte.* c. 13. Rom. 6. 3.

lib. 1. ad Petrum ſubdiaconum Siciliæ, hic Dipl. LXIX. Conſule Tractatum noſtrum *de divinis Siculorum Officiis*.

in Dei filios adoptandis, illum diem eſſe & illud tempus electum, in quo per ſimilitudinem formamque myſterii, ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipſo ſunt capite geſta congruerent: dum in baptiſmatis regula, & mors intervenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio (*a*), & ab aquis elevatio, reſurgentis inſtar eſt de ſepulcro. Ipſa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum eſſe legitimum diem, in quo orta eſt, & virtus muneris, & ſpecies actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, poſtea quam reſurrexit a mortuis, diſcipulis ſuis, in quibus omnes eccleſiarum præſules docebantur, & formam & poteſtatem tradidit ba-
Math.28.19. ptizandi, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*. De quo utique eos etiam ante paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi proprie voluiſſet intelligi regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe. Additur ſane huic obſervantiæ, etiam Pentecoſtes ex adventu Spirtus ſancti ſacrata ſollemnitas, quæ de Paſchalis feſti pendet articulo. Et quum ad alios dies alia feſta pertineant, hæc ſemper ad eum diem, qui reſurrectione Domini eſt inſignis, occurrit: porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, & eos, quos a die Paſchæ aut moleſtia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas intercluſit, invitans, ut quibuslibet neceſſitatibus impediti, deſiderii ſui effectum
Johan.14.16. dono ſancti Spiritus conſequantur. Ipſe enim unigenitus Dei in fide
Johan.16.13. credentium, & in virtute operum nullam inter ſe & Spiritum ſanctum voluit eſſe diſtantiam: quia nulla eſt diverſitas in natura, dicens: *Rogabo ego Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut vobiſcum ſit in æternum Spiritus veritatis*. Et iterum: *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret univerſa, quæcumque dixi vobis*. Et iterum: *Quum venerit ille Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem verita-*
Cap. iv. *tem*. Quum itaque veritas Chriſtus ſit; & Spiritus ſanctus, ſpiritus veritatis, nomenque Paracleti utrique ſit proprium; non diſſimile eſt feſtum, ubi unum eſt ſacramentum.

Ex apoſtolico exemplo baptiſma in Pẽtecoſte celebrari.

De conſecr. Diſt. 4. *Proprie in morte* §. *Hoc autem* c. 13.

Hoc autem nos, non ex noſtra perſuaſione defendere, ſed ex apoſtolica auctoritate ſervare, ſatis idoneo probamus exemplo, ſequentes beatum apoſtolum Petrum, qui in ipſo die, quo omnem credentium numerum promiſſus Spiritus ſancti replevit adventus, trium millium populum, ſua prædicatione converſum, lavacro baptiſmatis conſecravit. Quod ſancta Scriptura, quæ apoſtolorum actus continet, fi-
Act.2.37. deli hiſtoria docet, dicens: *His auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſ-*

ſio

(*a*) In fine Voluminis Differt. IV. Cap. V. diſciplinam hanc trinæ demerſionis & elevationis diſtincte expoſituri ſumus.

ſto, & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter. Aliis etiam pluribus verbis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Salvamini a generatione iſta prava. Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt illa die animæ circiter tria millia.

Cap. v. In neceſſitatis caſu omni tẽpore baptizãdum. De conſecr. Diſt. 4. *Duo tempora* c.12. De conſecr. Diſt.4. *Si quis neceſſitate* c. 16.

Unde quia manifeſtiſſime patet baptizandis in Eccleſia electis, hæc duo tempora, de quibus locuti ſumus, eſſe legitima; dilectionem veſtram monemus, ut nullos alios dies huic obſervantiæ miſceatis. Quia ſi ſunt alia quoque feſta, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen & maximi ſacramenti cuſtodienda nobis eſt myſtica & rationabilis exemplatio; non interdicta licentia, qua in baptiſmo tribuendo quolibet tempore periclitantibus ſubvenitur. Ita enim ad has duas feſtivitates connexas ſibimet atque cognatas, incolumium & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii, nullo tempore, hoc veræ ſalutis ſingulare præſidium cuiquam denegemus.

Cap. vi. Chriſti ad baptiſma Johannis accedentis myſteriũ. De conſecr. Diſt.4. *Si quis autem Epiph.* Et in Decr. Ivo l.1.

Si quis autem Epiphaniæ feſtivitatem, quæ in ſuo ordine debito honore veneranda eſt, ob hoc æſtimat privilegium habere baptiſmatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptiſmum ſancti Johannis acceſſerit; ſciat illius baptiſmi aliam gratiam, aliam fuiſſe rationem; nec ad eamdem pertinuiſſe virtutem, qua per Spiritum ſanctum renaſcuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*. Dominus enim nullius indigens remiſſione peccati, nec quærens remedium renaſcendi, ſic voluit baptizari, quomodo voluit circumcidi, hoſtiamque pro ſe emundationis offerri: ut qui factus fuerat ex muliere, ſicut Apoſtolus ait, fieret & ſub lege, quam non venerat ſolvere, ſed implere, & implendo finire, ſicut beatus Apoſtolus prædicat dicens: *Finis autem legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*. Baptiſmi autem ſui in ſe condidit ſacramentum, quia *in omnibus primatum tenens* ſe docuit eſſe principium. Et tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptionis & aqua baptiſmatis. Sicut ergo vetus Teſtamentum novi teſtificatio fuit, & *lex per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*: ſic ut diverſa ſacrificia unam hoſtiam reformarunt, & multorum agnorum occiſio illius immolatione finita eſt, de quo dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: ſic & Johannes, non Chriſtus, ſed Chriſti prævius; non ſponſus, ſed ſponſi amicus, fuit adeo fidelis & non ſua quærens, ſed quæ Jeſu Chriſti, ut ſe profiteretur ad ſolvenda calceamenta pedum ejus indignum; quoniam ipſe quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizaturus eſſet *in Spiritu ſancto & igni*: qui duplici poteſtate & vitam redderet, & peccata conſumeret. His itaque, fratres cariſſimi, tot ac tantis exſiſtentibus documentis, quibus omni ambiguitate ſubmota, evidenter agnoſcitis, in baptizandis ele-

Johan.1.13. Matth.3.15. Galat.4.4. Matth.5.17. Rom.10.4. Coloſ.1.18. Johan.19.34. Johan.1.17. Johan.1.29. Matth.3.11. Luc.3.16. Ibid. In Decr. Ivo l.1. De conſecr. Diſt. 4. *Duo tempora* c.12.

electis (a), qui ſecundum apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & jejuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id eſt, Paſcha & Pentecoſten eſſe ſervanda; hoc veſtræ indicimus caritati, ut ab apoſtolicis inſtitutis nullo ulterius recedatis exceſſu. Quia inultum poſt hæc eſſe non poterit, ſi quiſquam apoſtolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

Diſt. 11. *Hoc veſtræ* c. 10.

Cap. VII. De concilio quotanis Romæ celebrando.

Nicæn. Concil. c. 5.

Quare illud primitus pro cuſtodia concordiſſimæ unitatis exigimus, ut, quia ſaluberrime a ſanctis patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis epiſcoporum debere eſſe conventus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium Calend. Octobr. Romam (b), fraterno concilio ſociandi, indiſſimulanter occurrant: quoniam, adjuvante gratia Dei, facilius poterit provideri, ut in eccleſiis Chriſti nulla ſcandala, nulli naſcantur errores, quum coram beatiſſimo apoſtolo Petro id ſemper in commune tractandum fuerit, ut omnia ipſius conſtituta, canonumque decreta apud omnes Domini ſacerdotes inviolata permaneant. Hæc autem, quæ vobis, inſpirante Domino, inſinuanda credidimus, per fratres, & coepiſcopos noſtros Baccillum (c), atque Paſchaſinum (d), ad veſtram volumus notitiam pervenire. Quibus referentibus, cognoſcamus, quam reverenter a vobis apoſtolicæ Sedis inſtituta ſerventur. Data XII. Calend. Novemb. Alipio, & Ardabure viris clariſſimis conſulibus (e).

DI-

(a) De exorciſmis, jejuniis, & catechiſi baptizandorum plane quoque agemus in citata Diſſertatione IV. Cap. IV.

(b) Epiſcopi Siculi, utpote qui eſſent Romano pontifici immediate ſubjecti, Romam bis in anno celebrandæ ſynodi cauſſa veniebant, donec horum incommodo proſpiciens S. Leo, diſpenſatorie indulgeret, ut non utrique concilio, ſed uni tantum ſingulis annis die III. Cal. Octobris celebrando intereſſent: & quidem ſoli tres alternatim, id eſt omnes ſemel in triennio: unde editio Nicolini in textu, & Surii, Crabbi, Sichardi, atque Caniſii ad marginem, hunc locum ita ampliant & concludunt: *Indiſſimulanter concurrant, quod utique laborioſum non eſt, ſi viciſſim inter vos hæc conſuetudo ſervetur*. Iccirco omni ambiguitate ſubmota evidenter agnoſcimus, *novem tunc fuiſſe in Sicilia epiſcopos*. (verba ſunt monachorum Benedictinorum e congregatione S. Mauri in notis ad epiſt. 22. lib. 7. S. Gregor.) Quorum tres uno anno, totidem altero, & reliqui tertio Romam proficiſcebantur. Et mos iſte obtinuit uſque ad tempora S. Gregorii, qui onus hoc ulterius allevavit, præcipiens, ut epiſcopi Siculi *ſemel in quinquennio* Romanum iter aggrederentur. Vide Dipl. CXXXVI.

(c) Quis vero ſit Baccillus iſte, certo affirmari non poteſt, ut advertit Pyrrhus *in Not. Eccl. Lilyb.* ſub n. 2.

(d) Is erat epiſcopus Lilybœtanus, de quo in Dipl. XXVI. & XXX.

(e) Id eſt anno Chriſti 447.

DIPLOMA XXX.

Epiſtola S. Leonis papæ I. ad Paſchaſinum epiſcopum Lilybœtanum. De errore Eutychis, deque Paſchatis die anni 455. & aliis examinandis in œcumenica ſynodo, cui ipſe Paſchaſinus pontificis nomine præſidere debebat.

Leo Paſchaſino epiſcopo (*a*).

Anno 451.

Idem S. Leo epiſt. 68.

Cap. I. Mittit ad eum quam Flaviano ſcripſerat epiſtolam, ut legatus in ſynodo futurus inſtrueretur.

QUamvis non dubitem fraternitati tuæ omnem originem ſcandalorum, quæ de incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti in Orientalibus eccleſiis commota ſunt, ad plenum eſſe comperta; tamen ne quid forte ſolicitudinem tuam latere potuiſſet, epiſtolam noſtram, quam ad ſanctæ memoriæ Flavianum de hac re pleniſſimam miſimus, quamque Eccleſia univerſalis amplectitur, diligentius tibi recenſendam cognoſcendamque direxi: ut intelligens qua plenitudine totius hujus erroris impietas, Deo adjuvante, deſtructa ſit, ipſe quoque eumdem ſpiritum pro tuo in Deum amore ſuſcipias, ſciaſque penitus deteſtandos, qui ſecundum Eutychis impietatem atque dementiam in Domino noſtro unigenito filio Dei ſuſcipientis in ſe reparationem ſalutis humanæ, dicere auſi ſunt duas non eſſe naturas, hoc eſt, perfectæ divinitatis & perfectæ humanitatis; & putant quod poſſint diligentiam noſtram fallere, quum ajunt: Se unam Verbi naturam credere incarnatam: quum utique verbo Dei in divinitate Patris, & ſua, & Spiritus ſancti, una natura ſit; ſuſcepta autem veri-

(*a*) Quod epiſtola hæc in lucem prodierit, gloria tribuenda eſt Paſchaſio Queſnel, qui eam ex M. S. codice cardinalis Grimani primum publici juris effecit. Paſchaſinum per eam S. Leo inſtruit, ut vices ſuas optime gerat in generali concilio contra Eutychetis deliramenta proxime celebrando. Sane quod Paſchaſinus unus ex iis fuerit, qui vicaria auctoritate S. Leonis præfuerunt œcumenicæ ſynodo Nicææ primum convocatæ, Chalcedonem poſtea tranſlatæ, paſſim teſtantur acta ejuſdem Chalcedonenſis ſynodi anno 451. celebratæ, potiſſimum in litteris tertiæ vocationis Dioſcori epiſcopi. Id ipſum abſque ulteriori teſtimonio plane confirmat idem S. Leo ad Marcianum auguſtum ſemel iterum atque tertio ſcribens, id eſt epiſt. 69. 73. & 74. item in epiſt. 70. ad Anatolium epiſcopum, in epiſt. 71. ad Julianum Coenſem epiſcopum, & in epiſt. 72. ad ipſam ſanctam ſynodum. In citata epiſtola 69. rationem reddit S. Leo quamobrem Paſchaſinum noſtrum inter alios ad id opus elegerit: quia ſcilicet e Sicilia veniret, provincia catholicæ veritati religioſiſſime addicta, & cujuſvis erroris atque hæreſis expers: *Fratrem*, inquit, *& coepiſcopum meum Paſchaſinum de ea provincia, quæ videtur eſſe ſecurior, evocatum, qui vicem præſentiæ meæ poſſit implere, direxi.* Eadem repetit in epiſtola 70. ſuperius quoque laudata: *Fratrem & coepiſcopum noſtrum Paſchaſinum nobis probabilem virum de ſecuriore provincia fecimus navigare.* De eodem Paſchaſino agitur in Dipl. XXVI. & XXIX.

tate carnis noſtræ illi inconvertibili ſubſtantiæ noſtram quoque unitam eſſe naturam: nam nec incarnatio dici poſſet, niſi caro ſuſciperetur a verbo. Quæ ſuſceptio tanta & talis unitio eſt, ut a carne animata, non ſolum in partu beatæ Virginis, ſed etiam in conceptu nulla divinitatis ſit credenda diviſio: quoniam in unitate perſonæ divinitas atque humanitas & conceptu Virginis convenit & partu.

Cap. II. Duplicem in Chriſto aſſerit naturam adverſus Eutychen.

Abominanda ergo eſt Eutychis impietas, quæ olim a Patribus in præcedentibus hæreticis damnata atque deſtructa; quod huic ſtultiſſimo homini prodeſſe debuerat: ut quod non poterat ſenſu apprehendere, id præcedenti caveret exemplo; nec ſalutis noſtræ ſingulare ſacramentum, veritatem carnis humanæ in Chriſto Domino noſtro negando, vacuaret. Quoniam ſi vera & perfecta in illo humanitatis natura non eſt, nulla eſt noſtra ſuſceptio; & totum quod credimus, quod docemus, ſecundum ipſius impietatem vanitas eſt atque mendacium. Sed quia nec mentitur veritas, nec paſſibilis eſt divinitas, manet in Deo Verbo utraque ſubſtantia in una perſona, & ita ſalvatorem ſuum Eccleſia confitetur, ut eum & divinitate impaſſibilem, & carne paſſibilem fateatur, dicente Apoſtolo: *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed vivit ex virtute Dei.* (1. Cor. 13. 4.)

Cap. III. Teſtimonia SS. patrum de incarnatione Domini mittit.

Ut autem in omnibus plenius tua ſit inſtructa dilectio, ſanctorum patrum noſtrorum, de ſacramento incarnationis Domini quid ſenſerint, & quid eccleſiis prædicaverint, ut evidenter agnoſceres, aliqua ad dilectionem tuam ſcripta tranſmiſi, quæ noſtri quoque apud Conſtantinopolim cum mea epiſtola allegarunt: & (*a*) totam Conſtantinopolitanam eccleſiam cum monaſteriis omnibus & multis epiſcopis noveris præbuiſſe conſenſum, & ſubſcriptionibus ſuis Neſtorium, atque Eutychen cum ſuis anathematizaſſe dogmatibus. Noveris etiam proxime me epiſtolam Conſtantinopolitani epiſcopi accepiſſe, quæ refert Antiochenum epiſcopum miſſis per provincias ſuas tractoriis univerſos (*b*) epiſcopos & epiſtolæ meæ præbuiſſe conſenſum, & Neſtorium & Eutychen pari ſubſcriptione damnaſſe.

Cap. IV. De Paſchate anni 455. diligentius inquiri poſtulat.

Illud quoque curæ tuæ credimus injungendum, ut quia ratio Paſchalis feſti experientiam tuam non latet, de eo quod in Theophili annotatione invenimus, quodque nos permovet, diligentius requiras illic, atque pertractes cum his qui poſſunt ſupputationis & regulæ iſtius habere peritiam: qualiter quarti anni (*c*) futuri Dominicæ reſurrectionis dies ſit tenendus. Nam cum venturum Paſcha, propitio Deo, decimo Calendarum Aprilium die ſit tenendum, ſequenti autem pridie idus April. Tertio pridie nonas Aprilis; quarto ſanctæ memoriæ Theophilus octavo Calendas Maji conſtituit obſervandum: quod a regula eccleſiaſtica penitus invenimus alienum. In noſtris autem Paſchalibus cyclis, quod bene noſſe dignaris, decimoquinto Calendas Maji

(*a*) Forte *cui*, vel *ei*.
(*b*) Propoſitio *ad*, vel aliquid aliud deeſſe videtur.
(*c*) Id eſt, Chriſti 455. Conſule quæ dedimus in monitis ad Dipl. XXVI.

Maji ejuſdem anni Paſcha celebrandum eſſe ſit ſcriptum. Et ideo, ut modis omnibus ambiguitas auferatur, cum peritis quibuſque diligentius hoc tua ſolicitudo pertractet, ut in futurum hujuſmodi caveamus errorem. Data octavo Calend. Julii Adelphio viro clariſſimo conſule (*a*).

DIPLOMA XXXI.

Epiſtola Juſtini epiſcopi Siciliæ ad Petrum Cnapheum, vulgo Fullonem. De non addenda in Triſagio clauſula illa: Qui crucifixus eſt propter nos.

QUoniam non oportet additionem crucis eſſe in Triſagio, ut non inducas duos filios (*b*). *Anno* 484. Labbe t.5. Cõcil. col.226.

Oportet militem armari contra bellantes, & athletam contraſtantibus obſiſtere. Luctatio autem noſtra non eſt carnalis, neque luctatio corporis unctionibus fit; neque quis vacans a luctatione, coronam habebit deitatis, ſi neglexerit reprehendendis, non anteponere luctationem veritatis. *Si enim quis certat, non coronatur, niſi legitime certaverit*: & arma noſtra non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad demolitionem munimentorum, cogitationes deſtruentia, & omnem altitudinem contra ſcientiam Dei elevatam. Quare tamquam fratrem incito hac monitione, quoniam bonum eſt patribus obedire, & detrahere proprias novitates. Obedias amicabiliter, cariſſime, & argumentis non addas Triſagio duos filios; ſed crede Seraphim, Trinitatem ſimiliter glorificando; & non præter hæc addes langueſcere, vanaglo- 2.Tim.3. 2.Cor.10.

ria,

(*a*) Adelphius, ſeu Flavius Adelphius cum Marciano auguſto anno 451. conſulatum geſſit.

(*b*) Etſi Valeſius *in notis ad Hiſtor. Evagr.* lib. 1. cap. 4. epiſtolam hanc ſuppoſititiam dicat; at eam tamen inter genuina venerandæ antiquitatis monumenta recenſet Pagius *in critica Baron.* ad ann. 485. & ſeqq. erudite rejiciens quotquot ex adverſo exhibentur rationes. Sed nec ipſe Pagius ſatis ſibi cavit, ne quid erroris menti ſuæ accederet: exiſtimat enim, Juſtinum Ciliciæ potius quam Siciliæ epiſcopum fuiſſe: non quod in M. SS. Codd. loco *in Sicilia* ſcriptum invenerit *in Cilicia*; ſed quia Siculis cum Orientalibus nihil commune fuiſſe crediderit; Verum argumentum iſtud tanti non eſt, ut poſthabita antiquorum codicum fide, rem hujuſmodi firmare queat: & quidem ex epiſtolis ſynodi Sardicenſis, Conciliabuli Philippopolitani, S. Athanaſii, Evagrii, & epiſcoporum Ægypti & Libyæ ſuperius exſcriptis jam clare patet quomodo cum Orientalibus in rebus fidei frequenter Siculi communicarent. Et quando tot taleſque auctoritates non ſufficerent, videat ipſe Pagius quidnam apertiſſimæ atteſtationi S. Baſilii magni reſponſurus ſit. Is enim in epiſtola ad Neocæſarienſes, hic Dipl. XVII. loquens de epiſcopis Siculis: *Ad nos*, inquit, *litteras mittunt, & rurſus a nobis accipiunt. Ex quibus litteris, tum quæ illinc afferuntur, tum quæ rurſus vice verſa hinc ad ipſos mittuntur, diſcere vobis licet, nos omnes eſſe unanimes, idemque ſentire.*

ria, peſſimum ſophiſma faciendo, crucem in hymno ponens, multiſque factus cæcus. Quid ergo oculos ruſticorum idiotarum effodis, inſculpens impiorum impietates? Quid Maniam, & Valentinum, & Eutychen armas ad dicendum divinum paſſibile; & magis Paulum Samoſatenum, & Neſtorium, propterea quod in Triſagio addis quaternitatem? Quia quocumque te vertas, quod impium eſt, intellectum pietatis habere non poteſt, ſed plurimarum hæreſum formas oſtendit. Arius enim filium diminuebat, & Eutyches ſimiliter: propter quod & paſſionem addebant divinæ naturæ Filii: ideo non dicebant Filium Homouſion, id eſt, conſubſtantialem, ſicut Eunomius. Si enim jam apud ipſos Pater impaſſibilis eſt, Filius autem divinitate paſſibilis, quomodo conſubſtantialis eſt? Macedonius autem ſeparat a Patre ſolo Spiritum ſanctum, & Neſtorius ſimiliter dividit unum Filium in dualitatem Filiorum: & impoſſibile eſt, ſicut tu dicis, in Triſagio quaternitatem dicere crucifixam, impie addens poſt confeſſionem Trinitatis. Ceſſa igitur ab hujuſmodi tua impia præcipitatione, non addas ſcandalum ſcandalo; & non eris cauſſa perditionis, magis ſimplicium hominum, ne præſidens noſter Felix ſecundum canones ſententiam dicat contra te: & non juverit te dicere: ego utiliter hoc appoſui, crucifixum in Triſagio confiteri. Tolle iniquitatem de univerſo, ne hoc cito multiplicetur: quoniam impium, facile ſuſceptibile eſt: melius autem, non. Suſcipe ergo tamquam fratris tui admonitionem: extingue hæreticorum conſperſionem, & fias paſtor ovium, & non lupus: & ſecutus beatum Proclum, & ipſius revelationem, in campo timoribus exſiſtentibus, deprecative dicas Triſagium ad pauſationem iræ, & ne incites adhuc iram fortis. Si autem non velis tu; fraternitas mea innocens erit, & ego cum ipſis, & qui una mecum de his tibi ſcripſerunt, cuſtodiemus nos ipſos a ſcandalis. Didiciſti
Iſai. 6. ab Iſaia dicere: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: Num crucifixum, inquit, tibi dicere? ſed dicis: Tunc Filius non erat crucifixus, & propter hoc non addidit tunc, crucifixum. Qui ergo nunc Seraphim in Triſagio addiderunt crucifixum, quod tu dicis? Et ſi dicis, non puto. Et ſi neſcis, quomodo non impius es? Etenim & tunc inquit Propheta: paſſiones carnis verbi, & aperte confitetur Triſagium. Propterea quomodo & dicis, ſuſceptam fuiſſe ſynodum Chalcedonenſem, & tamen abſolute, ſicut ipſa tradidit, tu non prædicas Triſagium? ſed inobedis illi, & non timuiſti ipſam dicentem: Qui non ſapit ſic, anathema ſit. Salubriter prædica, vel dic, & ſanus eris: ſi autem non, ſolus hauries mala tua.

DIPLOMA XXXII.

Decretalis epiſtola Gelaſii papæ I. ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos. Continet XXVIII. ſaluberrima decreta.

Dilectiſſimis fratribus univerſis epiſcopis per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam conſtitutis, Gelaſius (*a*).

Anno 494. die 11. Mar.

Labbe t. 5. Cōcil. col. 312.

Cap. I. De inſtitutis eccleſiaſticis moderate pro tēporis qualitate depoſitis.

1. q. 7. *Neceſſaria rerum* c. 6.

NEceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur, & apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur ſic canonum paternorum decreta librare, & retro præſulum, deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus: quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, & reparandis militiæ clericalis officiis, quæ per diverſas Italiæ partes, ita belli famiſque conſumpſit incurſio, ut in multis eccleſiis, (ſicut fratris, & coepiſcopi noſtri Johannis Ravennatis eccleſiæ ſacerdotis frequenti relatione comperimus) uſquequaque deficiente ſervitio miniſtrorum, niſi remittendo paulisper eccleſiaſticis promiſſionibus antiquitus intervalla præfixa remaneant, (ſine quibus adminiſtrari nequeant) ſacris ordinibus eccleſiæ funditus deſtitutæ, atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilii, ſalutare ſubſidium redimendarum deſit animarum: noſque magno reatu ſi tanto coarctante periculo, non aliquatenus videamur innecti.

Cap. II. Ut ubi nulla perurget neceſſitas, cōſtituta patrum inviolata ſerventur.

Diſt. 55. c. *Priſcis.*

Priſcis igitur pro ſui reverentia manentibus conſtitutis; quæ ubi nulla, vel rerum, vel temporum perurget anguſtia, regulariter convenit cuſtodire, eatenus eccleſiis, quæ vel cunctis ſunt privatæ miniſtris, vel ſufficientibus uſque adeo diſpoliatæ ſervitiis, ut plebibus ad ſe pertinentibus divina munera ſupplere non valeant, tam inſtituendi, quam promovendi clericalis obſequii ſic ſpatia diſpenſanda concedimus.

Ut

(*a*) Siculos traditiones inſtituta & leges ab eccleſia Romana, cujus diœceſis erant, accipere conſueviſſe, evidenter probant epiſtolæ, Innocentii papæ I. & S. Leonis magni, hic Dipl. XXV. XXVII. & XXIX. idque ulterius confirmat decretalis hæc epiſtola. Porro Gelaſius ſciens omnes retro pontifices ſedulam curam impendiſſe, ut nullis eccleſia Sicula ritibus moribuſque ſtuderet, niſi quibus utebatur Romana, videnſque Romanam hanc diſciplinam in Sicilia propter bellorum tumultus protritam eſſe ac pene extinctam, ad eam inſtaurandam animum ſuum intendit, hiſce editis XXVIII. ſaluberrimis decretis, directis epiſcopis Siculis, Lucanis pariter, & Brutiis, qui eadem bellorum incommoda ſubierant.

Et ut, quum deſuerint clerici, de monachis eligātur.
Diſt.75.c.*Priſcis*,&Diſt.77. c. *Si quis*.

Ut ſi quis etiam de religioſo propoſito, & diſciplinis monaſterialibus (*a*) eruditus, ad clericale munus accedat, in primis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur, ſi nullo gravi facinore probatur infectus, ſi ſecundam non habuit fortaſſis uxorem, nec a marito relictam ſortitus oſtenditur; ſi pœnitentiam publicam fortaſſis non geſſit, nec ulla corporis parte vitiatus apparet: Si ſervili aut originariæ non eſt conditioni obnoxius: ſi curiæ jam probatur nexibus abſolutus: ſi aſſecutus eſt litteras, ſine quibus vix fortaſſis oſtiarii poſſit implere miniſterium: ut ſi his omnibus, quæ ſunt prædicta, fulcitur, continuo lector, vel notarius (*b*), aut certe defenſor effectus, poſt tres menſes exſiſtat acolythus, maxime ſi huic etas etiam ſuffragatur; ſexto menſe ſubdiaconi nomen accipiat: ac ſi modeſtæ converſationis, honeſtæque voluntatis exiſtit, nono menſe diaconus, completoque anno ſit presbyter: cui tamen, quod annorum interſtitia fuerant collatura; ſancti propoſiti ſponte ſuſcepta doceatur præſtitiſſe devotio.

Cap. III. Si de laicis eligantur ad clerum, quātum temporis obſervetur.
Diſt.77.c.*Monachus* §. *Si vero laicus*.

Si vero de laicis quiſpiam eccleſiaſticis eſt aggregandus officiis, tanto ſolicitus in ſingulis, quæ ſuperius comprehenſa ſunt, hujuſmodi decet examinari perſonam, quantum inter mundanam religioſamque vitam conſtat eſſe diſcriminis; quia utique convenientia Eccleſiæ miniſteria reparanda ſunt, non in convenientibus meritis ingerenda: tantoque magis, quod ſacris aptum poſſit eſſe ſervitiis, in eorum quærendum eſt inſtitutis quantum de tempore, quo fuerant hæc aſſequenda, decerpitur: ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior conſuetudo non contulit; ne per occaſionem ſupplendæ penuriæ clericalis, vitia potius divinis cultibus intuliſſe judicemur, non legitimæ familiæ computemur procuraſſe compendia: quorum promotionibus ſuper anni metas (*c*), ſex menſes nihilo minus ſubrogamus: quoniam, ſicut dictum eſt, diſtare convenit inter perſonam divino cultui deditam, & de laicorum converſatione venientem: quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis eccleſiis, quibus in-

---

(*a*) Interſtitia monachorum, qui quum defuerint clerici ad miniſterium altaris ordinabantur, breviora ſemper admiſit Eccleſia. Id enim promerebatur probata in monaſterio ſanctitas, ut mitigaretur canonum auſteritas, & interſtitiorum tempora minuerentur. Conſule celebrem illam epiſtolm Siricii papæ ad Himerium epiſcopum Tarraconenſem, quæ prima eſt decretalium nullam ſuſpicionem redolentium: nam reliquas omnes iſta vetuſtiores, eruditi paſſim tamquam veras non agnoſcunt.

(*b*) De notariis & defenſoribus Eccleſiæ aliqua dicemus in fine Voluminis Differt. VI. Cap. III. & IV.

(*c*) Gelaſius proſpiciens neceſſitati eccleſiarum, quæ propter bellorum tumultus miniſtris carebant, de præſcriptis interſtitiis laicorum aliquid remiſit. Quæ enim erat primæva ſeveritas interſtitiorum diſtincte exponit epiſtola Siriaci ſuperius laudata Cap. 9. & 10. ex qua diſcimus, quod pueri ſtatim ac baptizati erant, incunctanter lectores fiebant; inde annos pubertatis ingreſſi, acolythi & ſubdiaconi inſtituebantur; poſtea ad ætatem triginta annorum venientes, ad diaconatum provehebantur; inde poſt quinquennium ad presbyteratum, & exactis decem aliis annis, epiſcopatu digni habebantur.

infeſtatione bellorum vel nulla penitus vel exigua remanſerunt, miniſteria renoventur: quatenus his Deo propitio reſtitutis, in eccleſiaſticis gradibus ſubrogandis canonum paternorum vetus forma ſervetur: nec contra eos ulla ratione prævaleat, quod pro accidentis defectus remedio providetur, non adverſus ſcita majorum nova lege proponitur: cæteris eccleſiis ab hac occaſione ceſſantibus quas non ſimili clade vaſtatas, priſtinam faciendis ordinationibus convenit tenere ſententiam quo magis hac opportunitate commoniti, obſervantiam venerandorum canonum propenſius delegamus, ſingulorum gradum conſcientias admonentes, ne in illicitos prorumpere moliantur exceſſus.

Nec fas eſſe confidat quiſque pontificum, bigamos (*a*) aut conjugia ſortientes ab aliis derelicta, ſive quoslibet pœnitentium vel ſine litteris, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiæ publicarumque rerum nexibus implicatos, aut paſſim nulla temporis congruentis expectatione diſcuſſos, divinis ſervituros applicare myſteriis: neque pro ſuo libitu jura ſtudeant aliena pervadere, abſque Sedis apoſtolicæ juſta diſpoſitione mandante.

De bigamis, aliiſq; ad clericatum non applicandis. Diſt. 50. c. *Nõ confidat.*

Baſilicas (*b*) noviter inſtitutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare non audeant, nec ambiant epiſcopi ſibimet vindicare clericos poteſtatis alienæ.

CAP. IV. De baſilicis dedicandis.

Baptizandis, conſignandiſque fidelibus ſacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impoſitis exagitare cupiant renaſcentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil a prædictis prorſus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati redemptionis ſuæ cauſſas adire deſpiciant; certum habentes: quod qui prohibita deprehenſi fuerint admiſiſſe, vel commiſſa non potius ſua ſponte correxerint, periculum ſubituri proprii ſint honoris.

CAP. V. Nihil de baptizandis, cõſignandiſque exigatur. 1. q. 1. c. *Baptizandis.* Matth. 10.

Nec minus etiam presbyteros ultra modum ſuum tendere prohibemus: nec epiſcopali faſtigio debita, ſibimet audacter aſſumere: non conficiendi chriſmatis non conſignationis pontificalis adhibendæ ſibimet arripere facultatem: non, præſente quolibet antiſtite, niſi fortaſſe jubeantur vel orationis, vel actionis ſacræ ſupplendæ ſibi præſumant eſſe licentiam: neque ſub ejus aſpectu, niſi jubeantur aut ſedere præſumant, aut veneranda tractare myſteria. Nec ſibi meminerint ulla ratione concedi, ſine ſummo pontifice, ſubdiaco-

CAP. VI. De presbyteris, ut nihil de his, quæ ſunt epiſcoporum, non præſumant. Diſt. 95. c. *Presbyteros.*

(*a*) Ut bigami, aut viduarum mariti ad miniſterium altaris non ordinarentur, jam legem ediderat S. Leo magnus in ſua decretali epiſtola, hic Dipl. XXVII. Cap. II.

(*b*) Siculorum epiſcopi huic decreto obtemperantes, nullam eccleſiarum dedicationem ſine licentia Romani pontificis inde fecerunt: hanc itaque facultatem a S. Gregorio magno impetrati ſunt, Felix Meſſanenſis, hic Dipl. LXXX. Benenatus Tindaritanus, Dipl. CLXXVIII. Decius Lilybœtanus, Dipl. CCIX. & Johannes Panormitanus, Dipl. CCLXVI.

num (*a*) aut acolythum jus habere faciendi : nec prorſus addubitent, ſi quidquam ad epiſcopale miniſterium ſpecialiter pertinens ſuo motu putaverint exſequendum, continuo ſe presbyterii dignitate & ſacra communione privari. Quod fieri neceſſe eſt, cenſeamus, ſi eorum præſule deferente hujuſmodi fuerit prævaricatio comprobata, nec ipſo eorum epiſcopo a culpa conniventiæ & ultione vacaturo, ſi immoderata facientem diſſimulaverit vindicare.

Cap. vii. Ut diaconi menſuram propriam juxta patrum decreta cuſtodiant. Concil. Nicæn. I. c. 18.

Diaconus quoque propriam conſtituimus ſervare menſuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus : nihil eorum penitus ſuo miniſterio applicare, quæ primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Abſque epiſcopo vel presbytero baptizare (*b*) non audeant, niſi prædictis fortaſſe officiis longius conſtitutis, neceſſitas extrema compellat. Quod & laicis (*c*) Chriſtianis facere plerumque conceditur.

Cap. viii. Quod diaconi in presbyterio reſidere non poſſint.

Non in presbyterio reſidere (*d*), quum divina celebrantur, vel eccleſiaſticus habetur quicumque tractatus. Sacri Corporis (*e*) prærogationem, ſub conſpectu pontificis ſeu presbyteri, niſi his abſentibus, jus non habeant exercendi.

Quum enim decreta venerabilium ſanctionum nos quoque magnopere cuſtodire nitamur, ac ſine eorum diſpendio etiam illa, quæ pro alicujus utilitatis compendio fortaſſe videantur laxanda, credamus.

Cum-

(*a*) Presbyteri ſubdiaconatum, alioſque inferiores ordines conferre vetuſtiori jure ſolebant; id prohibuit Gelaſius, cujus decretum indicat & explicat Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. diſcipl.* tom. I. lib. 2. cap. 23. n. 11.

(*b*) Hocce decretum, ut diaconi baptiſmi ſacramentum non celebrent, niſi urgente neceſſitate, & abſente presbytero, duplici concilio, Eboracenſi, & Londinenſi confirmatum fuit. Eboracenſe enim anno 1195. celebratum Can. 4. *Ut nonniſi*, inquit, *ſumma urgente neceſſitate diaconus baptizet*. Londinenſe autem anno 1200. coactum Can. 3. ſic pergit : *Non liceat diaconibus baptizare, vel pœnitentias dare, niſi duplici neceſſitate, videlicet : quia ſacerdos non poteſt vel abſens eſt, vel ſtulte non vult & mors imminet puero, vel ægro.*

(*c*) Licitum eſſe baptiſmum a laicis collatum, referunt ulterius, Tertullianus *de Baptiſmo* Cap. 17. concilium Eliberitanum Can. 38. & S. Hieronymus *contra Luciferianos*; cujus verba digna ſunt ut exſcribantur : *Baptizare ſi neceſſitas cogat, ſcimus etiam licere laicis.*

(*d*) Diaconos in conſeſſu presbyterorum ſedere, vetant ulterius concilia, Nicænum Can. 18. Laodicenum Can. 20. Carthaginenſe 4. Can. 37. & ſeqq.

(*e*) Ex antiqua Eccleſiæ diſciplina diaconi, urgente neceſſitate, ac obtenta presbyteri licentia, ſacram Euchariſtiam poterant porrigere. *Cogente neceſſitate* (exſcribimus verba concilii Eliberitani Can. 32.) *neceſſe eſt presbyterum communionem præſtare debere, & diaconum, ſi ei juſſerit ſacerdos.* Eadem habet concilium Carthaginenſe 4. Can. 39. *Ut diaconus, præſente presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.* Hanc poteſtatem reſtrinxit Gelaſius, non conſenſum modo, ſed abſentiam quoque presbyteri, & epiſcopi requirens.

Cumque nobis contra ſalutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, & cum Sedes apoſtolica ſuperior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus ſunt præfixa, pio devotoque ſtudeat tenere propoſito; ſatis indignum eſt, quemquam vel pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſervantiam refutare, quam beati Petri Sedem, & ſequi videat, & docere: ſatiſque conveniens ſit, ut totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, ubi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum, dicente Scriptura: *Ordinate in me caritatem*. Et item: *Omnia cum ordine fiant*. Atque iterum Pſalmiſta prædicante: *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus ejus: ponite corda veſtra in virtute ejus, & diſtribuite gradus ejus, ut enarretis in progenies alteras: quoniam hic eſt Deus: Deus noſter in æternum, & ipſe reget nos in ſæcula*. Hic procul dubio, qui in eccleſiaſticarum narratur altitudine dignitatum, & in cujus virtute bonis operibus corda ponenda ſunt, gradibus utique diſtributis, cunctis Deus noſter & rector populis prædicandus eſt Chriſtianis: ubi nemo ſibimet aliquid jam exiſtimet imminutum, quum & de uniuſcujuſque gradus perfectione nihil deperit, & convenienter retinendo, quod cæleſti diſpenſatione collatum eſt, pariter nobis & cognoſcibilem Deum fieri, & tribuit eſſe rectorem. Nam & ſi quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregata ſtrenuitate penſatur: ſi vitæ jam propoſito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum, dummodo illa nullatenus diſſimulata ſubrepant, quorum quodlibet ſi ineſſe claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat eſſe perſonam. Et ſi illa nonnumquam ſinenda ſunt, quæ, ſi ceterorum conſtet integritas, ſola nocere non valeant: illa tamen ſunt magnopere præcavenda, quæ recipi niſi manifeſta de coloratione non poſſint. Ac, ſi ea ipſa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum temporumque cogit intuitus, vel accelerratæ proviſionis reſpectus excuſat: quanto magis illa nullatenus mutilanda ſunt, quæ nec ulla neceſſitas, nec eccleſiaſtica prorſus extorquet utilitas?

Cap. ix. Quod apoſtolica Sedes paternos canones diligenti ſtudio cuſtodiat.

Cant. 2. 1. Cor. 14. Pſalm. 47.

Cap. x. Baptiſma in Paſchate & Pentecoſte dandum.

Baptizandi (*a*) ſibi quiſquam paſſim quocumque tempore nullam credat ineſſe fiduciam, præter Paſchale feſtum, & Pentecoſtes venerabile ſacramentum, excepto dumtaxat graviſſimi languoris incurſu: in quo verendum eſt, ne morbi creſcente periculo, ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotans exitio præventus abſcedat.

Cap. xi. Sacri ordines.

Ordinationes (*b*) etiam presbyterorum & diaconorum, niſi certis temporibus & diebus, exercere non debent, id eſt, quarti menſis je-

(*a*) De tempore, quo priſcis temporibus celebrari debuerat Baptiſmi ſacramentum, aptius agemus in fine Voluminis, Diſſert. IV. Cap. I.

(*b*) Idem tempus ad ſacros ordines ſuſcipiendos, quod huc præſcribit Gelaſius, ordinavit inde Gregorius II. in Epiſt. ad Cler. & Popul. Turing. ubi ſic loquitur: *Ordinationes vero presbyterorum, ſive diaconorum, non niſi quarti, ſeptimi & decimi menſis jejuniis, ſed & ingreſſu quadrageſimali, atque medio veſpere ſabbati noveris celebrandas.*

ſtatis tempo- ribus confe- rendi. Diſt.75.c.final.

jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam quadrageſimalis initis, ac mediana quadrageſimæ die, ſabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas. Nec cujuslibet utilitatis cauſſa, ſeu presbyterum ſeu diaconum his præferre, qui ante ipſos fuerint ordinati.

Cap. xii. Virgines quãdo velandæ. 20.q.1. *Devotis.*

Devotis quoque Deo virginibus (*a*), niſi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paſchalibus, aut in apoſtolorum natalitiis ſacrum minime velamen imponant, niſi forſitan (ſicut de baptiſmate dictum eſt) gravi languore correptis, ne ſine hoc munere de ſæculo exeant, implorantibus non negetur.

Cap. xiii. Ut viduæ nõ velentur.

Viduas (*b*) autem velare pontificum nullus attinet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præſtituit. Non eſt ergo penitus uſurpandum, eiſque ſic eccleſiaſtica ſunt ferenda præſidia, ut nihil committatur illicitum.

Cap. xiv. Ut ſervi obtẽtu religionis non ſuſcipiãtur in clerum, vel in monaſterium. Diſt.54.

Generalis etiam querelæ vitanda præſumptio eſt, qua propemodum cauſantur univerſi, paſſim ſervos (*c*) & originarios, dominorum jura poſſeſſionumque fugientes, ſub religioſæ converſationis obtentu, vel ad monaſteria ſeſe conferre, vel ad eccleſiaſticum famulatum, conniventibus quoque præſulibus, indifferenter admitti: quæ modis omnibus eſt amovenda pernicies, ne per Chriſtiani nominis inſtitutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur diſciplina ſubverti: præcipue cum nec ipſam miniſterii clericalis hac obligatione fuſcari conveniat dignitatem, cogaturque pro ſtatu militantium ſibi conditioneque jurgari, aut videri, quod abſit, obnoxia. Quibus ſolicita compenter interdictione prohibitis, quiſquis epiſcopus, presbyter, aut diaconus, vel eorum, qui monaſteriis præeſſe noſcuntur, hujuſmodi perſonas apud ſe tenentes non reſtituendas patronis, aut deinceps; vel eccleſiaſticæ ſervituti, vel religioſis congregationibus putaverint applicandas, niſi voluntate forſitan dominorum, ſub ſcripturæ teſtimonio primitus abſolutas, vel legitima tranſactione conceſſas, periculum ſe honoris proprii non ambigant communioniſque ſubituros, ſi ſuper hac re cujuſquam verax nos querela pulſaverit: *Magnis*

(*a*) Non omni tempore virgines ſollemniter velabantur, ſed in Epiphania, Paſchate, & natalitiis apoſtolorum, ut refert hic Gelaſius; cui, quo ad diem Paſchæ, conſonat S. Ambroſius *Exort. ad Virgines*: ſubjiciamus ejus verba: *Venit Paſchæ dies in toto orbe baptiſmi ſacramenta celebrantur, velantur ſacræ virgines. Uno ergo die ſine dolore aliquo multos filios & filias ſolet Eccleſia parturire.*

(*b*) Vetat Gelaſius viduas ab epiſcopo velari, vel quia id muneris erat presbyteri: non enim decebat, ut epiſcopus, qui immortalis Sponſi vices gerit, velum conſecraret viduis, perfecte non repræſentantibus Eccleſiam, Chriſti ſponſam virginem intactam incorruptamque; ut docet concilium Pariſienſe VI. anni 829. Can. 40. vel quia Eccleſia tunc temporis revera abhorrebat a velandis ſub quacumque benedictione viduis, ut conjicere licet ex cap. 21. iſtius epiſtolæ.

(*c*) Irregularitatem ſervorum ante Gelaſium agnovit S. Leo magnus in epiſtola ad epiſcopos Siciliæ alioſque Romani patriarchatus, hic Dipl. xxvii. Cap. 1. & poſt hæc tempora admiſit S. Gregorius magnus, hic Dipl. ccxxxii.

guis quippe ſtudiis, ſecundum beatum Apoſtolum, *præcavendum eſt, ne fides & diſciplina Domini blaſphemetur*. 1. Tim. 6.

Conſequens fuit, ut illa quoque, quæ de Piceni partibus nuper ad nos miſſa relatio nuntiavit, ne prætereunda putaremus, id eſt, plurimos clericorum nogotiationibus (*a*) inhoneſtis, & lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes Evangelicam lectionem, qua ipſe Dominus negotiatores e templo verberatos flagellis aſſeritur expuliſſe, nec Apoſtoli verba recolentes, quibus ait: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus*: pſalmiſtam quoque David ſurda diſſimulantes aure canentem: *Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini*. Proinde hujusmodi aut ab indignis poſthac quæſtibus noverint abſtinendum, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate ceſſandum: aut in quocumque gradu ſint poſiti, mox a clericalibus officiis abſtinere cogantur: quoniam domus Dei, domus orationis & eſſe debet & dici, ne officina negotiationis & ſpelunca potius ſit latronum.

CAP. XV. Clericis negotiationes, & turpia lucra prohibentur. Diſt. 88. Matth. 21. Johan. 2. 2. Tim. 2. Pſalm. 70. 14. q. 4. *Clerici*. Luc. 19. Iſai. 56.

Illiteratos (*b*) quoque, & nonnulla parte corporis imminutos, ſine ullo reſpectu ad eccleſiaſticum didicimus venire ſervitium. Quod ſimul antiqua traditio, & apoſtolicæ Sedis vetus forma non recipit: quia nec litteris carens ſacris eſſe poteſt aptus officiis, & vitioſum nihil prorſus Deo offerri legalia præcepta ſanxerunt. Itaque de cetero modis omnibus hæc vitentur, nec quiſquam talis ſuſcipiatur in clerum. Si qui vero vel temeritate propria, vel incuria præſidentium tales ante ſuſcepti ſunt, in his quibus conſtituti ſunt locis eatenus perſeverent, ut nihil unquam promotionis accipiant: ſatiſque habeant, hoc ipſum ſibi pro nimia miſeratione permiſſum.

CAP. XVI. Illitterati, & corpore vitiati non ordinentur. Diſt. 56. Levit. 21. Deut. 17.

De his autem qui ſe ipſos (*c*) abſcindunt, paterni canones evidenter ſequenda poſuerunt, quorum tenorem ſubjiciat indidiſſe. Dicunt enim, talia perpetrantes, mox ut agniti fuerint, a munere clericali debere ſecludi. Quod modis omnibus cuſtodire nos convenit, quia fas eſſe nulli ſuppeditat, quidquam præter illa, quæ memorabilis decrevit forma, cenſere.

CAP. XVII. De iis, qui ſe ipſos abſcindunt.

Com-

(*a*) S. Leo modo laudatus; Cap. 3. graviſſimo quoque decreto uſuras clericis interdixit.

(*b*) Decretum iſtud de irregularitate mutilorum, & illitteratorum pridem publicaverat Hilarius papa epiſt. 2. *Proſpiciendum eſt* (ſunt ejus verba) *ne duo ſimul ſint in una eccleſia ſacerdotes; nec litterarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum*. Idem rurſus inculcatur in ſynodo Romana ſub eodem Hilario celebrata, Can. 3. *Inſcii quoque litterarum, necnon & aliqua membrorum damna perpeſſi*.

(*c*) Qui ſe ipſos ex induſtria mutilant, irregulares ab Eccleſia ſemper habiti ſunt. Idque definire paternos canones refert huc Gelaſius, id eſt Can. Apoſt. 21. 22. & 23. quos innovavit concilium Nicænum I. Can. 1. & inde, ut de recentioribus taceam, Innocentius papa I. epiſt. 4. cap. 1.

CAP. XVIII. Ut criminoſi ad clerum nõ provehantur. De conſecr. Diſt. 2. *Comperimus*. 1. Tim. 5. Nicæn. 9. 10.

Comperimus etiam horrendis quibuſdam criminibus (*a*) implicatos, tota diſcretione ſubmota, non ſolum de factis atrocibus neceſſariam pœnitudinem non habere; ſed nec aliqua correctione penitus ſuccedente, ad divinum miniſterium honoremque contendere. Nonnullos autem etiam in ipſis ordinibus conſtitutos, gravibus delinquentes facinoribus, non repelli, quum & Apoſtolus clamet: *Nemini cito manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis*; & majorum veneranda conſtituta pronuncient, hujusmodi, etiam ſi forte ſubrepſerint, tam qui ante peccaverunt, detectos oportere repelli, quam ſacræ profeſſionis oblitos, prævaricatoreſque ſancti propoſiti, procul dubio ſubmovendos.

CAP. XIX. Quod dæmoniacis, aliiſque paſſionibus irretitis ſacra myſteria tractare non liceat. Diſt. 35. Rom. 14. 1. Cor. 8. Levit. 21.

Uſque adeo ſane comperimus, illicita quæque prorumpere, ut dæmoniacis (*b*) ſimilibuſque paſſionibus irretitis, miniſteria ſacroſancta tractare tribuatur. Quibus ſi hoc opere poſitis aliquid propriæ neceſſitatis occurrat, quis de ſua fidelium ſalute confidet, ubi miniſtros ipſos curationis humanæ tanta perſpexerit calamitate vexari? atque ideo neceſſario removendi ſunt, ne quibuslibet, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, ſcandalum generetur infirmis. Poſtremo, ſi corpore ſauciatum fortaſſis aut debilem, nequaquam ſancta contingere lex divina permittit: quanto magis doni cæleſtis diſpenſatores eſſe non convenit, quod eſt deterius, mente perculſos?

CAP. XX. Fœdera inceſta committẽtibus cõmunio denegetur. 27. q. 1. *Virginibus*.

Virginibus autem ſacris temere ſe quoſdam ſociare cognovimus, & poſt dicatum Deo propoſitum, inceſta fœdera ſacrilegaque miſcere. Quos protinus æquum eſt a ſacra communione detrudi, & niſi per publicam probatamque pœnitentiam (*c*), omnino non recipi: ſed tamen his viaticum de ſæculo tranſeuntibus, ſi tamen pœnituerint, non negetur.

CAP. XXI. Viduę profeſſam continẽ-

Nam de viduis ſub nulla benedictione velandis, ſuperius late ſufficienterque prædiximus. Quæ ſi propria voluntate profeſſam priſtini conjugii caſtitatem (*d*) mutabili mente calcaverint, periculi earum

---

(*a*) Irregularitatem criminis ipſe etiam Apoſtolus agnovit, ſcribens ad Tit. 1. 6. & 7. Quicumque itaque crimen aliquod ex his patraverat, quæ publicæ pœnitentiæ erant obnoxia, ſi laicus erat, in clerum recipi nequibat, ſi autem clericus, ad ulteriores ordines etiam poſt actam pœnitentiam non provehebatur: unde concilium Carthaginenſe IV. Can. 68. *Ex pœnitentibus*, inquit, *quamvis ſit bonus, clericus non ordinetur*. Cui conſonat Toletanum I. & alia ſane quam multa.

(*b*) Inter irregulares Gelaſius energumenos recenſet, & eos quoque qui ſimiles paſſiones ſubeunt. Paria ſentit concilium Toletanum XI. Can. 13. *Bene quidem* (exſcribimus ejus verba) *majorum regulis definitum eſt, ut dæmoniacis, aliiſque ſimilibus paſſionibus irretitis, miniſteria ſacra tractare non liceat*.

(*c*) Pœnitentia hæc decem erat annorum, ut conſtat ex compendio canonum pœnitentialium a S. Carolo collectorum, ibi: *Qui monialem violaverit, pœnitens ſit annos decem*.

(*d*) Spectabile eſt hoc decretum ad intelligendum viduarum connubia poſt emiſſum ſollemne caſtitatis votum celebrata, tunc temporis ſacrilega quidem fuiſſe & illicita, ſed tamen vera & valida, quod abſque ulteriori teſtimonio diſertiſſime probat S. Auguſtinus *de Bono Viduit.* cap. 9. 15. & ali-

rum intererit, quali Deum debeant ſatisfactione placare, quia (juxta Apoſtolum) *primam fidem irritam fecerunt*. Sicut enim, ſi ſe forſitan continere non poterant, ſecundum Apoſtolum, nullatenus nubere vetabantur; ſic habita ſecum deliberatione, promiſſam Deo pudicitiæ fidem debent cuſtodire. Nos autem talibus nullum laqueum debemus injicere; ſed ſolum adhortationes præmii ſempiterni pœnaſque proponere divini judicii, ut & noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem Deo reddat intentio. Cavendum eſt quippe, (ut de earum moribus actibuſque beatus Paulus apoſtolus teſtatur), quod plenius exponere præterimus, ne ſexus inſtabilis non tam deterreri, quam admoneri videatur.

tiam calcantes rationem Deo reddant. 27. quæſt. 1. 1. Tim. 5. 1. Cor. 7.

Secundas nuptias (*a*) ſicut ſæcularibus inire conceditur, ita poſt eas nullus ad clericale ſinitur venire collegium. Alia eſt enim humanæ fragilitati generaliter conceſſa licentia, alia debet eſſe vita, divinarum rerum ſervitio dedicata.

Cap. xxii. Bigami non ordinentur.

Quiſquis propriæ deſertor (*b*) eccleſiæ, nullis exiſtentibus cauſſis, ad aliam putaverit tranſeundum, temereque ſuſceptus fuerit & promotus; reverendorum canonum vel ipſe vel receptor ejus atque provector, conſtituta non effugiet, quæ de hujuſmodi præſumptoribus præfixere ſervanda.

Cap. xxiii. Clerici alienæ eccleſiæ nō ſuſcipiantur.

De monachis laiciſque in prima copioſius præceptionis hujus parte digeſtum eſt, quæ vel quatenus his pro rerum temporumque neceſſitate conceſſa ſint, vel quemadmodum, ubi nullius neceſſitatis intereſſe probatur, non niſi vetus inſtitutio debeat cuſtodiri. Quos vero conſtiterit indignos meritis, ſacram mercatos eſſe pretio dignitatem (*c*), convictos oportet arceri, non ſine periculo facinus tale perpetrantes: quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quam ſacra lectio teſtatur, involuit.

Cap. xxiv. Ut nullus ſine neceſſitate eligatur ad clerum; utque ſimoniaci ab officio deponantur. 2. q. 1. *Quos conſtiterit.*

De

& alibi paſſim. Et quidem matrimonium non viduarum modo, ſed & virginum, atque eorum omnium qui ſollemne caſtitatis votum emiſiſſent in approbata religione per quinque priora ſæcula non fuiſſe irritum ex propoſito probant, Ivenin *de Sacram.* Diſſert. 10. quæſt. 7. cap. 3. Van-Eſpen par. 2. tit. 13. cap. 4. n. 3. Natal. Alex. ſæcul. 5. cap. 6. art. 4.

(*a*) Secundas immo tertias, quartas & ulteriores nuptias etſi ſæcularibus inire vetitum non erat, ut erudite probat S. Auguſtinus *de Bono Viduit.* Cap. 12. at poſt eas tamen nulli ad clerum venire licebat, ut Gelaſius hic, & Cap. 2. & 3. iſtius epiſtolæ. Confer etiam cum Dipl. xxvii. Cap. ii.

(*b*) Hanc diſciplinam, nec clerici unius eccleſiæ ad aliam, inconſulto proprio epiſcopo, tranſirent, confirmant ulterius Dipl. cx. cxv. & cxxvi. Conſule quæ ibi dabimus in notis.

(*c*) Quæ de irregularitate ſimoniacorum ſcripſerunt patres, & concilia adeo trita ſunt, ut expoſitione noſtra non indigeant. Sane una cum ordinato ordinatorem dejiciendum eſſe definit hic Gelaſius, ſecutus apoſtolicum canonem 30. *Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipſe, & ordinator ejus, & a communione abſcindatur, ſicut Simon magus a Petro.*

Cap. xxv. Ut nulla Baſilica ſub defunctorū conſtructa nomine, dedicetur. De conſecr. Diſt. 1.

De locorum conſecratione (*a*) Sanctorum quamvis ſuperius ſtrictim fuerit comprehenſum, nobis quoque patefactum eſt, quod abſque præcepto Sedis apoſtolicæ nonnulli factas eccleſias vel oratoria ſacrare præſumant: hoc ſumus tamen indicio deteſtabiliore permoti, quod in quocumque nomine defunctorum, & (quantum dicitur) nec omnino fidelium, conſtructiones ædificatas ſacris proceſſionibus audacter inſtituere memorantur. Quæ quoniam tam acerba tam dura ſunt, ut eadem vix noſter ferre poſſit auditus, ſi revera Chriſtianitatis affectus in illis regionibus certus & fixus eſt, & diſtrictius iſta quærantur, & a quibus fuerint geſta, prodantur: ita cum manifeſtis fuerit documentis expoſitus, quem tanti ſceleris poſcit immanitas, non effugiet ullatenus ultionem.

Cap. xxvi. Feminæ ſacris altaribus non miniſtrent.

Nihilo minus impatienter audivimus, tantum divinarum rerum ſubjiſſe deſpectum, ut feminæ (*b*) ſacris altaribus miniſtrare ferantur: & cuncta, quæ non niſi virorum famulatui deputata ſunt, ſexum, cui non competit, exhibere.

Viſo quod omnium delictorum, quæ ſingillatim perſtrinximus, noxa omnis, & crimen eos reſpicit ſacerdotes, qui vel iſta committunt, vel committentes minime publicando, pravis exceſſibus ſe favere ſignificant. Si tamen ſacerdotum jam ſint vocabulo nuncupandi, qui delegatum ſibi religionis officium ſic proſternere moliuntur, ut in perverſa quæque profanaque declives, ſine ullo reſpectu regulæ Chriſtianæ, præcipitia funeſta ſectentur. Cumque ſcriptum ſit:
Eccl. 19. 1. *Minima qui ſpernit, paulatim decidit*: quid eſt de talibus exiſtimandum, qui immenſis ac multiplicibus pravitatum molibus occupati, ingentem ruinam multimodis impulſionibus ediderunt, quæ non ſolum ipſos videatur obruere, ſed & eccleſiis univerſis mortiferam, ſi non ſanentur, inferre perniciem? Nec ambigant, qui hæc auſi ſunt exercere, ſed etiam, qui hactenus cognita ſiluerunt, ſub honoris proprii ſe jacere diſpendio, ſi non quanta poſſint celeritate feſtinent, ut letalia vulnera competenti medicatione curentur. Quo enim more teneant jura pontificum, qui pontificalibus excubiis eatenus injuncta diſſimulant, ut contraria domui Dei, cui præſident, potius operentur? Qui quantum apud Dominum poſſent, ſi non niſi convenientia procurarent, tantum quid mereantur, aſpiciant, cum execrabili ſtudio ſectentur adverſa. Et quaſi magis hæc regula ſit, qua eccleſiæ debeant gubernari, ſi quidquid eſt eccleſiaſticis inimicum regulis, perpetratur, cum & ſi cognitos habuit canones unuſquiſque pontificum, intemerata debuerit tenere cuſtodia. Et ſi forſitan neſciebat, conſulere fidenter oportuerit ſcientem. Quo magis excuſatio nulla ſuc-

(*a*) Ex errore, quem in dedicandas baſilicas ſub defunctorum nomine irrepſiſſe, memorat hic Gelaſius, natam puto diſciplinam illam de non conſecrandis eccleſiis in locis, ubi aliquod corpus conſtabat fuiſſe humatum, cujus fit mentio inferius, Dipl. lxxx. clxxviii. ccix.

(*b*) Concordat canon 44. concilii Laodic. prohibens mulieres ingredi ad altare.

ſuccurrit errantibus: quia neſciens, propoſuit ſervare quod noverat, nec ignorans curavit noſſe quod gereret.

Quatuor (*a*) autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, pro ut cujuslibet eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, convenit fieri portiones. Quarum ſit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, ſicut ſacerdotis intererit, integram miniſtris eccleſiæ memoratam dependere quantitatem, ſic clerus ultra delegatam ſibi ſummam nihil inſolenter noverit expetendum. Ea vero, quæ eccleſiaſticis ædificiis attributa ſunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat inſtauratio manifeſta ſanctorum: quia nefas eſt, ſi ſacris ædibus deſtitutis, in lucrum ſuum præſul impendia, his deſignata, convertat. Ipſam nihilominus aſcriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur, tamen juxta quod ſcriptum eſt: *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*, oportet etiam præſenti teſtificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri.

Cap. xxvii. Ut reditus eccleſiæ, & oblationes fideliũ in partes quatuor dividantur. 12. quæſt. 1.

Matth. 5.

Quapropter nec clericorum quiſpiam ſe hujus offenſæ futurum confidat immunem, ſi in his, quæ ſalubriter ſequenda depromſimus

Cap. xxviii. Ut qui contra

(*a*) Ex antiquiſſimis jam temporibus uſus obtinuerat, ut epiſcopus facultatum eccleſiæ adminiſtrator eſſet; ita tamen ut ex his pauperum neceſſitatibus, ſacris ædibus reparandis, & clericorum ſtipendiis provideret, aliqua reſervata ſibi portione, ut peregrinorum captivorumque largitor, & ſui ipſius non crudelis eſſe poſſet. Sed ne ex ejus omnino arbitrio diſtributio penderet, lege poſtea cautum fuit, ut in quatuor æque partes eadem bona dividerentur, quarum unam ipſe vindicaret, alteram clerus, pauperes tertiam, poſtremam autem ſarta tecta eccleſiæ. Conſonat ſequens ejuſdem Gelaſii epiſtola; idque abſque ulteriori teſtimonio plane confirmat S. Gregorius magnus in epiſt. ad Auguſtinum Anglorum apoſtolum, quam exſcripſit Gratianus in ſua *Decretorum collectione* cauſ. 12. quæſt. 2. can. 30. Et ne a provincia noſtra de rebus patriis illuſtrandis egredi videamur, juvat obſervare, quod de quarta ad epiſcopum ſpectante ipſe S. Gregorius agit ulterius, Petro epiſcopo Tricalitano ſcribens, hic Dipl. cxiv. de quarta debita clero, in epiſt. ad Leonem epiſcopum Catanenſem, & in epiſt. ad Johannem epiſcopum Panormitanum, hic Dipl. cxliii. & cclxi. De quarta in ſumptus reparandarum ædium eroganda, in epiſt. ad Romanum, defenſorem ſuum in Sicilia, hic Dipl. clxxxii. Et de omnibus ſimul quartis in epiſt. ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum, hic Dipl. civ. Ex jure noviſſimo Siculo non quarta, ſed quinta pars redituum fabricis eccleſiæ reparandis reperitur deputata. Vide, ſis, pragmaticam regis Ferdinandi II. anni 1514. quam debemus ſtudio & labori eruditiſſimi canonici, fratris noſtri, Franciſci Teſta, in ſua Capitulorum Regni editione tom. 1. pag. 576. & ſeq. Ceterum hoc argumenti genus de partitione bonorum eccleſiæ diſerte illuſtrant, Natal. Alexand. *Hiſt. Eccl.* tom. 5. ſæcul. 6. cap. 6. art. 6. Thomaſinus *Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 3. lib. 2. cap. 12. & ſeqq. Van-Eſpen *Jus Eccl. Univer.* par. 2. tit. 16. cap. 5. n. 2. & ſeqq.

hæc cōſtitura fecerit, honore ſuo privetur.
2. quæſt. 7.

mus ſive epiſcopum (*a*), ſive presbyterum, ſive diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures noſtras deferre curaverit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut tranſgreſſoris ultio fiat & ceteris interdictio delinquendi. Sui vero modis omnibus erit unuſquiſque pontificum ordinis & honoris eliſor, ſi cuiquam clericorum, vel eccleſiæ totius auditui hæc putaverit ſupprimenda. Data V. idus Martii, Aſterio & Præſidio viris clariſſimis conſulibus. *Et alia manu*: Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi (*b*).

DIPLOMA XXXIII.

Altera decretalis epiſtola ejuſdem Gelaſii I. Pontif. Max. ad omnes epiſcopos Siciliæ. De facultatibus eccleſiæ clericis & pauperibus diſtribuendis, deque tricennali præſcriptione.

Anno 494 *die* 15. *Maji*

Labbe t. 5. Cōcil. col. 321.

PRæſulum (*c*) auctoritas noſtrorum emanavit, ut facultates eccleſiæ epiſcopi ad regendum habeant poteſtatem; ita tamen, ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, necnon & clericorum ſtipendia diſtribuere debeant. Hoc eis etiam ſtatuimus dari, quod hactenus decretum eſt. Reliquum ſibi epiſcopi vindicent, ut, ſicut ante diximus, peregrinorum atque captivorum largitores eſſe poſſint.

Illud etiam (*d*) annecti placuit, ut ſi, quod abſit, facultates eccleſiæ, necnon & diœceſes, quæ ab aliquibus poſſidentur epiſcopis, jure ſibi vindicent, quod tricennalis lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra 30. annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus excluſit. Dat. Idib. Maji Aſterio & Præſidio VV. Cl. Conſs. (*e*).

DI-

(*a*) Similem depoſitionis pœnam epiſcopis decretorum ſuorum tranſgreſſoribus indixit S. Leo magnus, hic Dipl. XXVII. Cap. 5.

(*b*) Id eſt anno Chriſti 494.

(*c*) In prima parte hujus epiſtolæ contracte repetit Gelaſius quæ in cap. 27. ſuperioris epiſtolæ exſcripſerat de bonorum eccleſiæ partitione. Vide quæ ibi dedimus.

(*d*) Ut ad acquirendum rerum ſæcularium dominium etiamnum ſufficit poſſeſſio triginta annorum, ita & alias valebat pro eccleſiaſticis bonis. Conſule decretum Gratiani, 16. quæſt. 3. cap. 2. 4. 8. & 9. Verum S. Gregorius Petro ſubdiacono, & rectori patrimonii ſui in Sicilia ſcribens, hic Dipl. LXIII. ad bona eccleſiæ legitime præſcribenda, poſſeſſionem quadraginta annorum neceſſariam eſſe decrevit.

(*e*) Id eſt anno Chriſti 494.

DIPLOMA XXXIV.

Epiſtola Theoderici Gothorum regis ad Caſſiodorum patricium: Ei, quod naſcentes in Sicilia tumultus ſua auctoritate compeſcuerat, patriciatus dignitatem confert (a).

QUamvis proprio fruatur honore, quod eſt natura laudabile, nec deſint probatæ conſcientiæ faſces, quum generat animo dignitates (omnia ſiquidem bona ſuis ſunt juncta cum fructibus, nec credi poteſt virtus, quæ ſequeſtratur a præmio) tamen judicii noſtri culmen excelſum eſt: quoniam qui a nobis provehitur, præcipuus & plenus meritis æſtimatur. Nam ſi æquabilis credendus eſt, quem juſtus elegerit: ſi temperantia præditus, quem moderatus aſcivit: omnium profecto capax poteſt eſſe meritorum, qui judicem cunctarum meruit habere virtutum. Quid enim majus quæritur, quam ibi inveniſſe laudum teſtimonia, ubi gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta? Regnantis quippe ſententia judicium de ſolis actibus ſumit, nec blandiri dignatur animus domini poteſtate munitus. Repetantur certe, quæ te noſtris ſenſibus infuderunt: ut tui laboris fructum capias, quum noſtris animis ſingula ſuaviter inhæſiſſe cognoſcas. In ipſo quippe imperii noſtri devotus exordio, quum adhuc fluctuantibus rebus provinciarum corda vagarentur, & negligi rudem dominum novitas ipſa pateretur, Siculorum ſuſpicantium mentes ab obſtinatione præcipiti deviaſti, culpam removens illis, nobis neceſſitatem ſubtrahens ultionis. Egit ſalubris perſuaſio, quod vehemens poterat emendare diſtrictio. Lucratus es damna provinciæ, quæ meruit ſub devotione neſcire: ubi ſub procinctu Martio civilia jura cuſtodiens, publica privataque commoda inavarus arbiter æſtimabas; & proprio cenſu neglecto, ſine invidia lucri, morum divitias retuliſti: excludens vel querelis auditum, vel derogationibus locum; & unde vix ſolet reportari patientiæ ſilentium, voces tibi militaverunt laudantium. Novimus enim, teſtante Tullio *, Siculorum naturam, quam ſit facilis ad querelas, ut ſolita conſuetudine poſſint judices etiam de ſuſpicionibus accuſare. Sed non eo præconiorum fine contenti, Brutiorum & Lucaniæ tibi dedimus mores regendos: ne

Anno 500. circiter.

Caſſiod. var. lib. I. epiſt. 3.

Caſſiodorus ſumme laudatur a Theodorico, quod Siculos illi conciliaverat.

* *In Bruto.*

Caſſiod. rector Lucaniæ & Brutiorū patriæ ſuæ

(a) Sicilia duplicem obtinuit præſidem Caſſiodori nomine; alterum Theodoſio & Valentiniano imperatoribus, qui eam a Vandalis defendit, cujus meminit ſequens epiſtola; alterum, Theodorico Gothorum rege, qui quod initiis regni ejus tumultuantem Siciliam auctoritate ſua ſedaverat, patriciatus dignitate donatur, ut hic. Caſſiodorus iſte qui & *Junior* appellatur, unus idemque eſt ac magnus ille Aurelius Caſſiodorus, qui poſt decurſa feliciter litterarum ſtudia, ſæculo renuncians, ſolitariam vitam coluit in monaſterio Caſtellienſi in Calabria. Conſule monachos Benedictinos *in Vita ejuſdem Caſſiodori*. Et quæ nos ſumus dicturi in monitis ad Dipl. CLI.

ne bonum quod peregrina provincia meruiſſet, genitalis ſoli fortuna neſciret. At tu conſuetudinem devotionis impendens, eo nos obligaſti munere, quo tibi putamus omnia reddidiſſe: inde amplificando debitum, unde credi poterat abſolutum. Egiſti te per cuncta judicem totius erroris expertem, nec invidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente ſublimans. Quod quum ubique ſit arduum, tamen fit in patria glorioſum: ubi neceſſe eſt aut gratiam parentela provocet, aut odium longe contentiones exaſperent. Oblectat igitur nos actus præfecturæ recolere, totius Italiæ notiſſimum bonum ubi cuncta provida gubernatione diſponens, oſtendiſti quam leve ſit, ſtipendia ſub judicis integritate dependere. Nullus enim gravanter obtulit, quod ſub æquitate perſolvit. Quia quidquid ex ordine tribuitur, diſpendium non putatur. Fruere nunc bonis tuis, & utilitatem propriam, quam reſpectu publico contempſiſti, recipe duplicatam. Hæc eſt enim vitæ glorioſa commoditas, Dominos eſſe teſtes, cives habere laudantes. His igitur tot ampliſſimis laudibus incitati, patriciatus tibi apicem juſta remuneratione conferimus: ut quod aliis eſt præmium, tibi ſit retributio meritorum. Macte, ſume, vir felicitate laudabili, qui ad hanc vocem dominantis animos impuliſti: ut bonorum tuorum potius fateamur eſſe, quod dedimus. Sint hæc divino perpetrata auſpicio: ut quum hæc pro remuneratione tribuimus, meliora interim tuis meritis exigamur.

Caſſiodorus judex totius erroris expers.

Præfectura Caſſiodori, totius Italię notiſſimũ bonum

Patriciatus apex Caſſiodoro confertur.

DIPLOMA XXXV.

Fragmentum Epiſtolæ ejuſdem Theoderici Gothorum regis ad ſenatum urbis Romæ. De virtutibus Caſſiodori, qui Siciliam a Vandalorum incurſione liberavit.

Anno 500. *circiter*.

Caſſiod. var. lib. 1. epiſt. 4.

OPtamus quidem, patres conſcripti, coronam veſtram diverſorum faſcium flore depingi. Optamus, ut libertatis genius gratam videat turbam ſenatus. *Et poſt alia*. Avus enim Caſſiodorus (*a*) illuſtratus (*b*) honore cinctus, qui ejus generi non poterat abnegari, a Vandalorum (*c*) incurſione Siciliam, Brutioſque armorum defenſione

(*a*) Caſſiodorus iſte, cui provincia noſtra, imperatoribus Theodoſio & Valentiniano, regenda obtigit, *Senior* dicitur, ad diſtinctionem celebris illius Aurelii Caſſiodori, qui tardius Siciliæ præfecturam geſſit, ut in ſuperiore admonitione noſtra monſtravimus.

(*b*) Honorificam vocem *illuſtratus*, quæ index erat eximiæ dignitatis, erudite exponunt, S. Iſidorus lib. 9. cap. 4. Pancirolus *Theſaur. Var. Lection.* lib. 1. cap. 3. Pitiſcus *Lexic. Antiq. Rom.* tom. 2. verbo *Illuſtris*, & Cantelius *Metropol. Urb. Hiſtor.* tom. 1. Differt. 2.

(*c*) De perſecutione Vandalica, quam ſub Genſerico anno Chriſti 440. ſubiit Sicilia, quamque memorat huc Theodoricus, agunt, Paſchaſinus epiſco-

ſione liberavit : ut merito primatum in illis provinciis haberet, quas a tam ſævo & repentino hoſte defendit. &c.

DIPLOMA XXXVI.

Formula comitivæ Syracuſanæ civitatis a Theodorico Gothorum rege conceſſæ.

REgalis eſt providentiæ, tales judicum perſonas eligere, ut ad comitatum neceſſitatem non habeant veniendi, quos in longinquis regionibus contigerit immorari. Nullum enim tale negotium eſt, quod Siculi (*a*) itineris tantas pati poſſit expenſas, dum commodius ſit cauſſam perdere, quam aliquid per talia diſpendia conquiſiſſe. Non enim querelas de Sicilia volumus venire, ſed laudes: quia gravatur apud nos actio præſulis, ſi eam tam longinqui potuerint accuſare petitores. Falſus enim dolor eſſe non creditur, ubi tanti laboris tædia ſubeuntur. Et ideo majore cura tractanda ſunt, unde invidia plus timetur. Proinde per indictionem illam, comitivam (*b*) tibi Syracuſanæ civitatis, propitia divinitate concedimus: ut omnia ſic agere nitaris, quemadmodum nos tibi præſtitiſſe cognoſcis. De proximis vota cauſantium ſuſtinemus: inde autem ultro requirimus, unde ad nos difficile venire poſſe ſentimus. Habes quæ te decorare debeant; ſi tu tamen ibi conſcientia defecatus, adveneris. Militum tibi numerus noſtris ſervit expenſis. Redderis inter arma geniatus proceſſio tua procinctualis ornatus eſt. Exercitu uteris pacato, nec pericula belli ſubis, & armorum pompa decoraris. Verum inter hæc civilem cogita diſciplinam. Non permittas, milites eſſe poſſeſſoribus inſolen-

Anno 502. *circiter*.

Caſſiod. var. lib. 6. form. 22.

Majore cura tractāda ſunt, unde invidia plus timetur.

ſcopus Lilyb. in epiſtola ad S. Leonem, hic Dipl. XXVI. S. Victor Uticenſis *de Perſec. Vandal.* S. Proſper *in Chron.* S. Iſidorus *in Chron. Vandal.* Idatius *in Chron.* Paulus Diac. *Hiſt. Miſcell.* Procopius *de Bell. Vandalico*, Ado Viennenſis *in Chronico*, & diſerte eruditiſſimus Ruinart *Hiſt. Perſecut. Vandal.* par. 2. cap. 6. pag. 221.

(*a*) Privilegio, quo nunc utimur, de eccleſiaſticis ac ſæcularibus litibus in propria provincia terminandis, uſi etiam ſunt majores noſtri, ut plane liquet ex hoc loco, & ex epiſtolis S. Gregorii magni, hic Dipl. LX. & LXXXI. quibus & Petro ſubdiacono rectori patrimonii Siculi, & Maximiano epiſcopo Syracuſano vices ſuas commiſſas declarat; immo in altera epiſtola ipſi Petro ſubdiacono inſcripta, quæ in hac collectione exſtat ſub n. LXVI. vicariæ hujus poteſtatis S. Gregorius rationem reddit, ab ea non diverſam, quam huc exhibet Theodoricus, ſcilicet: *Ne cogatur qui vim pertulit* (Romam) *venire, & tanti itineris laborem aſſumere*. Quæ & repetit in citato Dipl. LXXXI. *Quatenus eis* (Siculis) *non ſit neceſſarium poſt hæc pro parvulis ad nos cauſſis tanta maris ſpatia transmeando pervenire*.

(*b*) Quod comites ſub Gothis fuerint in provincias miſſi, ut cauſſas ad regem alioquin pertinentes ſummo jure dirimerent, refert Cantelius *Metropol. Urb. Hiſt.* tom. 1. Differt. 2. Cap. 6.

ſolentes. Annonas ſuas ſub moderatione percipiant: cauſſis non miſceantur extraneis. Pro ſecuritate ſe omnium cognoſcat electum, qui ſe gloriatur habere armatum. Privilegia dignitatis tuæ nec volumus minui, nec jubemus excedi. Sufficiat tibi tantum gerere, quantum deceſſores tuos conſtiterit rationabiliter effeciſſe.

DIPLOMA XXXVII.

Epiſtola ejuſdem Theodorici Gothorum regis ad Adilam virum ſenatorem. Imperat, ut tueatur prædia & homines Mediolanenſis eccleſiæ intra Siciliam conſtitutos; vult tamen, ut cauſſis publicis & privatis contra eos propoſitis, quamprimum reſpondeant.

Adilæ viro ſenatori, comiti Theodoricus rex (*a*).

Anno 504. circiter. Caſſiod. var. lib. 2 ep. 29.

QUamvis nullos velimus gravamen aliquod ſuſtinere, quos videtur pietas noſtra protegere (quia regnantis eſt gloria, ſubjectorum otioſa tranquillitas) tamen ſpecialiter eccleſias ab omni injuria reddi cupimus alienas; quibus dum æquabilia præſtantur, miſericordia Divinitatis acquiritur. Et ideo beatiſſimi viri Euſtorgii epiſcopi ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ petitione permoti, præſentibus te affatibus admonemus, ut prædiis vel hominibus illius eccleſiæ intra Siciliam (*b*) conſtitutis, tuitionem ſtudeas ſalva civilitate præſtare; nec a quoquam cujuslibet nationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet Divinitatis intuitu ſublevari. Ita tamen, ut cauſſis publicis & privatis, quæ contra eos rationabiliter proponuntur, reſpon-

(*a*) Epiſtolam hanc exſcribunt etiam, Baronius ad annum 504. cap. 4. & Socii Bollandiani die 6. Junii *de S. Euſtorgio II. Epiſc. Mediol.*

(*b*) De eodem patrimonio Mediolanenſis eccleſiæ in Sicilia agunt etiam Tabulæ Mediolanenſes *in Euſtorgio II. epiſcopo*, ubi hæc exhibentur verba: *Oppida & prædia quæ in Sicilia præſertim eccleſia Mediolanenſis habuit, egregie defendit*, S. Gregorius in epiſt. ad Laurentium epiſcopum Mediolanenſem, hic Dipl. LXXIX. & ex recentioribus, Baronius ad annum 504. cap. 4. & ad ann. 591. cap. 30. Biſolzus *Hiſtor. pontificum Mediol.* Ughellius *Catal. Epiſcopor. Mediol.* & Cajetanus noſter *Iſog. ad Hiſt. Sicul.* cap. 40. n. 18. qui addit ulterius, quod *Mediolanenſium eccleſia patrimonium in Sicilia poſſedit quum epiſcopum habuit Julium Maternum Siculum, qui bonorum, quæ in Sicilia illi erant, hæredem inſtituit.* Nam celebrem illum Julium Firmicum Maternum Siculum eumdem eſſe putat, ac S. Maternum Mediolanenſem epiſcopum die 18. Julii in eccleſiaſticis faſtis commemoratum: atque ita facile ſuſpicari potuit, ab eo patrimonium iſtud ortum habuiſſe. Conjectatio forſitan non importuna, ſi duobus Maternis in unum confundendis non obſiſteret annorum diverſitas, in quibus uterque claruit. Conſule eruditiſſimum Mongitorem *Biblioth. Sicul.* verbo *Julius Firmicus Maternus.*

ſpondere non differant: quia ſicut nolumus eos ab aliquo prægravari; ita exceptos a tramite juſtitiæ non patimur inveniri.

DIPLOMA XXXVIII.

Epiſtola Theodorici Gothorum regis ad honoratos poſſeſſores, defenſores, & curiales Catanenſis civitatis. Permittit, ut ſaxis ex amphitheatro longa vetuſtate collapſis ad muros urbis reparandos, utantur.

Honoratis (*a*) poſſeſſoribus (*b*), defenſoribus (*c*), & curialibus (*d*) Catanenſis civitatis Theodoricus rex.

OPtabilis nobis eſt & grata devotio, quæ bonam præceſſerit juſſionem; & merito acceptum redditur, ſi id quod poſſumus imperare, poſcatur. Felicitas enim regnantis eſt, famulantes amare quod expedit: quando nobis labor cogitationis aufertur, dum ſubditi ſibi profutura diſponunt. Atque ideo ſuggeſtionis veſtræ tenore comperto, quam caritate civica in communiendis mœnibus ſuſcepiſtis, abſolutam hujus rei vobis cenſemus eſſe licentiam: nec quidquam de hac re vereamini, unde gratiæ noſtræ expectare præmia mox debetis. Veſtra enim munitio noſtra eſt nihilominus fortitudo; & quidquid vos ab incerto eripit, famam noſtræ defenſionis extendit. Saxa ergo, quæ ſuggeritis de amphitheatro (*e*) longa vetuſtate collapſa, nec aliquid ornatui publico jam prodeſſe, niſi ſolas turpes ruinas oſtendere, licentiam vobis eorum in uſus dumtaxat publicos damus; ut

Anno 505. *circiter*.

Caſſiod. var. lib. 3. epiſt. 49.

(*a*) Id eſt viros, qui quod magiſtratus geſſerant in honore habebantur. Quare honorati in antiquis inſcriptionibus, poſſeſſoribus, & curialibus, ut hic, frequenter junguntur, conſule Gothofredum in ſuis Comment. ad Cod. Theod. l. unic. de Offic. Judic. Civil. De honoratis Siciliæ fit etiam mentio in Dipl. XXII.

(*b*) Poſſeſſorum nomine cives veniebant, ut obſervat Du-Gang in ſuo Gloſſario.

(*c*) De defenſoribus agemus in fine Voluminis Differt. VII. Cap. VII.

(*d*) *Curiales iidemet decuriones. Et dicti curiales, quia civilia munera procurant & exequuntur*. Verba ſunt Iſidori lib. 10. cap. 4.

(*e*) Scriptores non uni, poetarum fabulis obſequentes, ad primam Chalcidonenſium ætatem amphitheatrum iſtud ſubſtollunt; nos vero interim dum firmiora teſtimonia non prodant, ad poſteriora tempora rejicimus, poſt libertatem ſcilicet Timoleontis opera Siciliæ reſtitutam, quæ per annos circiter viginti duravit: tunc enim ut refert rerum Sicularum indagator diligentiſſimus Thomas Fazellus dec. 2. lib. 4. cap. 1. in princip. *præter privata ædificia, deorum quoque templa, curiæ, fora, turres, monumenta, pyramides, theatra, & cetera id genus opere egregio, accuratoque artificio paſſim urbibus acceſſere*. Sunt ejus verba.

ut in murorum faciem ſurgat, quod non poteſt prodeſſe, ſi jaceat. Quocirca perficite confidenter, quidquid cautio ad munimen, quidquid ornatus expetit ad decorem: tantum nobis ſcituri gratum fore, quod facitis, quantum exinde gratia ſe veſtræ civitatis extulerit.

DIPLOMA XXXIX.

Epiſtola ejuſdem Theodorici Gothorum regis ad Senarium virum illuſtrem, comitem privatarum. Monet, eos qui e Sicilia frumentum in Gallias devehebant, naufragium paſſos eſſe triſtiſſimum; atque adeo jubet, ut quod periit triticum iis reputetur.

Senario viro illuſtri, comiti privatarum (*a*) Theodoricus rex.

Anno 502. *circiter.*

Caſſiod. var. lib. 4. epiſt. 7.

PRopoſitum noſtræ pietatis eſt, injuſte periclitantium ſublevare fortunas: quia quod aliena vi conſtat impoſitum, trahere non poſſumus ad delictum. Iniquum eſt enim, ut hominis vitio deputetur, quod ejus voluntate non regitur; & illud imputetur periclitanti, unde raro datur evadere. Atque ideo ſublimitas tua proſecutores frumentorum, qui de Sicilia fuerant ad Gallias deſtinati, lacrymabili nos aditione pulſaſſe cognoſcat, dum ſuſceptum onus promoviſſent in pelagus, adverſis flatibus fuiſſe ſuſceptum: ubi fatiſcente compage trabium, omnia vis undarum abſorbuit; nec quidquam miſeris de aquarum nimietate, niſi ſolas lacrymas reſtitiſſe. Unde illuſtris ſublimitas tua, præſenti auctoritate commonita, modiationem tritici, quam ſub hac ſorte periiſſe probaverint, ſupradictis proſecutoribus ſine aliqua faciat cunctatione reputari (*b*). Crudelitatis enim genus eſt, ultra naufragium velle deſævire; & illos ad diſpendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa ceſſiſſe.

DI-

(*a*) De comite rerum privatarum, cui ſubjacebat rationalis rei privatæ per Siciliam, agitur in Dipl. XXI. & XXII. Conſule quæ dabimus in fine Voluminis Differt. VII. Cap. IV.

(*b*) Ut frumentum reputetur iis, qui naufragium patiuntur, quoque juſſit S. Gregorius, rectori patrimonii ſui in Sicilia ſcribens, hic Dipl. LXIX.

DIPLOMA XL.

Epiſtola Hormiſdæ Pontif. Max. ad Anaſtaſium imperatorem Orientis. Fortunatus epiſcopus Catanæ una cum tribus aliis ab Hormiſda ad Anaſtaſium orator mittitur, ad explorandum, qua intentione imperator ſynodum fieri poſtulaſſet.

Hormiſda epiſcopus Anaſtaſio auguſto.

BEne atque utiliter ſerenitas veſtra curam principalis acuminis, non tantum in adminiſtrando reipublicæ exercet officio; ſed melioribus eam nobilitat inſtitutis, & per curam redintegrandæ unitatis auctorem venerandi placat imperii. Certi ſunt enim de tutela regnante, ſi ulla iiſdem præſidentibus Eccleſiæ caſtitas importuna diaboli commixtione maculetur. *Et poſtquam diſerta oratione oſtenderit, novum eſſe Romanum pontificem ab imperatore ad concilium vocari, atque ſe iturum nihilominus promiſerit, ſi Chalcedonenſis ſynodi decreta non revocentur in dubium, ita concludit*: Suſcipite preces noſtras per Ennodium (*a*), atque Fortunatum fratres & coëpiſcopos noſtros, necnon Venantium presbyterum, atque Vitalem diaconum, vel Hilarium notarium filios noſtros, quorum apud nos fides in Dei timore, ſtudiumque perclaruit, pro veſtro amore tranſmiſſas, & placidam vice noſtra ſupplicationibus conſcientiam accommodate. Speramus enim, & de Deo habentes fiduciam, pollicemur, ſtudia quæ a vobis vera religioni impenſa fuerint, ſine retributione, & præmio non futura. Data III. Idus Auguſti, Florentio V. C. conſule.

Anno 515. *die* 11. *Aug.*

Labbe t. 5. Concil. col. 570. & ſeq.

(*a*) Nomina legatorum recenſet Anaſtaſius *in Vita Hormiſdæ*, inquiens: *Sub Johanne epiſcopo Conſtantinop. cum conſilio Theodorici regis, direxit Ennodium epiſcopum Ticinenſem, & Fortunatum epiſcopum Catanenſem, & Venantium presbyterum urbis Romæ, & Vitalem diaconum Sedis apoſtolicæ, & Hilarium notarium ad Anaſtaſium auguſtum*. Eorumdem legatorum fit quoque mentio in Commonitorio ab eodem Romano pontifice ipſis legatis tradito: ut ſciant quomodo apud imperatorem ſe gerere debeant; item in epiſtola ab ipſo imperatore Hormiſdæ per antedictos legatos inſcripta. Quæ antiquitatis monumenta habemus apud Labbeum cit. tom. 5. col. 566, & 572.

DIPLOMA XLI.

Epiſtola Athalarici Gothorum regis ad univerſos poſſeſſores, & defenſores (a) Syracuſanæ civitatis. Relaxat quæ illis præter conſuetudinem impoſita fuerunt tributa: conceſſa facultate iis, qui a cenſitoribus vexati fuerint, apud principem conquerendi.

Anno 526. *excedente, vel* 527. *ineunte.*

Caſſiod. var. lib. 9. ep. 10.

DUdum quidem vobis ortum noſtri imperii æſtimavimus nunciandum: nunc decet ſubſequi beneficium pro lætitia augenda cunctorum; ut quibus fuit gratiſſimus noſter exortus, ſit illis regalis animus in aliqua parte munificus. Creſcere nobiſcum, Deo præſtante, cuncta deſideramus: quia vere ille noſter eſt cenſus, quem lætus poſſeſſor exſolvit. Proinde ſubtrahimus pecuniæ, quod augmentetur gloriæ; & avari ad laudes, profuſe nitimur ſublevare cultores. Pridem divæ memoriæ domnus avus (*b*) de ſuis beneficiis magna præſumens (quia longa quies & culturam agris præſtitit, & populos ampliavit) intra Siciliam provinciam ſub conſueta prudentiæ ſuæ moderatione cenſum ſtatuit efflagitari; ut vobis creſceret devotio, quibus ſe facultas extenderat. Sed illius prædicanda juſtitia locum noſtræ benignitati præparavit; ut quod ei offerri juſte potuit, nos clementi animo, quaſi illata ſtipendia, donaremus; & quodam præſagio mentis divinæ fecit etiam pium, cui parabat imperium. Atque ideo per quartam feliciter indictionem quidquid a vobis ſupra conſuetudinariam functionem augmenti nomine vel petebatur, vel conſtat exactum, liberalitas noſtra concedit. Quod etſi juſte potuiſtis pendere, gloriam vos potius noſtræ largitati jubemus inferre. Sed ut latius extendatur noſtra clementia, ſuavemque dominum impenſis beneficiis ſentiatis, quidquid a diſcuſſoribus novi cenſus, per quintam indictionem (*c*) probatur affixum, ad veſtram eos fecimus deferre notitiam; ut quod rationabile fuerit æſtimatum, libentibus animis perferatis: quia nullum lædit obſervata juſtitia. Sed ne credatis per ordinatorum tantum arbitrium vos gravari: ſi quis eſt, qui de eorum facto æſtimet conquerendum, ad remedia noſtræ pietatis occurrat; ut judicantes corrigamus, qui etiam non rogati beneficia clementer indulſimus. Nam & glorioſæ recordationis domnus avus noſter de eorum commotus fuerat tarditate; ut erat altæ prudentiæ perſcrutator; æſti-

Nullum lædit obſervata juſtitia.

(*a*) De poſſeſſoribus, & defenſoribus egimus ſupra in notis ad Dipl. XXXVIII.

(*b*) Theodoricum hic intellige, quo mortuo, Italiæ, Siciliæque imperium ſuſcepit ejus nepos Athalaricus ſub tutela matris Amalaſunthæ, ejuſdem Theodorici filiæ, ut perhibent, Jordanus *Hiſtor. Gothor.* cap. 59. & Anonymus Valeſianus *in Vita Johannis I. pontificis maximi*.

(*c*) Quæ incidit in ann. 526. & 527.

æſtimans eos tamdiu in provincia non ſine noſtro gravamine reſidere, quos repetita juſſione cenſuerat jam redire. Sed nos, quos decet implere quidquid ille ſub æquitate diſpoſuit, Deo auxiliante, ejus nunc in vobis inchoata perficimus. Reddite modo largitati noſtræ proſperrimum votum, & fidele ſervitium. Habetis principem, qui vobiſcum beneficiis probatur exortus; & quod ſubjectis dulcius eſt, augetur ingenio benevolo cum ætatis augmento. In quam rem Quidilanem Sajonem noſtrum credimus dirigendum, per quem vobis juſſa proſperrima, Deo largiente, pandantur.

DIPLOMA XLII.

Epiſtola ejuſdem Athalarici Gothorum regis ad Victorem, & Witigiſclum viros ſpectabiles, provinciæ Siciliæ cenſitores (a). Jubet, ut ſi quid ultra conſueta tributa per IV. indictionem a provincialibus excegerint, ſine aliqua imminutione reſtituant.

TArditas veſtra apud glorioſæ memoriæ domnum avum noſtrum (b) merito vos fecit eſſe ſuſpectos, quos etiam ſecundis præceptionibus credidit admonendos; ut relicto tandem provincialium gravamine ad ejus deberetis juſtitiam feſtinare; & nunc quoque ſuſpicionis maximæ fecit augmentum, ut nec ad initia noſtra voluiſſetis occurrere, quod libera conſcientia potuiſſet optare. Et ideo præſenti auctoritate cenſemus; ut ſi quid ſuper tributarium ſolidum per quartam indictionem (c) a provincialibus exegiſtis, ſine aliqua eis imminutione reddatis: quia ſupra veterem cenſum nulla indictionis prædictæ eos volumus damna ſentire. Hoc etiam addendum eſſe credidimus, quo-

Anno 526. excedēte, vel 527. ineūte.

Caſſiod. var. lib. 9. epiſt. 12.

 niam

(a) Cenſitores iidem erant ac cenſores, qui cenſum populorum exigebant: & revera cenſitores inter & cenſores id tantum diſcriminis erat, quod cenſitores proprie dicebantur, qui populorum bona in provinciis agebant, cenſores vero, qui in urbe. Syracuſanis cenſitoribus *ſpectabilis* cognomen hic, atque ſub exordio ſequentis epiſtolæ tribuit Athalaricus: de qua voce agit Joſeph Cantelius *Metrop. Vrb. Hiſtor.* tom. I. Diſſert. 2. cap. I. ubi ſpectabiles, etſi minores illuſtribus, ſuperiores tamen clariſſimis fuiſſe perhibet.

(b) Athalarici avus, Theodoricus fuit, quemadmodum diximus in monitis ad præcedentem epiſtolam.

(c) Hujuſmodi epiſtola, & quæ ſequitur, agentes de reditibus IV. indictionis ad regium ærarium in Sicilia ſpectantibus, Chriſti anno 526. excedente, vel 527. ineunte, qui fuit ſecundus Athalarici regis, ſcriptæ videntur. Sane Theodoricus, cui Athalaricus patre orbatus ſub tutela Amalaſunthæ matris ſucceſſit, mortem obiit ſub fine IV. indictionis, id eſt die trigeſimo Auguſti anni 526. ut refert Anonymus Valeſianus *in Vita Johannis papæ I.*

niam amore clementiæ errores nolumus invenire: ne coacti potius reſecemus, quod ſalva juſtitia diſſimulare non poſſumus; ut ſi aliquem ſtudio læſiſtis pravo, veſtro magis emendetis arbitrio: quia hoc eſt propria delicta corrigere, quod & non facere. Et ne forſitan credatis longinquitatis difficultate latere, quæ geſta ſunt, ſiculis fiduciam vos dedimus ſubſequendi. Videte nunc, ſi voces poſſitis ferre querulas, quas etiam noſtra invitavit auctoritas. Admonuimus igitur quos pios decet eſſe. Jam ſuo vitio videtur accuſari, qui ſpontanea noluit voluntate corrigi.

Hoc eſt propria delicta corrigere, quod & non facere.

DIPLOMA XLIII.

Epiſtola præfati Athalarici Gothorum regis ad Gildiam virum ſublimem, comitem Syracuſanæ civitatis (a). Prohibet, quominus quidquam tributorum per Victorem, & Witigiſclum de IV. indictione adjectum, a poſſeſſoribus exigatur.

Anno 526. excedēte, vel 527. ineunte.

Caſſiod. var. lib. 9. epiſt. 11.

AD Victorem & Witigiſclum ſpectabiles viros, Siciliæ provinciæ cenſitores præcepta noſtra direximus (*b*); ut quidquid poſſeſſoribus tributariæ functionis per eos nuper videtur adjectum, de quarta indictione non exigant: quia gravis eſt ejus rei illatio, cujus adhuc juſtitia non probatur. De ordinationibus vero eorum nobis fecimus inſtructiones deferri; ut ſi æſtimatis viribus quidquid æqualitate ſit diſpoſitum, debeat permanere moderatum. Sin vero aliquem contra rationem conſtat eſſe prægravatum, noſtro relevetur arbitrio: ita tamen, ut ſi aliquid per quartam indictionem probatur illatum, poſſeſſoribus ſine aliqua imminutione reddatur: quia ſine querela ſuſcipi debet onus impoſitum, quod longis temporibus conſtat eſſe portandum. Nunc, quod reſtat, provinciales vos convenit admonere; ut quibus beneficia dedimus, eorum devotionem per omnia ſentiamus; & quod debetur principi, grato animo videatur exſolvi.

DI-

(*a*) Comitivæ Syracuſanæ civitatis formulam ex eodem Caſſiodoro exſcripſimus ſupra Dipl. XXXVI.

(*b*) Confer cum præcedente epiſtola, ipſis Victori & Witigiſclo inſcripta.

DIPLOMA XLIV.

Epiſtola antedicti Athalarici Gothorum regis ad eumdem Gildiam virum ſublimem, comitem Syracuſanæ civitatis. De eo quod cauſſa reparandorum murorum injuſte fuerat extortum: de ſubſtantiis mortuorum non ſemper per fiſcum vindicandis: deque edictis Theodorici pro componendis Siculorum moribus religioſiſſime obſervandis.

PRovincialium Siculorum nobis eſt ſuggeſtione declaratum quædam a tua poteſtate fieri, unde eorum fortunæ videantur affligi. *Anno* 494. *circiter.* Quod ideo leviter accepimus: quia ipſi vindicari præterita noluerunt. Caſſiod. var. Conſtat enim eſſe dubium, quod concedit adverſarius; & percelli non lib. 9. epiſt. 14. poteſt jure, cui mavult querulo ſus ignoſcere. Sed ut ſuſpiciones iniquas futuris caſibus abrogemus; obſervanda jugiter præſenti juſſione decernimus, ut nec iſti aliquid de futuro metuant: nec tu per ignorantiam, quæ dicuntur, incurras. Prima fronte pro reparatione murorum pecuniæ diverſis provincialibus dicuntur extortæ: cum tamen nulla exinde ſurrexerit promiſſa conſtructio. Hoc ſi conſtat admiſſum; aut muri exinde pro eorum munimine conſtruantur: aut unuſquiſque recipiat, quod ei probatur incompetenter ereptum. Nimis enim abſurdum eſt, ſpondere munitiones, & dare civibus execrabiles vaſtitates. Quorumdam etiam ſubſtantias mortuorum, ſine aliqua diſcretione juſtitiæ, fiſci nomine caduci te perhibent titulo vendicare; quum tibi hoc tantum de peregrinis videatur eſſe commiſſum, quibus nullus heres aut teſtamentarius, aut legitimus invenitur. Nefas eſt enim, ut quod a nobis præcipitur, a te noſtro nomine per injuriam vendicetur. Præterea conventionibus ſe gravari omnimodis ingemiſcunt; ut ad judicium deducendi pene tanta videantur amittere, quanta vix probantur addicti diſpendia ſuſtinere. Vocatio enim judicis ſpes juſtitiæ debet eſſe, non mulcta. Nam ipſe juſte ſuſpectus redditur, ante cujus audientiam gravamina ſentiuntur. Unde cenſemus,

(*a*) Octavius Cajetanus in *ſua Iſagog. ad Hiſt. Sicul.* cap. 26. n. 14. Gothos, vel ipſa fœditate nominis offenſus, inter perſecutores eccleſiæ Siculæ abſque majori delectu recenſet; at, ut veritatem candide fatear, ex hac epiſtola contrarium plane liquet, in qua elucent, juſtitia prudentia & liberalitas eorum erga Siculos. Et revera nullam rei eccleſiaſticæ injuriam Gothos (quidquid ſit de iis qui ſub Totila rege iterum Sicilia ſunt potiti) intuliſſe, diſcimus clare ex oratione, quam ipſi cum Beliſario duce habuerunt: ubi Chriſtianis avitam fidem, divinumque cultum ita permiſiſſe gloriantur: *Ut Italorum nemo religionem nec volens, nec coactus ad hanc diem mutaverit; neque in Gothos, qui ad illorum ſacra tranſierunt, ullo ſit modo animadverſum.* Apud Procopium *de Bello Goth.* lib. 2. cap. 6.

mus, ut ſi veſtra conveniunt decreta pulſatos, tantum commodi percipiat executor, quantum glorioſus domnus avus noſter pro honoribus perſonarum debere Sajones accipere, expreſſa quantitate, conſtituit. Commodum enim debet eſſe cum modo. Nam ſi menſuram æqualitatis exceſſerit, vim ſui nominis non habebit. Si vero tua juſſione conventio deſtinatur, dumtaxat in illis cauſſis atque perſonis, ubi te miſceri edicta voluerunt, mediam portionem executor accipiat, quam de præceptis regiis ſumere potuiſſet: quia non poteſt convenire juſtitiæ, ut tantum a te directo tribuatur, quantum pro reverentia noſtræ juſſionis offertur. Si quis autem ſaluberrimi conſtituti temerator extiterit, in quadruplum jubemus ablata reſtituti; ut quod delectatione cupiditatis admittitur, aſperitate diſpendii vindicetur. Edicta vero glorioſi domni avi noſtri, vel univerſa præcepta, quæ ad Siciliam pro commonendis univerſorum moribus deſtinavit, ſub tanta volumus obedientia cuſtodiri, ut ſacrilegii reus habeatur, quiſquis belluinis moribus excitatus munimem tentaverit irrumpere juſſionum. Duorum negotia Romanorum, etiam his invitis, ad tuum diceris vocare judicium; quæ, ſi cognoſcis facta, ulterius non præſumas: ne dum vis judicium incompetenter quærere, reatum potius videaris invenire. Memor enim prius debes eſſe edicti, qui inter alios mavis a te ſequenda conſtitui. Alioqui tota tibi decernendi auctoritas tollitur, ſi a te illa regula minime cuſtoditur. Ordinariis judicibus adminiſtrationum ſuarum poteſtas illibata ſervetur. Cognitores ſuos legitima turba comitetur. Obſervationum illarum non mordearis invidia. Gothorum laus eſt, civilitas cuſtodita. Tota ad vos fama confluit, ſi vobis rarus litigator obſervet. Vos armis jura defendite: Romanos ſinite legum pace litigare. Navigiis vecta commercia te ſuggerunt occupare, & ambitu cupiditatis exoſæ ſolum antiqua pretia definire; quod non creditur a ſuſpicione longinquum, etiamſi non ſit actione vicinum. Quapropter ſi rumorem hujuſmodi vitare feſtinas, epiſcopus civitatis, & populus conſcientiæ tuæ teſtes aſſiſtant. Omnibus placeat, quod ad cunctorum neceſſe eſt pertinere fortunas. Pretia debent communi deliberatione conſtitui: quia non eſt delectatio commercii, quæ jubetur invitis. Quocirca ſublimitatem tuam juſſis præſentibus credimus admonendam: quia excedere nolumus, quos amamus; nec aliquid de talibus ſiniſtrum patimur dici, per quos aliorum mores putamus eſſe corrigendos.

Sacrilegus habeatur edicto- rũ Theodorici tranſgreſſor.

DI-

DIPLOMA XLV.

Epiſtola Beliſarii ducis ad Gothos, a quibus caſtellum Lilybœtanum repetit.

NOs Lilybœo (*a*) Vandalorum, qui imperatori jam ſerviunt, caſtello excluditis, per injuriam vobis ipſis obfuturam. Id enim agitis, ut cum rege veſtro, quamvis invito, & ab iis quæ facitis alieniſſimo, ſuſcipiat inimicitias magnus imperator, cujus benevolentiam, labore captatam plurimo, ſibi ille adjunxit. Enim vero quomodo non videatur factum veſtrum a moribus hominum abhorrere; ſi poſtquam Gelimeri per vos licuit caſtellum tenere nuper; auguſtum, nunc Gelimeris dominum, ſpoliare ſubditi poſſeſſione velitis? Id quidem a vobis abſit, præclariſſimi viri: quin hoc potius cogitate, eam eſſe amicitiæ naturam, ut peccata multa obſcure ferat. Contra vero inimicitia ne leviſſimas quidem culpas tolerat; ſed præterita omnia ſcrutatur, neque hoſtes negligentia prætermittit, alieno ditatos. Deinde injuriam, quam majoribus illatam dicit, armis ulciſci ita aggreditur; ut ſi Martis alea male ceſſerit, eorum quæ habet, nihil amittat: ſin lætum habuerit exitum; efficit ut victi præbere ſe faciles aliquando diſcant. Itaque jam nunc abſiſtite vobis juſta ac nobis officere, nec Gothis infenſum reddite imperatorem magnum, quem propitium ſemper vobis optamus. Etenim apprime intelligitis, ſi vobis caſtellum hoc vendicaveritis, bellum ilicet affore, quo non Lilybœum modo, ſed quidquid etiam uſurpaſtis ex alieno, repetemus.

Anno 534.
Procop. de bello Vand. lib. 2. cap. 5.

DI-

(*a*) In memorabili illo bello Græcos inter & Vandalos geſto, Beliſarius Græcæ expeditionis ductor, expugnata Carthagine, & Gelimere Vandalorum rege capto, milites quoſdam in Siciliam miſit, qui Lilybœum a Vandalorum poteſtate eriperent. Sed quoniam Gothi, accepto nuncio de captura Gelimeris, caſtellum illud præoccupaverant, eis itaque per hanc epiſtolam ſcripſit Beliſarius, ut niſi vellent imperatoris Juſtiniani inimicitiam ſuſcipere, Lilybœum reſtituant Græcis. Acceptis hiſce litteris reſponderunt Gothi, ſe retento Lilybœo nulla Juſtinianum injuria afficere: quum Lilybœum non modo, ſed Sicilia etiam tota ad Gothorum imperium pertineret; ut patet ex ſequente epiſtola ex eodem Procopio exſcripta.

DIPLOMA XLVI.

Epiſtola Gothorum ad ipſum Beliſarium. Ejus querelæ reſpondent Gothi, ac Juſtinianum auguſtum controverſiæ arbitrum faciunt (a).

Anno 534.
Procop. de bell. Vandal. lib. 2. cap. 5.

EPiſtola tua, præſtantiſſime Beliſari, admonitionem complectitur, veram illam quidem, ſed in alios quoſpiam, minime vero in nos Gothos convenientem. Nihil enim, quod ad Juſtinianum Aug. pertinet, uſurpavimus: tanta abſit a nobis inſania. Noſtram autem eſſe contendimus Siciliam totam, cujus e promontoriis unum eſt Lilyboei caſtellum. Quod ſi Theodoricus ſorori ſuæ, regi Vandalorum nuptæ, Siculi alicujus emporii copiam fecit, id pro nihilo habe, quum apud nos legis auctoritate non valeat. Tu vero, magiſter militum, coquum feceris, ſi in animum induxeris non hoſtiliter, ſed amice tranſigere controverſiam. In quo illud diſcrimen eſt, quod amici milites arbitrio dirimunt; hoſtes, armis. Nos certe hujus arbitrum controverſiæ juſtinianum Auguſt. feremus, quod ex æquo, & bono judicaverit, amplexuri. Porro cupimus, ut præcipiti conſilio macturum præoptes, ſententiamque expectes principis tui.

DIPLOMA XLVII.

Epiſtola Juſtiniani imperatoris ad Amalaſuntham (b) Athalarici regis matrem. De eodem negotio caſtelli Lilybœtani per Gothos injuſte detenti.

An. 534. cir.
Idem de bell. Goth. l. 1. c. 3.

LIlyboei caſtellum, quod noſtrum eſt, injuſta vi captum, retines; necdum placuit remittere Barbaros, quos a me transfugas accepiſti: per ſummam quoque injuriam damna graviſſima intuliſti Gratianæ meæ. Quo tandem hæc eruptura ſint, tuum eſt cogitare.

DI-

(a) Annum 528 huic epiſtolæ aſſignat Goldaſtus, ſed falſo: nam ut liquet ex indice chronologico perſecutionis Vandalicæ a Theodorico Ruinart edito, non ante annum 534. fuit Carthago a Beliſario capta, Gelimerque ultimus Vandalorum rex devictus, & in triumphum Conſtantinopolim ductus. Vide, ſis, admonitionem præcedentem.

(b) Amalaſuntha, ægrotante ejus filio Athalarico rege, verita ne eo mortuo contemptui eſſet Gothis, inter quos malum de ea nomen percrebuerat, rebus propriis conſulens, de Siculis, Italis, ac Gothis Juſtiniano prodendis agit cum Alexandro ejuſdem imperatoris miniſtro. Hic Ravennæ clam antedictæ Amalaſunthæ aperuit imperatoris mentem, & viciſſim recepit ab ea quid haberet in votis; ſed ut negotium lateret Gothos, his præſentibus epiſtolam hanc Juſtiniani nomine Amalaſunthæ ſummo artificio reddidit; cui illa, annuentibus iiſdem Gothis, reſpondit per ſequentem epiſtolam, exſcriptam ex Procopio, quem conſule.

DIPLOMA XLVIII.

Epiſtola ejuſdem Amalaſunthæ ad eumdem Juſtinianum. Ei ſuper negotium caſtelli Lilybœtani reſpondet (*a*).

MAgnum, & forti animo præditum imperatorem magis decet, puero orbo, & quid agatur ignaro, opitulari, quam ſine cauſa indicere inimicitias. Ex iniquo enim congreſſu ne victoriam quidem honeſtam refert, ſcilicet Lilybœum, & fugitivos decem, & quod in urbem amicam milites noſtri, dum hoſtes ſuos peterent, peccarunt per ignorantiam, minaciter Athalarico commemoras. Abſint procul, abſint hæc a te, imperator: quin potius fac memineris nos tuæ adverſus Vandalos expeditioni non modo non obſtitiſſe, ſed tendentibus in hoſtem copiis lubentiſſime dediſſe iter, copiamque emendi annonam, & cum alia, tum equos tanto numero ſuppeditaſſe, ut hoſtem nulla re magis, quam eorum opera, debellaveris. Socii demum & amici nomen meretur, non illo tantum, qui arma cum vicino conſociat, verum etiam qui quælibet ad bellum quodvis neceſſaria palam ſubminiſtrat. Id etiam reputa, tunc temporis claſſem tuam nec alio quam in Siciliam, recipere ſe e pelago, nec abſque rebus ſibi coemptis tenere curſum in Africam potuiſſe. Quare victoriæ ſummam aſcribere nobis debes, ſi quidem qui negotii tollit obices dignus eſt qui ſucceſſus gloriam ac præmium ferat. Quid autem homini dulcius, quam potiri hoſtium o imperator? Nos tamen jacturam haud mediocrem paſſos, quippe ſpoliorum expertes, contra quam lex belli jubet, nunc etiam Lilybœo, in ditione Gothica jam pridem poſito, ſpoliare vis, uno videlicet ſcopulo, o imperator, nullius fere pretii digno: qui ſi in tuo prius imperio fuiſſet, eo ſaltem Athalaricum, tibi in rebus maxime neceſſariis auxiliatum, remunerari debueras.

Anno 534. *circiter.*

Procop. de bell. Goth. lib. I. cap. 3.

DIPLOMA XLIX.

Epiſtola Beliſarii ducis ad antedictum Juſtinianum. De his, quæ poſt liberatam a Gothis Siciliam ſibi acciderunt: deque ſuppetiis ſibi mittendis, ut paribus cum hoſte viribus cœptum jam bellum finiret (*b*).

IN Italiam pervenimus, uti juſſeras, & magna potiti illius parte, Romam etiam recepimus, exactis hinc Barbaris, quorum præfectum Leuderin, ad vos miſi non ita pridem. Poſtquam autem præ-

Anno 536.

Idem cap. 24.

(*a*) Conſule quæ in proxima admonitione noſtra expoſuimus.

(*b*) Athalaricus Gothorum rex, quum ad ſpem juventutis accederet, ſentiens ſe in proximo moriturum, matrem ſuam Amalaſuntham Juſtiniano impe-

præſidia militaria impoſuimus locis validis, quæ in Sicilia, atque Italia occupavimus exercitus ad quinque millia redactus ſuperfuit, hoſtium vero centum, & quinquaginta millia nos invaſerunt. Ac primum quum ad fluvium Tiberim iviſſemus exploraturi, præterque opinionem in neceſſitatem confligendi incidiſſemus, parum abfuit, quin haſtarum vis non obruerit; deinde muros copiis omnibus, ac machinis undique aggreſſi Barbari, tantum non primo nos, urbemque cepere aditu, feciſſentque, niſi fortuna proſpera ex periculo nos eripuiſſet. Etenim quæ naturam rerum excedunt; ea merito, non humanæ virtuti ac fortitudini, ſed Deo ſunt aſcribenda. Quæ hactenus, ſeu fortunæ munere, ſeu virtute propria geſſimus, optimo certe loco ſunt, quæ vero conſequentur, tuam ut rem augeant velim. Quare quidquid & a me dici, & a vobis fieri convenit, non celabo, haud ignarus Dei quidem arbitrio res humanas fluere; operum vero omnium duces vituperium, vel laudem ex iis quæ ipſi fecerint, reportare conſueviſſe. Itaque arma nobis mittantur, ac milites eo numero, ut in poſterum paribus cum hoſte viribus bellum hoc geramus. Neque enim reponenda ſunt omnia in cura ac fide fortunæ: quippe, quæ eumdem ſemper curſum tenere minime ſoleat. Tecum illud auguſte cogita, nos, ſi jam hoſtis vicerit, ex Italia tua deturbatum iri, ſimulque exercitum amiſſuros, cum ingenti ob rem male geſtam dedecore. Omitto, quod Romanos quibus fides in majeſtatem tuam antiquior ſalute fuit, in exitium conjeciſſe videbimur, & læti ſucceſſus quos ad hanc diem habuimus, nihil denique niſi doloris materiam relinquent nobis. Etenim, ſi ab urbe Roma, & Campania, multoque ante a Sicilia repulſi forte fuiſſemus; id nos omnium utique malorum leviſſimum morderet, quod bonis in aliena manu poſitis, non potuiſſemus ditari. Hoc etiam vobis perpendendum eſt, ne multarum quidem myriadum (*a*) præſidio potuiſſe unquam conſervari Romam diutius, quum ob amplitudinem, tum quod a mari remota rebus omnibus neceſſariis intercludatur. Ac Romani quidem jam nobis ſtudent; ſi tamen ærumnæ protrahantur, apparet eos meliora primo quoque tempore amplexuros. Nam qui recens amicitiam junxere, non duris rebus exerciti; ſed beneficiis affecti, in fide mane-

---

imperatori commendans, rebus humanis exceſſit. Amalaſuntha Theodatum amitinum ſuum, cujus antea inimicitiam ſubierat, eum ſibi conciliatura, Italiæ regem creavit. Qui ut principatus habenas ſuſcepit, beneficii immemor, nil duxit antiquius, quam illam crudeliter perdere. Juſtinianus, audito ſcelere nefandiſſimo, injuriam innocenti mulieri illatam ulturus, miſſo Beliſario, qui jam de Vandalis triumphum retulerat, bellum Gothicum adverſus Theodatum inſtituit. Ergo Beliſarius arma ſua contra Gothos convertens, cum ingenti claſſe in Siciliam venit: ubi parta de Gothis victoria, emenſo freto, in Italiam tranſiit, atque Romam lucratus, Juſtiniano epiſtolam hanc ſcripſit. Conſule Jordanum *de Gothor. orig. & reb. geſt.* cap. 59. & 60. Procopium *de Bello Goth.* lib. 1. cap. 4. 5. 24.

(*a*) Vox barbara numerum decem millium ſonans.

manere ſolent. In primis fames Romanos ad multa, quæ admittere nollent, ſubiget. Me vero, qui vitam majeſtati tuæ meam deberi ſcio, me, inquam, vivum nemo hinc dejicere potuit. Sed vide quid tandem laudis allaturus tibi ſit ejuſmodi exitus Beliſarii.

DIPLOMA L.

Conſtitutio Juſtiniani imperatoris. De prætore Siciliæ, & ejus officio.

HAbeto Sicilia prætorem (*a*), qui & res civiles tractet, & curam gerat militaris impenſæ. Publica tributa Siciliæ non pertinent ad ſolicitudinem prætoris, ſed cenſentur ſub comite patrimonii Italiæ. Appellationes (*b*), & decreta defenſorum, & primorum civitatis Siciliæ tractat & examinat quæſtor. P. P. poſt conſulatum Beliſarii (*c*).

Anno 536. Authen. *de Prætore Sicil.* coll. 10. conſt. 104.

DIPLOMA LI.

Epitome alterius conſtitutionis ejuſdem Juſtiniani. De appellationibus Siciliæ, per quæſtorem ſuſcipiendis (*d*).

APpellationes quæ in Sicilia porriguntur adverſus ſententias prætoris (*e*), vel ducis, vel cujuſvis alterius judicis in Sicilia conſtituti apud quæſtorem (*f*) in hac regia urbe exerceri præcipimus, ut ipſe diſcutiat cauſſas provocationis, & ſententiam dicat, & noſtro imperio referat, ut noſtra auctoritate ſententia ejus roboretur. Sed & ſi aliud civile emergat, veluti defenſoris confirmatio, vel decre-

An. 537. cir. Novell. Cōſt. 68. *de Appell. in Sicil. porr.*

(*a*) Quæ ad illuſtrandam notitiam præturæ Siciliæ facere poſſunt, dabimus in fine Voluminis, Diſſertatione VII. Cap. V.

(*b*) Confer cum duobus Dipl. immediate ſequentibus.

(*c*) Id eſt, anno 536. nam Beliſarius anno 535. conſul fuit abſque collega, & nullis duobus ſequentibus annis creatis conſulibus, hæc formula Orientalibus anno 536. uſui fuit: *Poſt conſulatum Beliſarii*; anno vero 537. iſta: *Poſt conſulatum Beliſarii II.*

(*d*) Hujus conſtitutionis ſummam exhibet Liber Authent. juris civilis coll. 10. novell. 75. *Siciliæ appellationes ſuſcipiat quæſtor, & interveniant pſephiſmata tam ecdicorum, quam patrum.*

(*e*) Quo ſignanter anno prodierit hæc lex, plane non conſtat; attamen vel ex hoc tantum loco plane liquet, poſt illam anni 536. *de Prætore Siciliæ*, quam modo edidimus, conditam eſſe.

(*f*) Non una ſemper fuit regula pro ſuſcipiendis appellationibus de Sicilia venientibus: primum ad præfectum Urbis, deinde ad eum ſimul & ad præfectum Prætorio ſpectabant, ut ſupra Dipl. IX. & XVIII. per hanc vero conſtitutionem, per præcedentem ſimul, & ſequentem ad quæſtorem regiæ urbis pertinere videntur.

tum patris civitatis Siciliæ; ſimiliter ad quæſtorem referatur, & calculo ipſius confirmetur, noſtra ſcilicet auctoritate, ſuggerente quæſtore, ſequenda.

DIPLOMA LII.

Epitome tertiæ conſtitutionis antedicti Juſtiniani. De officio quæſtoris, circa provocationes a Sicilia Conſtantinopolim venientes (a).

An. 537. cir. Novell. Coſt. 97. *de Offic. Quæſtor.*

PRovocationes, a Sicilia in hanc civitatem venientes, apud excellentiſſimum quæſtorem ventilentur. Etſi defenſorum civitatis creandorum, vel patrum decreta opus ſit celebrari, apud eumdem illuſtriſſimum virum celebrentur.

DIPLOMA LIII.

Induciarum tabulæ, quas Gothorum legati cum Beliſario firmant, ceſſa Beliſario Sicilia, & Gothis Britannia (b).

An. 538. cir. Procop. de bell. Goth. lib. 2. cap. 6.

G*Othorum promiſſio*: Etſi neminem veſtrum præterit nihil non vere a nobis dictum; tamen, ne litigare videamur, vobis Siciliam cedimus, tanta, ac tam divite inſula: ſine qua Africam non poteſtis tenere tuto. *Mox Beliſarius*: At nos Britanniam totam, multis partibus majorem Sicilia, atque olim Romanis ſubditam, Gothis concedimus.

DI-

(a) Conſule duplicem præcedentem conſtitutionem.

(b) Gothi bellorum incommodis, ac peſtilentiæ vi magnopere adacti, viros ſumma apud eos auctoritate præſtantes, oratores mittunt, ut de pace ineunda cum Beliſario agerent: ſcriptæ itaque ſunt iſtæ induciarum tabulæ. Quem vero eventum inde res habuerit, enarrat ipſe idem Procopius *de Bello Goth.* lib. 2. cap. 6. & ſeqq.

DIPLOMA LIV.

Epiſtola Pelagii papæ I. ad Cethegum patricium. De ordinatione Catanenſis, ac Syracuſani epiſcopi.

Pelagius Cethego patricio (*a*).

QUod de ordinando eccleſiæ Catinenſis epiſcopo (*b*) ſalubris electione judicii fieri deſideraſtis, agnovimus: confeſtim ſequenti die eum juxta morem diſcutientes, tertio quo venit die epiſcopum conſecrare curavimus. Simili quidem modo & de Syracuſanæ urbis antiſtite (*c*) optaveramus in ipſo initio gloriæ veſtræ deſideriis obedire, niſi nos multiplex ratio ipſius non paucis temporibus ordinationem differre ſacerdotii coegiſſet, ob hoc quod vel perſonæ qualitas, ſicut & vos melius noſtis, vel ſuperſtes uxor, aut filii per quos eccleſiaſtica ſolet periclitari ſubſtantia noſtros animos diutius ab ejus ordinatione ſuſpenderent. Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro pene anno diſtulimus, opinantes quod in melius Syracuſanorum provenire poſſet electio. Sed quia in voluntatis ſuæ propoſito irrevocabiliter perſtiterunt, & nullus eſt alius in eadem repertus eccleſia (*d*), niſi longioribus adhuc temporum differretur ſpatiis: ne paullo amplius inſanirent, ſicut filii noſtri magnifici viri prætoris (*e*) teſtificatione didi-

Anno 556. circiter. Can. *De Syracuſanæ* Diſt. 28. & Labbe t. 6. Cõcil. col. 484.

(*a*) Patriciatus dignitatem, qua præditus erat Cethegus, exponunt, Zoſimus *Hiſt.* lib. 2. Sigonius *de Regno Ital.* lib. 4. ad annum 773. & Joſeph Cantelius *Metrop. Urb. Hiſt.* Diſſert. 2. cap. 4.

(*b*) Elpidius is vocabatur, ut patet ex altera ejuſdem Pelagii epiſtola mox recudenda. Ergo duo fuerunt unius Elpidii nomine Catanenſes epiſcopi: alter a Pelagio I. paſtoralibus infulis donatus, de quo in duabus hiſce epiſtolis; alter a Pelagio II. conſecratus, de quo infra Dipl. LVI. LVII. & CLXXXVIII. Ex his poſteriorem tantum agnoverunt Pyrrhus, & Groſſus, Catanenſium præſulum catalogum texentes: utrumque admittunt alii recentiores ſcriptores ſane quam eruditi; ſed ii uniformitate nominis offenſi, priori nomen Elpidii abjudicant, ac anonymum dicunt: & ne apertiſſimæ ſequentis epiſtolæ auctoritati obſiſtere videantur, eam auctori non ſuo ſuppoſitam eſſe volunt, atque Pelagio II. aſcribunt. Conjectura non illaudabilis, ſi duo eſſe omnino non potuerint uni eccleſiæ ejuſdem nominis epiſcopi, alteri alter ſuffectus. Sane vel in ipſa Catanenſis eccleſiæ hiſtoria non duo tantum, ſed & tres ſemel atque iterum occurrunt epiſcopi idem nomen præſeferentes.

(*c*) Huic epiſcopo Agathonis II. nomen indixit Pyrrhus *in Notit. Eccleſ. Syrac.* ad annum 553. Vellem antiquiorem teſtem nanciſci, ut rem præfidentius credere poſſim.

(*d*) Diſciplina de non ordinandis exteris tunc temporis ita inviolabiliter obſervabatur, ut maluerit Pelagius electum civem cum ſuperſtite adhuc uxore & filiis, quam qui de numero civium non eſſet, ad Syracuſanum epiſcopatum admittere. Conſule S. Gregorii epiſtolas, hic Dipl. LXIV. & CCLI. & prætereа vide Thomaſinum *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. 2. cap. 10.

(*e*) Siciliæ præfecturam reſtituit Juſtinianus, ut conſtat ex Dipl. L.

didicimus, inter hujuſmodi ambiguitates illud conſultius judicavimus faciendum, ut congrua providentia cauſſam, propter quam principalis conſtitutio habentes filios, & uxorem ad epiſcopatus prohibet ordinem promovere, ſalva diſpoſitione concilii muniremus. Qua de re ſummo ſtudio ab eodem Syracuſanæ urbis epiſcopo, priuſquam a nobis eum contingeret ordinari, hujuſmodi exegimus cautionem, perquam & ſuam fateretur, quantula eſſet, præſentis temporis habita rerum deſcriptione, ſubſtantiam; & nihil unquam per ſe, aut per filios, aut uxorem, ſive per quamlibet propinquam, aut domeſticam, vel extraneamforte perſonam, de rebus uſurparet eccleſiæ; & univerſa ſui epiſcopatus quæſita tempore, ſuæ eccleſiæ dominio ſociaret; nihil ultra id, quod modo deſcriptum eſt, filiis ſuis, vel heredibus relicturus.

DIPLOMA LV.

Epiſtola ejuſdem Pelagii ad Elpidium Catanenſem epiſcopum (a). De clericis eccleſiæ ſuæ.

Anno 558. *circiter*.

Labbe t.6.Cōcil.col.487.

SIcut (*b*) unumquemque clericum tuorum eccleſiaſticis utilitatibus, vel diſpoſitionibus dilectionis tuæ pro eadem eccleſia uſque ad juſtitiæ, legumque rationem procedentibus, fideliter obedire proſpexeris; ita dilectionis tuæ effectu continuas ſecundum fidem, diligentiamque ſuam, uniuſcujuſque merita proſequendo.

DIPLOMA LVI.

Epiſtola Pelagii papæ II. ad Eucarpum Meſſanenſem epiſcopum (c). Ei Catanenſis eccleſiæ viſitationem, quum ea ſedes vacaret, injungit, & formam electionis novi paſtoris præſcribit.

*An.*578.*cir.*

Can. *Catinenſis*. diſt. 62.

CAtinenſis eccleſiæ viſitationem tibi injungimus, cujus epiſcopum de hac luce tranſiſſe, ſuſcepta cleri relatione, didicimus. Impoſſibile enim eſt, ut nos in provincia illa dumtaxat in Syracuſanis partibus alii cuilibet cauſſas, quæ ad Deum pertinent, committamus; niſi

---

(*a*) De Elpidio iſto egimus jam in monitis ad præcedentem epiſtolam.

(*b*) Epiſtola hæc mutila videtur & manca: eapropter percipi non poteſt perfectus ſcripturæ ſenſus.

(*c*) Quum Eucarpus Meſſanenſis epiſcopus interfuerit, ac ſe ſubſcripſerit ſynodo Romanæ ſub Symmacho, & Theodorico Gothorum rege anno 503. congregatæ; & non ante annum 578. qui fuit primus pontificatus Pelagii II. epiſtola hæc inſcribi potuerit: aut duos epiſcopos Eucarpi nomine conſtituamus oportet, aut certe unum, cui vita adeo longior fuit, ut in matura ætate, præ illius temporis more, electus, 75. & amplius annos in epiſcopatu conſumpſerit.

niſi forte talem per te Deus nunc in Catinenſi eccleſia eligere voluerit; de cujus conſcientia poſſimus eſſe ſecuri, ut a te labores iſtos paullulum removere poſſimus. Mox ergo dilectio tua ad ſupradictam Catinenſem eccleſiam pergat, & hominem de clero, qui nec uxorem habeat nec filios, nec crimen aliquod canonibus inimicum, eligi cum auxilio Dei compellat, atque ſuadeat; & ſtatim eum ad urbem Romam (*a*) cum decreto, & teſtificatione relationis tuæ tranſmitte.

DIPLOMA LVII.

Epiſtola ejuſdem Pelagii ad clerum Catanenſem. De ordinatione Elpidii II. & ut ipſe Elpidius de rebus eccleſiæ aliquam ſecuritatem nulli faciat.

Pelagius papa clero Catanenſi.

Anno 580. circiter.

Can. Talia quidem. 8.q.3. & Labbe t. 6. Cõc.pag.540.

TAlia quidem jamdudum ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Eucarpum de viſitatione Catinenſis eccleſiæ ſcripta (*b*) direximus, ut in eis judicium noſtrum potuiſſetis agnoſcere. Verumtamen, quia quoſdam ibi non ſana intentione, ſed pravis ſtudiis diſſenſionis ſuſcitare, veſtra etiam relatione cognovimus, qui ſcientes ſe ad epiſcopatum nec ætate, nec ſcientia, nec vitæ meritis poſſe perduci, ad hoc tantummodo inquietare eccleſiam volunt, ut ſibi de his, quæ ex ipſa præſumpta ſunt, impunitatem futurus promittat epiſcopus, & fiat rapinæ ſecuritas, epiſcopatus ambitio: hoc etiam vos duximus commonendos, ut decretum in Elpidium (*c*) diaconum factum, & ſubſcriptum ab omnibus, quos veſtra relatio deſignavit, ad nos cum prædicti viſitatoris epiſtola, & cum eodem diacono maturetis, Deo propitiante, perducere. *Et poſt pauca.* Quum igitur huc filius noſter magnificus vir Leo prætor (*d*) veniſſet, retulit nobis de ſingulis quæ ibi mota ſunt, & quomodo vota prope totius civitatis in Elpidio diacono concordarent. Unde quia de memorati viri teſtimonio dubitare omnino non poſſumus: iccirco, ſicut dictum eſt, Elpidium diaconum ad nos facite properare; nec expectetis ulterius, ut admonitio

Leo prætor Siciliæ.

(*a*) Ergo epiſcopos Siculos tunc temporis nullus conſecrabat, niſi Romanus pontifex, cujus ſe imperio immediate ſubjiciebant, & poteſtati. Conſule Diſſertationem noſtram ad calcem Voluminis edendam: *De eccleſiaſtica politia Siciliæ per decem priora ſæcula.*

(*b*) Epiſtola hic memorata veluti Eucarpo ſcripta, eadem eſt quam modo publicavimus.

(*c*) Elpidii epiſcopi Catanenſis fit mentio in epiſtola S. Gregorii magni ad Leonem epiſcopum Catanenſem, hic Dipl. CLXXXVIII. Elpidium II. eum nominamus ex his quæ expoſuimus in notis ad Dipl. LIV.

(*d*) Siciliæ honorificentiam præturæ reſtituit Juſtinianus imperator, per conſtitutionem, quam recudimus ſupra Dipl. L.

nitio ad eum noſtra debeat deſtinari. Quem tamen hoc per veſtram dilectionem in præſenti juſſione ſpecialiter admonemus, ne cui ſe aliquid dare vel daturum eſſe promittat: ſed neque de eccleſiaſticis præteritis cauſſis aliquam ſecuritatem cuiquam audeat facere, ſive promittere; aut quaſi factus epiſcopus ea quæ direpta ſunt non repetat, ſed apud eos a quibus direpta ſunt, permanere libere patiatur: ſciens, quod ſi tale aliquid fecit, vel fecerit, nec a nobis omnino permittitur valere ipſa promiſſio, & cum judicii noſtri, quod de ipſo habuimus, damno, paſtoralis conſecrationis ordinem promereri non poterit.

DIPLOMA LVIII.

Epiſtola (a) antedicti Pelagii, ad Creſconium (b) illuſtrem (c). Ut epiſcopi Siciliæ ultra duos ſolidos non accipiant nomine cathedratici: & ut eis ſupra clericorum vires convivia non præparentur.

Anno 580. *circiter.*
Can. *Illud te.* 10 q. 3.

ILlud te volumus modis omnibus cuſtodire, ne qui epiſcoporum Siciliæ de parochiis ad ſe pertinentibus, nomine cathedratici (*d*) amplius quam duos ſolidos præſumant accipere; neque compellere presbyteros, aut clericum parochiarum ſuarum ſupra vires ſuas eis convivia (*e*) præparare.

DI-

(*a*) Confer cum ſequente epiſtola.

(*b*) Creſconium hunc defenſorem vocat Gloſſa *in hoc Can.* De defenſoribus agemus in Diſſert. VII. Cap. VII.

(*c*) Illuſtriſſimi appellatio, quæ ætati noſtræ uſque ad nauſeam frequens eſt, tunc temporis apud Romanos nondum obtinuerat, utpote qui illuſtris tantum voce uterentur: quam nec omnibus indiſcriminatim tribuebant, ſed illis ſolummodo, quos vel nobilis proſapia, vel ſpectabilis dignitas ſeparabat a plebe: immo non quæcumque dignitas ſufficiens erat, ſed omnino major requirebatur. Porro apud antiquos, teſte Panvinio, magiſtratus in triplici erant differentia: alii erant majores, qui appellabantur *illuſtres*: alii medii, qui dicebantur *ſpectabiles*: & alii minores, qui *clariſſimi* nomenclatura gaudebant. Trium harum dignitatum formulas exhibet Caſſiodorus lib. 6. & 7.

(*d*) Cathedraticum jus eſt certam pecuniæ ſummam accipiendi, quo utitur epiſcopus parochias ſuas viſitans. Duorum tantum ſolidorum eſſe præſcribit Pelagius; cui conſonant, concilium Bracharenſe II. Can. 2. Toletanum VII. Can. 4. Capitulare Caroli Calvi, & Honorius papa III. cap. *Conquærendæ de Offic. Jud.* Sed ſacroſancta ſynodus Tridentina viſitanti epiſcopo quidquam etiam *ultro oblatum* accipere prohibuit, *exceptis tantum victualibus, quæ ſibi ac ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantum neceſſitate, & non ultra, erunt miniſtranda.* Et ut oſtenderet, quam ſibi cordi eſſet, ut præſcriptam moderationem & frugalitatem epiſcopi in procurationibus exigendis ſervarent, dupli reſtitutionem & alias præterea pœnas tranſgreſſoribus minatur.

(*e*) Prandia, quæ ſobrietatem redolerent, ac omnem luxum excluderent, viſitantibus epiſcopis præparari præcipit Pelagius. Tridentina ſynodus modo laudata omnem quoque epularum abundantiam excluſam vult per ea verba, *frugaliter moderateque.* Immo

DIPLOMA LIX.

Epiſtola ipſius ejuſdem Pelagii ad eumdem Creſconium. Ut Syracuſanus nominatim epiſcopus, una ſimul cum reliquis Siciliæ, antedictæ conſtitutioni, de duobus ſolidis, & moderatis prandiis obediret (a).

ILlud magnitudinem tuam minime volumus ignorare, quod Syracuſanæ civitatis epiſcopus inter alia, quæ in cautionum ſuarum pagina ſpopondit, hoc & ſpecialiter ſub interpoſitione pœnæ legitime promiſiſſe legitur, numquam ſe a quolibet ſuæ diœceſis presbytero ultra duos ſolidos cathedratici nomine petiturum, nec per quamlibet aliam occaſionem quidquam in ejus ſe diſpendio eſſe geſturum. Quod magnitudo tua, non ſolum a prædicto epiſcopo, ſed de omnium epiſcoporum Siciliæ perſonis competenti ſolicitudine cuſtodire non deſinat; nec ipſa quoque prandia enormia fieri, ſed ſecundum mediocritatem uniuſcujuſque loci epiſcopo ad conſignationem venienti ſuſceptionis præparari convivium, quia nec eo pretextu pauperibus incuti damna volumus, aut qualibet ratione permittimus.

An.534.cir. Can. *illud magnitudinem tuam.* 10.q.3.

DIPLOMA LX.

Epiſtola S. Gregorii papæ I. ad omnes epiſcopos Siciliæ. Suas intra Siciliam vices Petro ſubdiacono commiſſas declarat. Ut provinciæ illius epiſcopi ſemel per annum conveniant, ſtatuit. Ipſos quid in concilio cavendum, quid agendum ſit, monet (b).

Gregorius ſervus ſervorum Dei univerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis.

VAlde neceſſarium eſſe perſpeximus, ut ſicut deceſſorum noſtrorum fuit judicium, ita uni eidemque perſonæ omnia committamus; &, ubi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum, cui præ-

Anno 590. S.Greg. lib.1. indict.9.ep.1.

Immo ſat oſtendit per moderationem & frugalitatem, ſe deſiderare, ut epiſcopi obſervent id quod diſcipulis ſuis inculcavit Chriſtus: ut ſcilicet de menſarum inſtructione, aut victualium apparatu non ſoliciti, contenti eſſent iis quæ ultro apponuntur eis: hinc S. Carolus deductum in morem habebat, ut ipſe, & qui eum comitabantur, tum in manducando, tum in cubando, paupertati viſitandorum ſe conformarent, referente vitæ ejus ſcriptore, Godæo lib. 1. cap. 13.

(a) Conſule præcedentem epiſtolam, & quæ ibi expoſuimus in notis.

(b) S. Gregorii epiſtolas notis adeo eru-

præcipimus, repræſentetur auctoritas. Quamobrem Petro ſubdiacono (*a*) Sedis noſtræ, intra provinciam Siciliam vices noſtras (*b*), Deo auxiliante, commiſimus. Nec enim de ejus actibus dubitare poſſumus, cui, Deo auxiliante, totum noſtræ eccleſiæ noſcimur patrimonium (*c*) commiſiſſe.

Illud quoque fieri debere perſpeximus, ut ſemel per annum (*d*) ad Syracuſanam, ſive Catanenſium civitatem, univerſaliter honore, quo dignum eſt, ſicut eidem juſſimus, fraternitas veſtra conveniat: quatenus, quæ ad utilitatem ipſius provinciæ eccleſiarum pertinent, ſive ad neceſſitatem pauperum oppreſſorumque ſublevandam, ſive ad admonitionem omnium atque correctionem eorum, quorum exceſſus contigerit demonſtrari, congrua cum eodem Petro ſubdiacono Sedis noſtræ debeatis moderatione diſponere. A quo concilio procul abſint odia, facinorum nutrimenta, atque invidia interna tabeſcat, & nimis execrabilis animorum diſcordia. Sacerdotes ſuos concordia Deo placita, & caritas recognoſcat. Hæc igitur omnia cum ea maturitate, ac tranquitlitate gerite, ut digniſſime epiſcopale poſſit concilium nuncupari.

DI-

---

eruditis illuſtrarunt, Altaſerra, Guſſanvillæus, & monachi Benedictini e congregatione S. Mauri, ut qui hoc genus argumenti retentare voluerit, aut latro alieni laboris ſit, oportet, aut certe vir otio abundans, quem actum agere non piget. Sed quoniam neglecta harum epiſtolarum deſcriptione, mutila ſatis & manca remaneret noſtra Siciliæ Diplomaticæ collectio: his igitur recudendis operam damus, opportuniores obſervationes deligentes, vel ex iiſdem commentatoribus doctiſſimis mutuatas, vel aliunde induſtria noſtra comparatas. Ii enim etſi maximi, homines tamen ſunt, quorum aciem hiſce in rebus obſcuris, & ab ætate noſtra longe remotis aliquid effugiſſe, vitium non eſt. Et quidem rebus hiſtoricis illuſtrandis potiſſimum vacamus: quæ provincia, ſi verum amas, iiſdem viris doctiſſimis minus curæ fuit, utpote qui graviori negotio lectionis emendandæ ad fidem manuſcriptorum Codicum animum intenderent.

(*a*) Eum S. Gregorius initio pontificatus ſui in Siciliam miſit, regendi gratia patrimonium Romanæ eccleſiæ, ut hic & alibi paſſim. Hoc fuit in cauſſa quamobrem ei *procuratoris* titulum nonnulli tribuerent, alii *curatoris*, alii *defenſoris*, alii *apocriſiarii*, alii autem *rectoris*. Sed poſteriorem nomenclaturam aliis veriorem reddunt epiſtolæ ipſius ejuſdem S. Gregorii, hic Dipl. LXVII. LXVIII. & CXIX. Ergo S. Pontifex, præ illius ætatis more ipſi Petro ante corpus beati Petri regendi patrimonii Siculi poteſtatem faciens, eum in Siciliam miſit, ſcriptis de hujuſmodi expeditione tribus primis ejus epiſtolis, una ad univerſos epiſcopos Siciliæ, cui illuſtrandæ nunc incumbimus, altera ad Juſtinum prætorem Siciliæ, tertia vero ad Paulum ſcholaſticum. Conſule quæ dabimus in fine Voluminis Differt. VI. Cap. I.

(*b*) Notabile teſtimonium ad evertendam ex imo illorum opinionem, qui rudioribus ſæculis ſcribentes, aliquem in Sicilia, præter Romanum pontificem, metropolitam conſtituunt. De quo argumento ex propoſito agemus infra, Diſſertat. II. *De Eccleſiaſtica politia Siciliæ per decem priora ſæcula*.

(*c*) Quæ de patrimonio eccleſiæ Romanæ in Sicilia dici potuerant in unum collecta habebis infra Diſſert. V.

(*d*) Epiſcopi Siculi præter ſynodum illam Romanam, cui primum bis quolibet anno, cum aliqua inde moderatione ex Dipl. XXIX. & CXXXVI. inter-

DIPLOMA LXI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Juſtinum prætorem Siciliæ. Juſtinum amice ac ſerio hortatur, ut paci cum ſacerdotibus, æquitati erga omnes ſtudeat, utque integram frumenti annonam curet tranſmitti.

Gregorius Juſtino prætori Siciliæ (*a*).

Anno IX. Ind. 590. & 591. Ex eodem lib. I. epiſt. 2.

QUod lingua loquitur, atteſtatur conſcientia: quia dudum vos & nullius dignitatis occupationibus implicatos, multum dilexi, multumque veneratus ſum. Ipſa namque inceſſus veſtri modeſtia quibuſdam conatibus exigebat, ut diligi etiam a nolente debuiſſet. Et quum vos veniſſe ad adminiſtrandam præturam Siciliæ audivi, valde gaviſus ſum. Et quia quamdam inter vos, atque eccleſiaſticos (*b*) ſimultationem ſubrepere comperi, vehementiſſime contriſtatus ſum. Nunc vero quia & vos adminiſtrationis cura, & me ſtudium hujus regiminis occupat, in tantum nos recte diligere ſpecialiter poſſumus, in quantum generalitati minime nocemus. Unde per omnipotentem Dominum rogo, in cujus tremendo judicio noſtrorum actuum poſituri rationes ſumus, ut ejus reſpectum ſemper gloria veſtra ante oculos habeat, & numquam quodlibet, ex quo inter vos vel parva diſſenſio proveniat, admittat. Nulla vos lucra (*c*) ad injuſtitiam pertrahant, nullius vel minæ, vel amicitiæ ab itinere rectitudinis deflectant. Quam ſit vita brevis aſpicite: ad quem quandoque ituri eſtis judicem, qui judiciariam poteſtatem geritis, cogitate. Solerter ergo intuendum eſt, quod cuncta lucra hic relinquimus, & ſolas diſpen-

 dio-

intereſſe tenebantur, aliud provinciale concilium ſibi ipſis proprium Syracuſis vel Catanæ ſingulis annis indiſſimulanter ex hac epiſtola celebrare coguntur. Quod & ante ipſum S. Gregorium per omnes fere provincias Chriſtiani orbis decreverat Conſtantinus imperator, quemadmodum diſcimus ex ejus Novella Conſt. 439. incluſa in corpore juris civilis.

(*a*) Præturam Siciliæ inſtituit, ſeu verius reſtituit Juſtinianus Imp. anno 536. cujus conſtitutionem exſcripſimus ſupra Dipl. L. Dignitatem hanc, pontifice Pelagio II. obtinebat Leo; cui ſuffectus eſt Juſtinus iſte, qui inde Libertinum ſucceſſorem habuit, Libertinus autem Alexandrum. Conſule Diſſertationem VII. ad calcem hujus Voluminis edendam.

(*b*) Juſtinus ſtatim ac ad præturam Siciliæ fuit evectus cum epiſcopis Siculis litem ſtrenue egit, ut hic innuit S. Gregorius, & expreſſius perhibet in epiſtola ad Petrum Subd. quæ eſt LXXVII. hujus collectionis, & in epiſtola ad ipſum Juſtinum, hic Dipl. LXXXVII.

(*c*) Eumdem Juſtinum hortatur S. Gregorius, ut nullis illectus lucris juſtitiam coleret; ſed ejus paſtoralibus monitis prætor non fuit obſecutus, utpote qui avaritiæ perditiſſime addictus, Judæum quemdam Chriſtianorum ſeductorem impunitum relinqueret, ut infra Dipl. XCV.

dioſorum lucrorum cauſſas nobiſcum ad judicium deportamus; illa ergo ſunt nobis commoda quærenda, quæ nequaquam mors adimat, ſed manſura in perpetuum præſentis vitæ finis oſtendat.

De frumentis autem quæ ſcribitis, longe aliter vir magnificus Citonatus aſſerit: quia ſolummodo tanta tranſmiſſa ſunt, quæ pro tranſactæ indictionis debito ad replendum ſitonicum (*a*) redderentur. De qua re curam gerite: quia ſi quid minus huc tranſmittitur, non unus quilibet homo, ſed cunctus ſimul populus trucidatur (*b*).

Ad regendum vero Siciliæ patrimonium, talem, ut æſtimo, virum (*c*), Deo auctore, tranſmiſi, cum quo vobis, ſi, ut ego expertus ſum, recta diligitis, omnino conveniat. Quod autem me, ut veſtri memor eſſe debeam, admonetis, verum fateor, ſi ex antiqui hoſtis inſidiis injuſtitia nulla ſubrepat, tantam gloriæ tuæ modeſtiam didici, ut eſſe non tuus erubeſcam.

DIPLOMA LXII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Paulum ſcholaſticum. Paulum, quod de pontificatu ſibi gratuletur, arguit. Maurentium illi, & Petrum ſubdiaconum commendat.

Gregorius Paulo ſcholaſtico (*d*).

Anno ix. Ind. 590. & 591.

Ex eodem lib. 1. epiſt. 3.

QUidquid mihi ex honore ſacerdotalis officii extranei arrident, non valde penſo: de vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minime doleo, qui deſiderium meum pleniſſime ſcitis, & tamen profeciſſe me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, ſi potuiſſet impleri, quod volui: ſi voluntatem meam, quam dudum cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuiſſem (*e*). At

(*a*) Id eſt *horreum publicum*. Eodem ſenſu *ſitonicum* accipitur infra Dipl. CCXLII. Vide Du-Cangium *in ſuo Gloſſario*.

(*b*) Roma tritici penuria magnopere angebatur, quia anno ſuperiore Tiberis exundans, eccleſiæ horrea ſubverterat, pereuntibus nonnullis tritici modiorum millibus, ut referunt, S. Greg. Turon. lib. 10. cap. 1. & Johannes diaconus *in Vita S. Greg.* lib. 1. cap. 34.

(*c*) Scilicet Petrum ſubdiaconum, quem ipſemet S. Gregorius ſingillatim nominat in præcedente, ac in ſequente epiſtola.

(*d*) Alibi, id eſt Dipl. CCLXII. *Paulo ſcholaſtico Siciliæ*. Porro ſcholaſtici nomen non uno ſemper ſenſu uſurpatum fuit ab antiquis; ſed S. Gregorius juris-conſulto frequentius nomen iſtud tribuit, ut commode cognoſci poteſt ex Dipl. LXIX. in fine.

(*e*) Quam ægre pontificatus honorem ſuſceperit S. Gregorius, ipſemet teſtatur ulterius in duabus epiſtolis aliis, quas immediate poſt iſtam ſcripſit, alteram Johanni Epiſc. Conſtantinopolitano, alteram Theoctiſtæ imperatoris Mauricii ſorori. Id ipſum plane confirmat Johannes diaconus *in Vita S. Greg.* lib. 1. cap. 39.

At quia nunc in civitate teneor Romana, honoris hujus vinculis religatus, habeo aliquid quod etiam veſtræ gloriæ exultem. Et quia viro eminentiſſimo domno Leone exconſule (*a*) veniente, vos in Sicilia remanere non ſuſpicor: & quum ipſe quoque tuo honore religatus, Romæ retineri cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego patiar, agnoſces. Veniente autem viro magnifico domno Maurentio chartulario (*b*), ei quæſo, in Romanæ urbis neceſſitate concurrite: quia hoſtilibus gladiis foris ſine ceſſatione confodimur. Sed ſeditione militum, interno periculo gravius urgemur. Petrum vero ſubdiaconum noſtrum, quem pro regendo eccleſiæ patrimonio, Deo auctore, tranſmiſimus, veſtræ gloriæ per omnia commendamus (*c*).

Leo exconſul.

Maurentius chartularius.

DIPLOMA LXIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Petrum ſubdiaconum. Ut diſcrepatio de agrorum finibus quadraginta annorum poſſeſſione componatur.

Gregorius Petro ſubdiacono (*d*).

GRegorius ſervus Dei, presbyter & abbas monaſterii ſancti Theodori (*e*) in Sicilia provincia, territorio Panormitano conſtituti, inſinuavit nobis homines fundi Fulloniaci (*f*), juris ſanctæ eccleſiæ Romanæ fines fundi gerdimiæ, collimitantis eidem præfato fundo eccleſiæ ſanctæ Romanæ, quos quieto jure per innumeros annos poſ-

Anno 590. *Menſe Nov.*

Ex eodem lib. I. epiſt. 9.

(*a*) Quomodo Leo exconſul dici potuerit, quando plane conſtat longe ante hæc tempora conſules extinctos jam fuiſſe, dicemus infra ad calcem Voluminis, Diſſertatione VII. Cap. VI. *de Exconſulibus*.

(*b*) De eo agemus in cit. Diſſertatione Cap. IX. *de Chartulariis*.

(*c*) Ex Cod. M. S. Turonenſi S. Gatiani, teſtibus monachis Benedictinis, conſtat hanc epiſtolam datam eſſe *menſe Octobri indict. IX.* id eſt ſub exordio pontificatus ipſius ejuſdem S. Gregorii. Is enim pontificatum iniit die 3. Septembris ejuſdem indictionis, quæ incidit in annum Chriſti 590.

(*d*) De eo aliqua præfati ſumus in notis ad Dipl. LX.

(*e*) Duo in Sicilia erant monaſteria S. Theodori nomine inſignita, alterum Panormi, quod S. Gregorius memorat hic, atque etiam in epiſtola ad Victorem epiſcopum Panormitanum, infra Dipl. CXII. alterum Meſſanæ cujus ipſemet S. Gregorius recordatur in duabus ejus epiſtolis, hic Dipl. LXVII. & LXVIII. Hoc non advertens eruditiſſimus alioquin vir Johannes Mabillonius *Annal. Bened.* tom. I. lib. 8. n. 24. monaſterium de quo hic agitur, in errorem prolapſus, cum Meſſanenſi perperam confundit. Rocchus Pyrrhus rerum eccleſiæ Siculæ indagator non indiligens, *Sicil. Sacr.* lib. 4. par. 2. in princ. hocce monaſterium S. Theodori Panormi unum ex ſex illis fuiſſe contendit, quæ in Sicilia ex proprio patrimonio S. Gregorius ædificavit. Quod argumenti genus nos illuſtrabimus infra, Diſſert. III. *de Monachiſmo Siciliæ per decem priora ſæcula*.

(*f*) Hujus fundi fit quoque mentio infra Dipl. CCL.

poſſederunt, velle pervadere. Et ideo volumus accedentem te ad Panormitanam civitatem, quæſtionem ipſam tali ratione diſcutere, dominio rei apud poſſeſſorem, ſicuti hactenus poſſeſſum eſt, videlicet permanente, ut ſi monaſterium præfatum ſancti Theodori fines, de quibus cauſatio mota eſt, inconcuſſis quadraginta annis (*a*) poſſediſſe repereris, nullam deinceps, etiam ſi quid ſanctæ Romanæ eccleſiæ competere potuit, patiaris ſuſtinere calumniam, ſed quietem eorum inconcuſſam modis omnibus procurare. Sin vero actores ſanctæ eccleſiæ non eos poſſediſſe quadraginta annos inconcuſſo jure monſtraverint, ſed aliquam intra hæc tempora motam fuiſſe aliquando quæſtionem eorumdem finium, electis arbitris, tranquille & legaliter ſopiatur. Nos enim non ſolum numquam mota ſuſcitari volumus, verum etiam quæ prava foris admoventur ſopire modis omnibus feſtinamus. Ita ergo experientia tua cuncta faciat effectibus mancipari, ne qua poſthac rei ad nos quæſtio revertatur. Teſtamentum autem Bacandæ quondam xenodochi in ea, qua conditum eſt, volumus firmitate perſiſtere.

Menſe Novembri, Indictione nona.

DIPLOMA LXIV.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad eumdem Petrum. Ut Marcello ad victum, & veſtitum neceſſaria provideat. Paſtores in locum lapſorum curet ſubſtitui.

Gregorius Petro ſubdiacono.

Anno ix. Ind. 590. & 591

Ex eodem lib. 1. epiſt. 18.

INſinuatum nobis eſt, Marcellum Barunitanæ eccleſiæ, ibidem in Panormitana civitate, in monaſterio ſancti Adriani (*b*) in pœnitentiam deputatum, non ſolum victus neceſſitatem pati, ſed & nuditatis nimiam ſubſtinere moleſtiam. Pro qua re neceſſe habemus ſtrenuitati tuæ præſenti juſſione præcipere, ut ipſi pro victu, & veſtimento ſtratoque ad continentiam, pueroque ejus annonam, quantum proſpexeris ſatis eſſe, conſtituas: ut inopia nuditaſque ejus tali providentia poſſint habere conſultum, ut ea quæ eidem viro deputaveris, tuis poſtmodum poſſint rationibus imputari (*c*). Ita ergo fac, ut

(*a*) Conſule quæ expendimus in notis ad Dipl. xxxiii. & præterea vide Dipl. cxxxviii.

(*b*) Plura de hoc monaſterio divinare non dubitat Pyrrhus *Sicil. Sacr.* lib. 4. par. 2. pag. 162. at vereor tamen, ne ſua in hac parte notitia, omni prorſus deſtituta antiquitatis ſuffragio, tanti non eſſet, ut rem decem & amplius ſæculis antiquiorem firmare queat. Vide quæ dabimus in cit. Diſſertatione noſtra: *De Monachiſmo Siciliæ per decem priora ſæcula.*

(*c*) De hac aliiſque eleemoſynis a S. Gregorio initio pontificatus ſui erogatis agemus in Diſſertatione v. n. 6.

ut & noſtram juſſionem impleas, & tu quoque hoc ipſum bene diſponendo, hac ipſa poſſis participari mercede. Præterea hoc tibi indagandum mandare curavimus, veteri quæ jam inoleverat conſuetudine poſtpoſita, ut ſi quæ civitates in provincia Siciliæ pro peccatis per ſacerdotum lapſus a paſtorali regimine vacare (*a*) noſcuntur, de clero eccleſiarum ipſarum (*b*) vel ex monaſteriis (*c*), ſi qui digni ad ſacerdotalem locum poſſunt inveniri, perſpicias, & ad nos inquiſita primitus morum gravitate tranſmittas, ut grex uniuſcujuſque loci per paſtoris lapſum inveniri non debeat longo tempore deſtitutus. Si vero vacantia quidem loca repereris, & nullus tali dignitate ex eadem eccleſia congruus inveniatur, ad nos ſimiliter inquiſitione ſolerti renuntia, ut Deus quem talibus dignum ordinationibus judicaverit, valeat provideri. Non enim oportet ut unius exceſſu grex Dominicus per prærupta poſſit ſine paſtore difluere. Ita enim & locorum ordinatio proveniet, & revertendi lapſis ad gradum priorem, quo melius pœniteant, ſuſpicio non manebit.

DI-

(*a*) Etſi in Sicilia ex decreto S. Leonis, hic Dipl. XXVII. diſpoſitum erat, ut epiſcopus in aliquod crimen lapſus, officii ſui jacturam ſuſtineret; non tamen mos ille obtinuerat, ut vacanti ſic eccleſiæ novus antiſtes præponeretur: quare & eccleſia diu deſtituta paſtore, alieni criminis pœnam ſubibat, & lapſo epiſcopo ſpes ſemper remanebat, ut quum pœnituerit, vel pœnitere ſimulaverit, priſtinum dignitatis gradum recuperaret. Quod nova hac lege abolendum ſtatuit S. Gregorius, volens ut eccleſiæ quæ in Sicilia propter epiſcoporum crimina vacare noſcuntur, de dignioribus paſtoribus ſtatim provideantur. De qua eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritate majora, quam hic exſcribi poſſint, exhibent doctiſſimi viri, Johannes Morinus *Commentar. Hiſtor. de Diſcipl. Sacr. Pœnit.* lib. 4. cap. 14. & Ludovicus Thomaſinus *de Eccleſ. Diſcipl.* par. 2. lib. 1. cap. 59.

(*b*) Eccleſiaſtica tunc diſciplina epiſcopi eligendi ex clero, qui propriæ eccleſiæ inſervierant, obtinebat, quam ulterius memorat, ipſemet S. Gregorius infra Dipl. CCLI. De ea agit etiam Pelagius papa I. in epiſtola ad Cethegum patricium, hic Dipl. LIV.

(*c*) Ut quum defuerint clerici, epiſcopi ex monachis eligantur, quique eſſent monachi gradu illo digni, diſerte exponit Gelaſius PP. in ſua ad epiſcopos Siculos epiſtola, hic Dipl. XXXII. cap. II.

DIPLOMA LXV.

Epiſtola antedicti S: Gregorii ad Venantium exmonachum patricium Syracuſanum. Venantium quod monaſticum habitum dimiſerit, increpat; ut quantocius reſipiſcat, hortatur: quorumnam conſilia ipſi audienda ſint, docet.

Gregorius Venantio exmonacho patricio Syracuſano (*a*).

Anno IX. Ind. 590. & 591. Ex eodem lib. 1. epiſt. 34. alias 33.

MUlti hominum ſtulti putaverunt, quod ſi ad ordinem epiſcopatus eveherer, te alloqui, & per epiſtolas frequentare recuſarem. Sed non ita eſt: quia ipſa jam loci mei neceſſitate compellor, ut tacere non debeam. Scriptum quippe eſt: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam*. Et rurſus ſcriptum eſt: *Speculatorem dedi te domui Iſrael, audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me*. Ex qua videlicet annunciatione vel retenta, vel exhibita, quid ſpeculatorem, vel auditorem ſequatur, protinus intimatur: *Si dicente me*

Iſai. 58. 1. Ezech. 3. 17.

(*a*) Nonnulli ſcriptores antiquæ editionis titulo offenſi, Venantium hunc Italiæ cancellarium fuiſſe dixerunt: in quem errorem prolapſi etiam ſunt doctiſſimi viri, Card. Baronius ad annum 591. cap. 15. Natal. Alex. *Hiſt. Eccl.* ſæcul. 6. cap. 2. art. 13. n. 10. Johannes Mabill. *Annal. Bened.* tom. 1. lib. 10. cap. 5. & Abbas Flori *Hiſt. Eccl.* tom. 8. lib. 35. n. 20. Quod fuit in cauſſa, quamobrem Guſſanvillæus in notis ad hanc epiſtolam multum immoraretur, cancellarii vocem exponendo. Verum viſa editione hac monachorum Benedictinorum ad fidem omnium fere Codd. M.SS. priori errori hærebit nemo: & quidem ex epiſtolis ipſius ejuſdem S. Gregorii, hic Dipl. CXXXII. CXXXIII. & CCXVIII. confirmatur ulterius, Venantium non Italiæ cancellarium, ſed Syracuſanum patricium fuiſſe. Iſtius Venantii hiſtoriam varii varie contexerunt; at nos ea tantummodo de eo commemoramus, quæ ex epiſtolis ipſius S. Gregorii, veluti ex purioribus antiquitatis fontibus exhaurire potuimus. Porro Venantius ex patriciorum genere Syracuſis in Sicilia ortus, ac S. Gregorio ſatis cognitus, abjecto, quem antea aſſumpſerat monaſticum habitum, Italicam duxit uxorem: & duas ex ea ſuſcepit filias, Barbaram & Antoniam; ut manifeſtius apparet ex epiſt. 123. lib. 9. inſcripta ipſis *Venantio & Italicæ jugalibus*, hic Dipl. CLXXXI. adjuncta epiſt. 35. lib. 11. ad eaſdem *Barbaram & Antoniam*, hic Dipl. CCXVII. Ex admonitione hac nihil profecit Venantius, qui monaſticæ diſciplinæ ſemel factus deſertor, extra monaſterium uſque ad extremum vitæ perſeveravit, quemadmodum probant duæ aliæ epiſtolæ hic ſub n. 216. & 218. recudendæ. Hinc a ſenſu divi Gregorii abhorret, & a veritate ſimul aberrat Mabillonius ſuperius citatus, qui Italicam Venantii parentem, non uxorem fuiſſe putat, atque Barbaram & Antoniam ante Venantii monachatum & lapſum natas vult. Conſule quæ contra eum ſcripſerunt ejuſdem congregationis S. Mauri monachi *in Vita S. Gregorii* lib. 1. cap. 5. n. 7.

me ad impium, morte morieris: non annunciaveris ei, neque locutus fueris ei, ut avertatur a via ſua impia, & vivat; ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annunciaveris impio, & ille non fuerit converſus ab iniquitate ſua, & a via ſua impia, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur; tu autem animam tuam liberaſti. Hinc etiam Epheſiis Paulus dicit: *Mundæ ſunt hodie manus meæ a ſanguine omnium veſtrum. Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis*. Mundus ergo a ſanguine omnium non eſſet, ſi eis Dei conſilium annuntiare noluiſſet: quia quum increpare delinquentes noluit, eos proculdubio tacendo paſtor occidit. Hac igitur conſideratione compulſus, velis nolis locuturus ſum: quia omni virtute aut te cupio ſalvari, aut de tua morte me eripi. In quo enim habitu fueris, recolis, & ſupernæ diſtrictionis animadverſione poſtpoſitâ, ad quid ſis delapſus agnoſcis. Culpam ergo tuam penſa dum vacat diſtrictionem futuri judicis, dum vales, exhorreſce; ne tunc illam amaram ſentias, quum eam jam nullis fletibus evadas. Penſa quod ſcriptum eſt: *Orate ne fiat fuga veſtra hieme, vel ſabbato*. Ad ambulandum quippe in hieme torpor frigoris obſiſtit, & juxta præceptum legis, ambulare in ſabbato non licet. Hieme ergo, vel ſabbato fugere conatur, qui iram diſtricti judicis tunc appetit fugere, quando ei jam non licet ambulare. Dum vacat ergo, dum licet animadverſionem tanti terroris fuge: penſa quod ſcriptum eſt: *Omne quod poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia ſunt apud inferos, quo tu properas*. Teſte Evangelio, ſcis quia divina ſeveritas de otioſo ſermone nos arguit, & de verbo inutili rationes ſubtiliter exquirit. Penſa ergo quid factura eſt de perverſo opere, ſi quoſdam in judicio ſuo reprobat de ſermone? Ananias pecunias Deo voverat, quas poſt, diabolica victus perſuaſione, ſubtraxit. Sed qua morte mulctatus eſt, ſcis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abſtulit, conſidera, quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, ſed temetipſum Deo omnipotenti, cui te ſub monachali habitu devoveras, ſubtraxiſti? (Conſidera judicium Dei, quod mereatur, qui ſemetipſum Deo vovit, continuoque mundi deſideriis irretitus, mentitus eſt quod vovit). Quapropter ſi correctionis meæ verba ſecuturus audieris, quam ſint blanda & dulcia in fine cognoſces. Ecce fateor, mœrens loquor, & facti tui triſtitia addictus, edere verba vix valeo: & tamen animus tuus actionis ſuæ conſcius vix ſufficit ferre quod audit, erubeſcit, confunditur, adverſatur. Si ergo non valet verba ferre pulveris, quid facturus eſt ad judicium conditoris? Fateor tamen, quia ſupernæ gratiæ eſſe miſericordiam maximam credo, quod te effugere vitam conſpicit, & tamen ad vitam adhuc reſervat: quod ſuperbientem te videt, & tolerat: quod per indignos famulos ſuos verba tibi increpationis & admonitionis adminiſtrat. Tantum eſt ut penſare ſolicite debeas quod Paulus ait: *Exhortamur vos, fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait enim: Tempore accepto exau-*

Act. 20. 26. & 27.

Johan. diac. lib. 3. cap. 48.

Matth. 24. 20.

Eccl. 9. 10.

Matth. 12. 36.

Act. 5. 2. &c.

2. Cor. 6. 1.

divi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.

Sed ſcio quia quum epiſtola mea ſuſcipitur, protinus amici conveniunt, litterati clientes vocantur, & de cauſſa vitæ conſilium a fautoribus mortis quæritur: qui dum non te, ſed res tuas diligunt, nulla tibi niſi quæ ad tempus placeant, loquuntur. Tales enim fuerunt, ſicut ipſe reminiſceris, dudum conſiliarii, qui ad tanti facinus te perduxerunt delicti. Ut tibi aliquid ſæcularis auctoris loquar: Cum amicis omnia tractanda ſunt, ſed prius de ipſis. Si vero in cauſſa tua hominem conſiliarium quæris, conſiliarium, rogo, me ſuſcipe. Nullus tibi fidelior eſſe ad conſilium poteſt, quam qui non tua, ſed te diligit. Omnipotens Deus cordi tuo indicet, cor meum quanto te amore, quantaque caritate complectitur: in quantum tamen divina gratia non offendatur. Nam ſic culpam tuam inſequor, ut perſonam diligam: ſic perſonam diligo, ut culpæ vitium non amplectatur. Si igitur a me amari te credis, Apoſtolorum limitibus præſentare, meque conſiliario utere. Si autem eſſe fortaſſe in cauſſa Dei nimius credor, & pro zeli mei ardore ſuſpectus ſum, cunctam ſimul Eccleſiam in conſilio hujus diſceptationis adhibeo, & quidquid omnibus fieri ſalubriter placet, ego in nullo contradico, ſed quod in commune decernitur, lætus impleo, & ſubſcribo. Implentem quæ monui, gratia te divina cuſtodiat.

DIPLOMA LXVI.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Petrum ſubdiaconum. Commonitorium ſibi datum aſſidue relegat. Quædam addit monita ſummam ſpirantia æquitatem, ac prudentiam.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei (*a*)
Petro ſubdiacono.

Anno 591. Ex eodem lib. 1. epiſt. 36.

PErgenti tibi ad Siciliam (*b*) capitulare (*c*) quod dedi aſſidue relegendum eſt, ut cura maxima eſſe de epiſcopis debeat, ne in cauſſis ſæcularibus miſceantur, niſi in quantum neceſſitas defendendorum pauperum cogit. De monachis vero, vel clericis quæ in eodem

dem

(*a*) Quod S. Gregorius inſcriptionem hanc, *ſervus ſervorum Dei*, primus omnium admiſerit, atque ſucceſſoribus ſuis veluti humilitatis texeram hereditariam reliquerit, teſtatur Johannes Diac. *in Vita S. Greg.* l. 2. c. 1.

(*b*) De Petro ſubdiacono veniente in Siciliam regendi cauſſa patrimonium eccleſiæ Romanæ, egimus ſupra in monitis ad Dipl. LX.

(*c*) Caremus capitulari ejuſmodi, ſeu Commonitorio continente capitula ad officium rectoris ſpectantia, quæ Petro Subd. Roma Siciliam proficiſcenti tradidit S. Gregorius; nihilominus capitula non una nobis innoteſcunt ex hac epiſtola, & ex alia ipſi Petro inſcripta, hic Dipl. LXIX.

dem capitulari ſunt inſerta , nequaquam exiſtimo modo eſſe movenda . Sed experientia tua tanta hæc obſervatione cuſtodiat , quanta meum deſiderium ex hac re valeat adimplere . Præterea pervenit ad me ab Antonini defenſoris (*a*) temporibus nunc uſque in hoc decennio multos a Romana eccleſia quaſdam violentias pertuliſſe , ita ut quidam publice conquerantur fines ſuos violenter invaſos , mancipia abſtracta , res etiam mobiles manu , non judicio aliquo ablatas . In quibus omnibus volo , ut experientia tua vehementer invigilet , & quidquid per hoc decemnium invenerit violenter ablatum , vel ſub nomine eccleſiæ injuſtæ detineri , hoc ei cujus eſſe cognoverit ex præſentis præcepti mei auctoritate reſtituat ; ne cogatur qui vim pertulit ad me venire (*b*) , & tanti itineris laborem aſſumere : quum utrum vera dicat hic apud me non poſſit edoceri . Conſiderata ergo venturi Judicis majeſtate , omnia cum peccato ablata reſtitue , ſciens quod magnum mihi lucrum reportas , ſi mercedem potius , quam divitias congregas . Pleroſque vero cognovimus de amiſſis mancipiis conqueri , dicentes : quia ſi ſervus cujuſpiam fortaſſe dominum ſuum fugiens , juris eccleſiaſtici ſe eſſe profeſſus eſt , rectores eccleſiæ protinus hunc ut ſervum eccleſiaſtici juris habuerunt , nullo agentes judicio , ſed ſervi vocem manibus defendentes . Quod mihi tantum diſplicet , quantum a veritatis judicio abhorret . Unde volo , ut experientia tua quæcumque ita facta cognoverit , poſtpoſita tarditate corrigat , & alia quoque mancipia , ſi quæ nunc in jure eccleſiaſtico habentur , ſicut ſine judicio ablata ſunt , reſtitui ante judicium decet : ut ſi quid in eis ſanctæ eccleſiæ legitime competit , tunc eorum poſſeſſores debeant ordinata actione pulſari . Cuncta hæc inretractabiliter corrige : quia tunc vere beati Petri apoſtoli miles eris , ſi in cauſſis ejus veritatis cuſtodiam etiam ſine ejus acceptione tenueris . Si quid vero juſte conſpicis , juri eccleſiaſtico poſſe competere , cave ne umquam hoc manu ſtudeas defenſare ; maxime quia & decretum ſub anathematis interpoſitione conſtitui , ne umquam a noſtra eccleſia urbano vel ruſtico prædio tituli debeantur imponi ; ſed quidquid ratione pauperibus competit , ratione etiam debet defendi , ne dum bona res non bene agitur , apud omnipotentem Deum , quod juſte a nobis quæritur , de injuſtitia redarguantur . Laici autem nobiles , vel vir glorioſus precor pro humilitate te diligant , non pro ſuperbia perhorreſcant . Et tamen quum eos fortaſſe contra quoslibet inopes injuſtitiam aliquam agere cognoſcis , humilitatem protinus in erectionem verte ,

Excommunicatio pro defenſione tẽporalium adhibita.

(*a*) De defenſoribus eccleſiæ in Sicilia , eorumque officio diſerte agemus in fine hujus Voluminis, Diſſert. VI.

(*b*) Jam enim Theodorici Gothorum regis decreto , hic Dipl. XXXVI. cautum erat, ut nullis ad regem perlatis querelis , Siculorum cauſſæ in propria provincia terminarentur; quod & S. Gregorius pro negotiis eccleſiaſticis ſtatuit , uni Petro ſubdiacono primum litium derimendarum , inde Maximiano epiſcopo Syracuſano poteſtatem tribuens . Confer cum his quæ expoſuimus in notis ad cit. Dipl. XXXVI.

ut eis ſemper, & bene agentibus ſubditus, & male agentibus, adverſarius exſiſtas. Sed ita fac ut nec humilitas tua remiſſa ſit, nec auctoritas rigida: quatenus & humilitatem rectitudo condiat, & ipſam tuam rectitudinem humilitas blandam reddat. Præterea ſicut moris fuit ut ad natalem pontificis (*a*) epiſcopi convenirent, ad ornationis meæ diem venire eos prohibe; quia ſtulta, & vana ſuperfluitas non delectat; Sed ſi eos convenire neceſſe eſt, in beati Petri apoſtolorum principis natalem conveniant, ut ei; ex cujus largitate, paſtores ſunt, gratiarum actiones ſolvant. Bene valeas. Datum ſub die XVII. Calendarium Aprilium imperatoris Mauritii anno nono.

DIPLOMA LXVII.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii ad Felicem epiſcopum Meſſanenſem: Ut Paulinus peregrinus epiſcopus S. Theodori monaſterium regat.

Gregorius Felici epiſcopo Meſſanenſi (*b*).

Anno IX: Ind. 590. & 591.

Ex eodem lib. I. epiſt. 40. alias 38.

ET tibi gratum confidimus, ſi fratris tui viri venerabilis epiſcopi Paulini (*c*) peregrinationis onera releventur, ut ejus regimine communi mercede beati Theodori monaſterium (*d*) in civitate tua fundatum ſtudioſius omnipotenti Deo deſerviat. Quod etiam te voluiſſe facere, jam ejus relatione didicimus. Ideoque rectori patrimonii noſtri (*e*) præcepimus, ut monachos (*f*) monaſterii memorati epi-

(*a*) Epiſcopis Siculis ad celebrandam anniverſariam diem ordinationis ſummi pontificis in Urbem venire mos erat, cui abolendo operam dedit S. Gregorius, præcipiens ut id in natalem potius S. Petri, quam regnantis pontificis facerent. Idem reſcripſit in epiſt. 72. ejuſdem lib. I. hic Dipl. LXXVII. & in epiſt. 22. lib. 7. hic Dipl. CXXXVI.

(*b*) Felix in Meſſanenſi epiſcopatu Eucarpo ſucceſſit, ut patet ex Dipl. LVI. Felici autem Donus, de quo in Dipl. CXXIII. Dono Felicem alterum ſuffectum putant monachi Benedictini in notis ad epiſtolas 16. & 17. lib. 14. S. Gregorii, quorum ſententiam examinabimus in notis ad eaſdem epiſtolas, quas in Appendicem veluti auctori non ſuo ſuppoſitas rejiciemus.

(*c*) Erat epiſcopus Taurianenſis, qui civitate ſua in provincia Brutiorum inter Rhegium & Hipponium Saracenorum impetu everſa, in Siciliam aufugerat, ut expreſſius narratur in ſequente epiſtola. Is Meſſanenſi monaſterio S. Theodori a S. Gregorio primum præfigitur, ut hic, inde eccleſiæ Liparitanæ epiſcopus nominatur, ex Dipl. LXXXII. & LXXXIII.

(*d*) Hocce monaſterium diverſum plane erat ab alio ejuſdem nominis Panormi ædificato, de quo ſupra in Dipl. LXIII.

(*e*) Rector iſte patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia erat Petrus ſubdiaconus, cui ſequentem epiſtolam ejuſdem argumenti inſcripſit idem S. Gregorius. Conſule quæ de eo dedimus in admonitionibus ad Dipl. LX.

(*f*) Saracenis Italiam invadentibus, epiſcopi ſane quam multi, presbyteri, clerici, monachi, & ſanctimoniales e re-

epiſcopi perquiſitos ad unum congreget: & in eodem monaſterio cum iis, qui nunc ibi ſunt, collocare non differat: quatenus, eo rectore, dignius animarum ſuarum curam exerceant. Quam rem venerationi tuæ innoteſcendam prævidimus: ne te omiſſo aliquid in tua contriſteris diæceſi ordinari.

DIPLOMA LXVIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Petrum ſubdiaconum. Diſperſos per Siciliam monachos in Meſſanenſi S. Theodori monaſterio congreget.

Gregorius Petro ſubdiacono (*a*).

VEnerabilis Paulinus epiſcopus Tauri civitatis, provinciæ Brutiorum, nobis aſſeruit monachos ſuos, occaſione diſperſos barbarica, eoſque nunc per totam vagari Siciliam, & eos quippe ſine rectore nec animarum curam gerere, nec diſciplinæ ſui habitus indulgere. Qua de re præcipimus eoſdem monachos te omni cura & ſolicitudine perquiſitos ad unum reducere, & cum memorato epiſcopo, rectoreque ſuo in monaſterio ſancti Theodori in Meſſanenſi civitate poſito collocare: ut & hi qui nunc ibi ſunt, quos egere rectore comperimus, & illi quos de congregatione ejus inventos reduxeris, in unum poſſint eo duce omnipotenti Domino deſervire. Quam rem venerabili Felici ejuſdem civitatis epiſcopo nos ſignificaſſe cognoſce: ne præter ſuam notitiam in diœceſi ſibi commiſſa ordinatum quippiam contriſtetur.

Anno ex. Ind. 590. & 591.

Ex eodem lib. 1. epiſt. 41. alias 39.

DI-

regno potiſſimum Neapolitano ſacra vaſa, codices, vela & pretioſiora quæque eccleſiarum, ac monaſteriorum ſecum aſportantes, in Siciliam, emenſo freto, refugierunt, ut patet ex hac epiſtola, necnon ex aliis hic exſcribendis, ſub n. 67. 103. 107. 110. 149. & 187. Sed quoniam monachi huc appulſi punientem Deum non reveriti, vitæ relaxatiori, quam hominibus perſecutionis procella oppreſſis conveniret, intendebant: eos itaque in unum colligi, ac in Meſſanenſi monaſterio S. Theodori ſub cura Paulini epiſcopi etiam profugi congregari, præcipit S. Gregorius.

(*a*) Confer cum præcedente epiſtola.

DIPLOMA LXIX.

Epiſtola præfati S. Gregorii PP. ad eumdem Petrum. Plurima contra jus facta emendari jubet. De ſubdiaconorum cælibatu decernit.

Gregorius Petro ſubdiacono Siciliæ.

An. 591. *poſt diem* 15. *Ap.*
Ex eod. lib. I. epiſt. 44. alias 42.

QUod reſponſalem tuum tarde dimiſimus, Paſchalis feſtivitatis (*a*) occupationibus implicati, eum relaxare citius minime valuimus. Cauſſas vero, de quibus indicandum curaſti, omnes ſubtiliter perquirentes, qualiter diſpoſuerimus, inferius cognoſces.

Cognovimus ruſticos eccleſiæ vehementer in frumentorum pretiis gravari, ita ut inſtituta ſumma eis in comparatione abundantiæ tempore non ſervetur. Et volumus ut juxta pretia publica omni tempore ſive minus ſive amplius frumenta naſcantur, in eis comparationis menſura teneatur. Frumenta (*b*) autem quæ naufragio pereunt, per omnia volumus reputari (*c*), ita tamen ut a te negligentia ad tranſmittendum minime fiat; ne dum tranſmittendi tempus negligitur, damnum ex vitio veſtro generetur. Valde autem iniquum & injuſtum eſſe proſpeximus, ut a ruſticis eccleſiæ de ſextariaticis (*d*) aliquid accipiatur, & ad majorem modium dare compellantur, quam in horrea eccleſiæ infertur. Unde præſenti admonitione præcipimus, ut pluſquam decem & octo ſextariorum modio (*e*) numquam a ruſticis eccleſiæ frumenta debeant accipi. Niſi forte ſi quid eſt quod

nautæ

(*a*) Ergo poſt diem 15. Aprilis, in quem hoc anno Paſcha incidit, epiſtola ſcripta fuit.

(*b*) De frumentis e Sicilia in Urbem per colonos eccleſiæ tranſmitti ſolitis agitur quoque in Dipl. LXI.

(*c*) Ne dum eccleſiaſtica lege, ſed civili etiam, quod naufragio perierat triticum Siculis reputari debebat. Conſule epiſtolam Theodorici, hic Dipl. XXXIX.

(*d*) Sextariaticum tributum ſonat, ſive canonem a colonis eccleſiæ exſolvendum pro qualibet ſextarii menſura, ut exponendo hunc locum referunt, Du-Gang *in ſuo Gloſſario*, & Macri *in Herolexico*. Quem morem ſolvendi pecuniam loco tritici jam inde ab antiquis Reipublicæ temporibus apud Siculos obtinuiſſe plane liquet ex M. Tullio *in Verrem* Act. 5.

(*e*) Fraus, quam iniqui actores eccleſiæ committebant, in eo etiam poſita erat, quod non juſto modio uterentur, ſed grandiore, vigintiquinque ſextarios continente, ſicuti ex altera epiſtola S. Gregorii, hic Dipl. CCLVIII. datur intelligi: quare S. pontifex malo iſti volens occurrere, decrevit per hanc epiſtolam, ut immoderatus ille modius ad juſtitiam redigeretur, & decem & octo ſextarios non excederet. Ex quo clare patet, Gregorianam menſuram, qua Siculi frumenta eccleſiæ tradere ſoliti erant, communi modio, qui ſexdecim tantum ſextarios continebat, grandiorem fuiſſe. Unde a mente S. Gregorii aberrant monachi Benedictini in notis ad cit. Dipl. CCLVIII. dicentes: *Modius de quo hic, ſexdecim ſextariorum tantum eſſe debuit.*

nautæ juxta conſuetudinem ſuperaccipiunt, quod minui ipſi in navibus atteſtantur.

Cognovimus etiam in aliquibus maſſis (*a*) eccleſiæ exactionem injuſtiſſimam fieri, ita ut a ſeptuaginta ternis ſemis, quod dici nefas eſt, conductores exigantur: & adhuc neque hoc ſufficit, ſed inſuper aliquid ex uſu jam multorum annorum exigi dicuntur. Quam rem omnino deteſtamur, & amputari de patrimonio funditus volumus. Sed tua experientia ſive in hoc quod per libram amplius, ſive in aliis minutis oneribus, & quod ultra rationis æqualitatem a ruſticis accipitur, penſet; & omnia in ſummam penſionis redigat, & pro ut vires ruſticorum portant, penſionem integram, & penſantem ad ſeptuagena bina perſolvant; & neque ſiliquas (*b*) extra libras, neque libram majorem, neque onera ſupra libram majora exigere debeant; ſed per æſtimationem tuam, pro ut virtus ſufficit, in ſummam penſionis creſcat, & ſic turpis exactio nequaquam fiat. Ne vero poſt obitum meum hæc ipſa onera, quæ ſuper penſum illata ſubtraximus, & in capite penſionis fecimus creſcere, iterum in quolibet addantur, & inveniatur ſumma penſionis augeri, & onera adjectionis inſuper ruſtici ſolvere compellantur: volumus ut ſecuritatis libellos ita de penſionibus facias, quatenus imprimas, dicens tantam penſionem unumquemque debere perſolvere, inibi abjectis ſiliquis, oneribus, vel granaticis. Quod autem ex his minutiis in uſum rectoris accedebat, volumus ut hoc ex præſenti juſſione noſtra, ex ſumma penſionis in uſum tuum veniat.

Ante omnia hoc te volumus ſolicite attendere, ne injuſta pondera in exigendis penſionibus ponantur. Sed ſi qua talia inveneris, frange, & nova & recta conſtitue: quia & filius meus Servus-Dei (*c*) diaconus jam talia invenit, quæ ipſi diſplicerent; ſed licentiam hæc immutare non habuit. Super juſta ergo pondera præter excepta & vilia cibaria nihil aliud volumus a colonis eccleſiæ exigi.

Præterea cognovimus, quod prima illatio burdationis (*d*) ruſticos noſtros vehementer anguſtat, ita ut priuſquam labores ſuos venundare valeant, compellantur tributa perſolvere: qui dum de ſuo unde dare debeant, non habent, ab auctionariis (*e*) publicis mutuo accipiunt, & gravia commoda pro eodem beneficio perſolvunt: ex qua

(*a*) De maſſis eccleſiæ Romanæ in Sicilia aptius agemus in Diſſertatione v. n. 2. & ſeq.

(*b*) Cavet hic S. Gregorius ne a colonis eccleſiæ ultra juſti ponderis libram exigatur ſiliqua, ſive onus præſtandi certam portionem de frumento, vino, olio, & aliis id genus mercibus vendendis.

(*c*) De eo infra, Dipl. CVIII. CCXLIII. & CCLIV.

(*d*) Juxta ſententiam Guſſanvillæi in hunc locum, *burdatio*, onus eſt, tributum, aut penſio ita dicta a *burdis*, aut *burdonibus*, ſeu mulis, qui ferendis hujuſmodi oneribus inſerviunt.

(*e*) Vide in fine Voluminis Diſſert. VII. Cap. 8. *de Actionariis publicis*.

qua re ſit, ut diſpendiis gravibus coanguſtentur. Unde præſenti admonitione præcipimus, ut omne quod mutuum pro eadem cauſſa, ab extraneis accipere poterant, a tua experientia publico detur, & a ruſticis eccleſiæ paulatim ut habuerint, accipiatur; ne dum in tempore coanguſtantur, quod eis poſtmodum ſufficere in inferendum poterat, prius compulſi, vilius vendant, & hoc eis minime ſufficiat.

Pervenit etiam ad nos, quod de nuptiis ruſticorum immoderata commoda percipiantur: de quibus præcipimus, ut omnia commoda nuptiarum unius ſolidi (*a*) ſummam nullatenus excedant. Si qui ſunt pauperes, etiam minus dare debeant: ſi qui autem divites, præfati ſolidi ſummam nullatenus tranſgrediantur: quod nuptiale commodum nullatenus volumus in noſtram rationem redigi, ſed utilitati conductorum proficere.

Cognovimus etiam quod nonnullis conductoribus morientibus parentes ſui non permittuntur ſuccedere, ſed res eorum ad uſus eccleſiæ pertrahuntur: de qua re diffinimus, ut parentes morientium, qui in poſſeſſione eccleſiæ degunt, heredis eis ſuccedere debeant, nec aliquid eis de ſubſtantia morientium ſubtrahatur. Si vero filios parvulos aliquis reliquerit, quouſque ad ætatem talem perveniant, ut ſubſtantiam ſuam regere valeant, perſonæ eligantur cautæ, quibus parentum eorum res tradi debeant ad cuſtodiendum.

Cognovimus etiam, quod ſi quis ex familia culpam fecerit, non in ipſo, ſed in ejus ſubſtantia vindicatur: de qua re præcipimus, ut quiſquis culpam fecerit, in ipſo quidem ut dignum eſt vindicetur. A commodo autem ejus omnino abſtineatur: niſi forte parum aliquid quod in uſum executoris, qui ad eum tranſmiſſus fuerit, proficere poſſit. Cognovimus etiam, quia quoties conductor aliquid colono ſuo injuſte abſtulerit. Hoc quidem a conductore exigitur, ſed ei non redditur a quo ablatum eſt: de qua re præcipimus, ut quidquid violenter cuilibet ex familia ablatum fuerit, ipſi reſtituatur, cui ablatum eſt, & utilitati noſtræ non proficiat, ne nos ipſi auctores violentiæ eſſe videamur. Præterea volumus ut, ſi quando eos, qui in obſequio ſunt experientiæ tuæ, in aliquibus cauſſis quæ fiunt extra patrimonium tranſmittas, parva quidem commoda ex eis accipiant, ſed tamen ita ut in eorum utilitatem proficiant: quia nos ſacculum eccleſiæ ex lucris turpibus nolimus inquinari.

Jubemus etiam ut hoc experientia tua ſummopere cuſtodiat, ut per commodum conductores in maſſis eccleſiæ numquam fiant; ne dum commodum quæritur, conductores frequenter mutentur: ex qua mutatione quid aliud agitur, niſi ut eccleſiaſtica prædia numquam colantur? ſed & ipſa etiam libellatica (*b*), pro ut ſumma penſionis fue-

(*a*) De valore ſolidi aptius, ac diſerte agemus infra, Diſſert. VIII. Cap. I. num. 3.

(*b*) Id eſt, locationes, ſic dictæ a libellis quibus ſcribebantur. Conſonat Dipl. CCVII.

fuerit, moderentur. Per cellas & cellaria (*a*) non plus de maſſis eccleſiæ te accipere volumus; niſi quantum conſuetudo eſt: tua autem quæ comparari juſſimus, ab extraneis comparentur.

Pervenit autem ad nos, tres libras auri Petro conductori de Subpatriana injuſte ablatas: de qua cauſſa Fantinum defenſorem ſubtiliter require: & ſi manifeſte, injuſte, & incompetenter ablatæ ſunt, ſine aliqua tarditate reſtitue. Cognovimus etiam ruſticos, burdationem, quam jam ab eis exactam Theodoſius minime perſolverat, iterum dediſſe, ita ut in duplo exacti ſint. Quod ideo factum eſt: quia ejus ſubſtantia ad debitum eccleſiæ non ſufficiebat. Sed quoniam per filium noſtrum Servum-Dei, diaconum edocti ſumus, quod ex rebus ſubſtantiæ ejus poſſit hoc ipſum damnum ſufficienter reſarciri, volumus quingentos ſeptem ſolidos eisdem ruſticis ſine aliqua imminutione reſtitui, ne in duplo videantur exacti. Si autem ſupra damnum ruſticorum etiam quadraginta ſolidi de rebus Theodoſii remanent, quos & apud te diceris habere, volumus ut filiæ ejus reddantur, ut res ſuas, quas in pignore dederat, recipere debeat. Cui etiam batiolam (*b*) patris ſui reſtitui volumus.

Maſſa Subpatriana.

Campanianus glorioſus magiſter militum duodecim ſolidos annuos Johanni notario ſuo reliquerat ex maſſa Varroniana: quos dare te annis ſingulis ſine aliqua dubitatione præcipimus nepti Eupli conductoris, quamvis omne mobile ejusdem Eupli perceperit, exceptis dumtaxat ſolidis: dare etiam de ſolidis illius te volumus ſolidos viginti quinque. Suppoſitorium aliquod argenteum, pro uno ſolido dicitur eſſe appoſitum, & calix pro ſex ſolidis dicitur eſſe appoſitus. Interrogato Dominico ſecretario, vel aliis qui ſcire poſſunt, debitum recipe, & vaſcula præfata reſtitue.

Maſſa Varroniana.

Agimus autem gratias ſolicitudini tuæ, quia de cauſſa fratris mei præcepi tibi ut argentum illius retranſmittere debuiſſes, & ſic oblivioni mandaſti, ac ſi tibi aliquid ab extremo mancipio tuo diceretur: quod jam vel modo non experientia, ſed negligentia tua ſtudeat implere, vel quidquid ejus apud Antoninum fuiſſe cognoveris, ſub omni velocitate retranſmitte.

De cauſſa Salpingi Judæi, epiſtola aliqua eſt inventa quam tibi fecimus tranſmitti, ut eam relegens, ſubtiliter cauſſam ejus, vel viduæ cujuſdam, quæ in eodem negotio dicitur implicata cognoſcens, de quinquaginta uno ſolidis, qui reddi debere noſcuntur, ſicut juſtum tibi fuerit viſum reſponſum facias: ita ut res alienæ injuſte nullo modo a creditoriis defraudentur.

Salpingus Judæus.

Antonino medietas legati ſui data eſt, medietas redimetur: quam medietatem ex communi ſubſtantia ei volumus adimpleri, & non ſolum ei, ſed etiam defenſoribus & peregrinis, quibus legati titulo ali-

Tom.I. P

(*a*) Cellaria ea ſunt quæ in cellis, ſeu reconditoriis reponi ſolent.

(*b*) Scilicet, vaſculum ruſticis potiſſimum proprium.

aliquid dereliquit; & familiæ legatum perſolvi volumus, quod tamen ad nos pertinet. Collecta ergo ratione pro noſtra parte, id eſt pro novem unciis perſolve.

De ſolidis eccleſiæ Canuſinæ volumus, ut aliquid clericis ejuſdem eccleſiæ largiaris: quatenus & ii qui nunc inopiam patiuntur, ſubſtentationem aliquam habeant; & ſi illic Deus voluerit ordinari epiſcopum, habeat unde ſubſiſtat.

De lapſis ſacerdotibus (*a*) vel quolibet ex clero obſervare te volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miſcearis: ſed pauperrima regularia monaſteria require, quæ ſecundum Deum vivere ſciunt, & in eiſdem monaſteriis ad pœnitentiam lapſos trade: & res lapſorum in eodem loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur: quatenus ipſi ex rebus illorum ſubſidium habeant, qui de correptione eorum ſolicitudinem gerunt. Si vero parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur; ita tamen ut eorum ſtipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, ſufficienter debeat procurari. Si qui vero ex familia eccleſiaſtica ſacerdotes, vel levitæ, vel monachi, vel clerici, vel quilibet alii lapſi fuerint; dari eos in pœnitentiam volumus, ſed res eorum eccleſiaſtico juri non ſubtrahi. Ad uſum tamen ſuum accipiant, unde ad pœnitendum ſubſiſtant: ne ſi nudentur, locis, in quibus dati fuerint, oneroſi ſint. Si qui parentes in poſſeſſione habent ipſis, res eorum trandendæ ſunt, ut in ipſis juri eccleſiæ conſerventur.

Subdiaconorum cœlibatus. Diſt. 31. can. *Ante triennium*. Diſt. 28. can. *Nullum*.

Ante triennium ſubdiaconi (*b*) omnium eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur; ut qui uſum ejuſdem continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua uxore ſeparari: atque per hoc, quod abſit, deterius cadat. Unde videtur mihi, ut a præſenti die epiſcopis omnibus dicatur, ut nullum ſubdiaconum facere præſumant, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit: quatenus & præterita quæ per propoſitum mentis appetita non ſunt, violenter non exigantur, & futura caute caveantur. Qui vero poſt eamdem prohibitionem; quæ ante triennium facta eſt, continenter cum ſuis uxoribus vixerunt, laudandi, atque re-

---

(*a*) Duo decreta hoc capite continentur: alterum eſt, *De lapſis ſacerdotibus*, &c. alterum eſt, *Si qui vero*, &c. quum utriuſque ſit idem fere ſenſus, verbis pauliſper immutatis, alterutrum ſuperfluum ac ſubdititium judicant monachi Benedictini in hunc locum.

(*b*) Huic decreto de continentia ſubdiaconorum conſonat epiſtola altera ejuſdem S. Gregorii ad Leonem epiſcopum Catanenſem, hic Dipl. CVIII. Plura, quam hic exſcribi poſſint, de hoc argumenti genere exhibent canoniſtæ & hiſtorici: conſulendi itaque ſunt, Baronius ad annum 591. cap. 21. & ſeqq. Claudius Eſpencæus *de Continentia* lib. 1. Chriſtianus Lupus tom. 4. Diſſert. 1. *de Latinorum Epiſcopor. & Clericor. continentia* cap. 3. Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 1. lib. 2. cap. 61. & ſeqq. Ivenin *Comment. Hiſtor. & Dogmat. de Sacram.* Diſſert. 10. quæſt. 7. cap. 8. art. 1.

remunerandi ſunt : & ut in bono ſuo permaneant, exhortandi. Eos autem qui poſt prohibitionem factam ſe a ſuis uxoribus continere noluerint, nolumus pervenire ad ſacrum ordinem : quia nullus debet ad miniſterium altaris accedere, niſi cujus caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.

Liberato negotiatori qui ſe eccleſiæ commendavit, qui habitat in maſſa Cinciana, annuam continentiam (*a*) a te volumus fieri. Cujus continentiæ ſummam ipſe æſtima, qualis eſſe debeat, ut renuntiata nobis in tuis poſſit rationibus imputari. De præſenti vero indictione, jam a filio noſtro Servo-Dei diacono percepi. Maſſa Cinciana.

Fantinum defenſorem Johannes monachus (*b*) quidam moriens in ſex uncias heredem dimiſit : cui hoc quidem, quod dimiſſum eſt, trade : ſed conteſtare eum, ut hoc facere ulterius non præſumat. Sed pro labore ſuo ſtatue quid accipiat, ut ei vacuus labor ſuus eſſe non debeat; & hoc meminerit, ut qui eccleſiæ ſtipendiis ſubſiſtit, ad lucra propria non anhelet. Si quid vero ſine peccato, ſine appetitu concupiſcentiæ, per eos, qui cauſſas eccleſiæ agunt, ad eccleſiam venerit, dignum eſt, ut ex labore ſuo ipſi vacui eſſe non debeant; ſed noſtro ſervetur judicio, qualiter debeant remunerari. Fantinus defenſor.

De argento Ruſticiani, cauſſam ſubtiliter require, & quod tibi juſtum videtur, exequere. Alexandrum virum magnificum admone, ut cauſſam ſuam cum ſancta eccleſia decidere debeat. Quod ſi facere forte neglexerit, eamdem cauſſam cum timore Dei, honeſtate ſervata, ut potes, exequere. In qua re etiam largiri te volumus aliquid; & ſi fieri poteſt, quod aliis dandum eſt, ipſi relaxetur; dummodo cauſſam, quam nobiſcum habet, exerceat.

Donationem ancillæ Dei, quæ lapſa eſt, & in monaſterio data, omni poſtpoſita tarditate reſtitue : quatenus ipſe locus, ut ſuperius dixi, rerum ejus ſtipendia habeat, qui ejus ſolicitudinis labores portat. Sed & quidquid ab aliis ex ejus ſubſtantia tenetur, recollige, & monaſterio præfato trade.

Penſiones xenodochii de Via-nova, quantas mihi indicaſti, quia apud te habes, nobis dirige. Actionario (*c*) autem, quem in eodem patrimonio deputaſti, pro ut tibi videtur, ei aliquid largire. Xenodochium de Via-nova.

De ancilla Dei, quæ cum Theodoſio fuit, extranea nomine, videtur mihi ut ei continentiam facias, ſi utile conſpicis : aut certe donationem, quam fecit, reddas. Domum monaſterii, quam Antoninus datis triginta ſolidis a monaſterio tulerat, receptis ſolidis omni poſtpoſita tarditate reſtitue. Amulas (*d*) onychi-

(*a*) Id eſt, annuam penſionem, ut oſtendunt verba quæ immediate ſecuntur : *Cujus continentiæ ſummam ipſe æſtima*.

(*b*) De monachis Siculis per decem priora ſæcula agemus infra, Diſſert. III.

(*c*) Conſule Diſſert. VI. in fine Voluminis poſitam Cap. 2. *De Actionariis, & Actoribus*.

(*d*) Scilicet, vaſa vinaria. Adi, ſis, Altaſerram, & Guſſanvillæum in hunc locum.

nas requiſita ſubtiliter veritate, reſtitue, quas per portitorem præſentium retranſmiſi.

Saturninum, ſi vacat, & occupatus apud te non eſt, ad nos dirige. Felix conductor domnæ Campaniæ, quem liberum reliquerat, atque eſſe indiſcuſſum juſſerat, dixit ſibi a Maximo ſubdiacono ſeptuaginta duos ſolidos ablatos: pro quibus damnis aſſeruit, quia omnes res ſuas, quas in Sicilia habuit, vel venundedit, vel oppoſuit. Sed ſcholaſtici (*a*) dixerunt, quod de fraudibus indiſcuſſus eſſe non poteſt. Dum tamen ad nos de Campania reverteretur, facta tempeſtate mortuus eſt: cujus te volumus uxorem, & filios requirere, & quidquid oppoſuerat, vel vendiderat, appoſita abſolve, de venditis pretium reſtitue, & inſuper eis aliquod alimentum præbe: quia Maximus eum in Siciliam miſerat, & ibi ei quæ aſſerebat, abſtulerat; cognoſce ergo quæ ablata ſunt, & uxori, filiiſque ejus ſine aliqua mora reſtitue. Hæc omnia ſolicite relege: omnemque illam familiarem tuam negligentiam poſtpone. Scripta mea ad ruſticos, quæ direxi per omnes maſſas fac relegi: ut ſciant, quid ſibi contra violentias debeant defendere ex auctoritate noſtra; eiſque vel authentica, vel exemplaria eorum dentur. Vide ut omnia abſque imminutione cuſtodias: quia de his quæ tibi pro ſervanda juſtitia ſcribo, ego abſolvor, & tu ſi negligis, obligaris. Terribilem Judicem conſidera venientem, & de adventu illius nunc tua conſcientia contremiſcat, ne tunc ſine cauſſa jam timeat, quum coram illo cælum & terra tremuerit. Audiſti quod volo: vide quod agas.

DIPLOMA LXX.

Epiſtola antedicti. S. Gregorii ad ipſum eumdem Petrum ſubdiaconum. Ut Godiſcalchi filio inopi, & cæco ad victum neceſſaria ſuppeditet, præcipit.

Gregorius Petro ſubdiacono.

Anno ix. Ind. 590. & 591.

Ex eod. lib. I. epiſt. 46. alias 44.

DIvina præcepta nos admonent diligere proximos ſicut nos metipſos: & quum hac eos præcipiamur caritate diligere, quanto magis debemus his in ſubſidiis neceſſitatum carnalium ſubvenire, ut eorum anguſtias, ſi non ex omnibus, ſaltem aliquibus ſubſtentaculis ſublevemus. Quoniam ergo Godiſcalchi viri digniſſimi filium non ſolum amiſſione viſus, ſed etiam inopia victus egeſtatem pati conſpeximus. Neceſſarium duximus in quantum poſſibilitas ſuppetit, ei præbere conſultum. Propterea experientiæ tuæ præſenti juſſione præcipimus, ut annis ſingulis viginti quatuor modios tritici, fabæ quoque mo-

(*a*) Scholaſtici vocem expoſuimus ſupra in notis ad Dipl. LXII.

modios duodecim, & vini decimatas (a) viginti pro ſubſtentatione vitæ debeat miniſtrare: quod tuis poſtmodum poſſit rationibus imputari. Ita ergo fac ut præſentium lator nullas de percipiendis Domini donis moras ſuſtineat: & tu bene diſpenſatæ mercedis poſſis particeps inveniri.

DIPLOMA LXXI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad eumdem Petrum ſubdiaconum. Quid ad celebrandam dedicationem dare debeat ad erogandum pauperibus.

Gregorius Petro ſubdiacono (b),

Feſtivitatibus ſanctorum deſiderabiliter inſiſtentes, præſentis præceptionis noſtræ paginam, ad experientiam tuam neceſſe duximus dirigendam: indicantes ei oratorium beatæ Mariæ, quod nuper in cella fratrum ædificatum eſt, ubi Marinianus abbas præeſſe dignoſcitur, Auguſto menſe diſpoſuiſſe nos, adjuvante Domino, ſummopere dedicari: quatenus cæpta noſtra, operante Domino, debeant con-

Ann. IX. *Ind.* 590.&591.
Ex eod. lib. I. epiſt.56. alias 54.

(a) Id eſt, menſuras ponderis LX. librarum: hinc Anaſtaſius in Adriano: *Decimatas duas*, inquit, *penſantes per unamquamque decimatam libras LX.* Vide infra Diſſert. VIII. n.10.

(b) Hic rector erat patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia, ut oſtendimus in monitis ad Dipl. LX. & fuſius monſtrabimus infra, Diſſert. VI. Cap. I. quare oratorium S. Mariæ, de quo S. Pontifex hic agit, in Sicilia conſtituamus, oportet: immo in ipſa urbe Panormi ex eo poſitum recte volunt, quod dicatur ædificatum *in cella Fratrum*, cui præerat *Marinianus abbas*, quem alibi, id eſt Dipl. XCIII. ipſemet S. Gregorius nominat *abbatem de Panormo*. Hocce monaſterium hic appellatum *Cella-Fratrum* cum Panormitano monaſterio *S. Hermæ* confundunt, Rocchus Pyrrhus in Diſſert. *De ſex Monaſteriis Gregorianis*, & Johannes Mabillonius *Annal. Bened.* tom. I. lib. 8. cap.35. non quod ignoraverint monaſterii *S. Hermæ* Urbicum abbatem fuiſſe, ut conſtat ex Dipl. CXXXI. ſed quia Mariniano, ad Ravennatem epiſcopatum evecto, Urbicum in monaſterii præfectura ſuffectum ſuſpicentur. Verum a Mariniano Ravennenſi Panormitanum diverſum omnino fuiſſe, ex eo plane liquet, quod idem S. Gregorius poſt datas de Urbico abbate, & Ravennenſi Mariniano epiſtolas, iterum *Mariniano abbati* ſcripſerit, hic Dipl. CCXXXI. nimirum Panormitano noſtro, ut poſt alios eruditi obſervant, Socii Bollandiani die 23. Aprilis *de S. Gregorio* §. 4. n. 37. & Monachi Benedictini in notis ad eamdem epiſtolam juxta novum ordinem lib. II. epiſt. 73. nam ſecundum antiquam editionem erat lib.9. epiſt.68. Atque ita quum ipſi eruditi viri, reſtituendo veriori ordini epiſtolarum incumbentes, ad poſteriora tempora illam ad Marinianum poſtremo ſcriptam rejecerint, locum habere non poteſt conjectatio eorumdem Pyrrhi, & Mabillonii, dicentium eam extra ordinem reperiri poſitam, ac ad ſuperiorem locum, id eſt ante illas Urbicum abbatem, & Marinianum epiſcopum Ravennenſem commemorantes, ſubſtolli debere.

conſummari, Sed quia cellæ ipſius tenuitas exigit, debere nos in ipſa diei feſtivitate concurrere: propterea volumus ut ad celebrandam dedicationem (*a*) dare debeas ad erogandum pauperibus, in auro ſolidos decem, vini amphoras triginta, agnos ducentos, olei orcas (*b*) duas, berbices (*c*) duodecim, gallinas centum, quæ tuis poſſint rationibus poſtmodum imputari. Statim ergo fieri hæc nulla moræ interjectione conſtitue, ut vota noſtra, Deo auctore, celerem ſortiantur effectum.

DIPLOMA LXXII.

Epiſtola præfati S. Gregorii PP. ad Felicem epiſcopum Meſſanenſem. Quæ ſervandæ ſint conſuetudines, quæ abrogandæ. Ne munera ſibi mittat, aut Romam veniat, amice monet.

Gregorius Felici epiſcopo Meſſanenſi (*d*).

Ann. IX. *Ind.* 590. & 591. Ex eod. lib. 1. epiſt. 66. alias 64.

COnſuetudines quæ eccleſiis gravamen noſcuntur inducere, noſtra nos decet conſideratione remittere: ne illuc aliqua cogantur inferre, unde ſibi inferenda debent potius expectare. Clericorum ſiquidem vel aliorum conſuetudinem te oportet illibatam ſervare, eiſque annis ſingulis quæ ſunt conſueta, tranſmittere. Nobis autem de cetero ne quid transmittere debeas, inhibemus. Et quoniam non delectamur xeniis, Palmatianas (*e*) quas tua dixerit fraternitas, cum gratiarum actione ſuſcepimus; ſed eas, ne quod exinde potuiſſes ſentire diſpendium, digno fecimus pretio venundari, & id fraternitati tuæ tranſmiſimus ſingillatim. Sed quia caritatem tuam ad nos ve-

(*a*) Vel ex hoc tantum loco colligi poteſt, in dedicatione novæ baſilicæ convivia olim inſtituta fuiſſe, quemadmodum obſervant, Baronius ad annum 591. cap. 27. & Van-Eſpen par. 2. *tit.* 16. cap. 3. n. 21.

(*b*) Id eſt, menſuras liquidis conſervandis, menſurandiſque aptas, ut abſque ulteriori teſtimonio perhibet Gregor. Turon. lib. 4. hiſtor. cap. 44. *Septuaginta* (inquit) *vaſa, quæ vulgo orcas vocant olei liquaminisque furati ſunt*. Conſule Diſſertationem noſtram *de antiquis Ponderibus & Menſuris Siciliæ*, cap. 2. n. 12. in fine Vol.

(*c*) Seu *verveces*, nam vocem *berbex* pro *vervex* olim uſurpatam fuiſſe pluribus exemplis demonſtrat Du-Gang *in ſuo Gloſſario*. Et quidem in editione Romana anni 1613. *verveces* legitur.

(*d*) De eo egimus in notis ad Dipl. LXVII.

(*e*) Genus veſtis opere Phrygio, ſive plumario concinnatæ, ut erudite obſervant, Guſſanvillæus, & Monachi Benedictini in hoc loco, necnon Johannes Mabillonius *Actor. Sanctor. Ord. Bened.* tom. 1. in Vita S. Gregorii, ad unum rejicientes Baronium, qui ad ann. 591. cap. 11. *uvas Palmatianas*, *ſeu vinum Palmatianum* perperam intellexit.

venire velle (*a*) cognovimus, ſcriptis præſentibus admonemus, ut ad veniendum non debeas laborem aſſumere; ſed ora pro nobis, ut quanto nos itineris intervalla diſſociant, tanto animis noſtris adinvicem Chriſto adjuvante ſimus in caritate conjuncti: quatenus nos alterna obſecratione juvantes, ſuſceptum officium venturo integrum Judici reſignemus.

DIPLOMA LXXIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Petrum ſubdiaconum. Ut Paſtori oculis infirmo annuum præſtet alimentum.

Gregorius Petro ſubdiacono (*b*).

SI proximorum neceſſitatibus (*c*) habita compaſſione benigna mente concurrimus, noſtris procul dubio petitionibus Dominum clementem reperimus. Paſtorem (*d*) ſi quidem, qui nimia viſus imbecillitate laborat, habentem conjugem, duoque mancipia, qui & cum Jonatha quondam glorioſa fuerat, plurimis cognovimus neceſſitatibus ſubjacere. Propterea experientiam tuam per præſentis præcepti paginam admonemus, uti pro ſuſtentatione ejus annuos tritici modios (*e*) trecentos, necnon & fabæ modios totidem dare non differas, quæ poſtmodum poſſint tuis rationibus imputari. Ita ergo fac, ut & tu bene miniſtrans, mercedis commodum percipias, & noſtra ad effectum præcepta perducas.

Anno 591. menſe Aug.

Ex eod. lib. I. epiſt. 67. alias 65.

Menſe Auguſto.

DI-

(*a*) Humanitatem hanc cum aliis quoque epiſcopis Siculis exercuit, tribus ſolummodo exceptis, Agrigentino, Catanenſi, & Panormitano, quos imminente etiam hieme ad eum proficiſci debere, ſcripſit ad Petrum ſubdiaconum, hic Dipl. LXXVII.

(*b*) Is erat rector patrimonii eccleſiæ Romanæ a S. Gregorio initio ſui pontificatus in Siciliam miſſus: de quo egimus in monitis ad Dipl. LX.

(*c*) Quot qualeſque eleemoſynas ex patrimonio Siculo S. Gregorius primo pontificatus ſui anno pauperibus erogaverit, exponemus infra, Diſſertatione V. n. 6.

(*d*) Nomen viri proprium.

(*e*) Aridorum menſura, de qua pauca dedimus in monitis ad Dipl. LXIX. lit. *e* & plura dabimus infra, Diſſert. VIII. Cap. II. n. 13.

DIPLOMA LXXIV.

Epiſtola præfatì S. Gregorii ad eumdem Petrum ſubdiaconum. Monaſterii lites, ac negotia omnia perito e laicis viro committenda.

Gregorius Petro ſubdiacono Siciliæ.

Anno ix. Ind. 590. & 591. Ex eod. lib. I. epiſt. 69. alias 67.

SIcut ſtudii noſtri eſſe condecet, a litigiis foralibus monachos ſubmovere, ut divinis miniſteriis pie ac ſolerter invigilent: ita neceſſe eſt noſtram proviſionem, quemadmodum negotia eorum diſponi debeant ordinare, ne diſtenta mens per varias cauſſarum curas defluat, & ad celebrandum opus conſuetum enervata torpeſcat. Præſentium itaque lator abbas Johannes plurima ſe monaſterii ſui (*a*) aſſerit habere negotia. Pro qua re experientiam tuam per præſentis ſcripti paginam admonemus, quatenus cum Fauſto, qui Romani viri magnifici ex prætore cancellarius (*b*) fuerat, loqui debeat. Cujus ſi pronam ad hanc rem compereris voluntatem, ei monaſterii ipſius generaliter debeas conſtituto ſalario commendare negotia. Expedit enim parvo incommodo a ſtrepitu cauſſarum ſervos Dei quietos exſiſtere; ut & utilitates cellæ per negligentiam non pereant, & ſervorum Dei mentes ad opus dominicum liberiores exſiſtant.

DI-

(*a*) Monaſterium cujus Johannes præfecturam gerebat, illud S. Luciæ in civitate Syracuſana fuiſſe, plane liquet ex Dipl. CXXXVIII. Benigniora ſed longe a veritate aliena de ipſo Johanne ſuſpicantur, Mabillonius *Annal. Bened.* tom. I. lib. 8. cap. 24. & Monachi Benedictini *in Vita S. Gregor.* lib. 2. cap. 6. n. 4. volentes, eum fuiſſe virum ſolitudini & cæleſti contemplationi adeo intentum, ut monaſterii lites, quibus citra ſtatus ſui & animæ diſpendium vacare nequibat, ipſe ſyndaco committi procuraret. At conjectura hæc ruit, lecta altera ejuſdem argumenti epiſtola, a S. Gregorio ipſi Johanni ſcripta, hic Dipl. XCI. Ibi: *De fratrum vero animabus omnino eſto ſolicitus. Sufficit jam quod opinio monaſterii per veſtram negligentiam inquinata eſt. Non frequenter foras egrediaris. In cauſſis iſtis procuratorem inſtitue, & tu ad lectionem atque orationem vaca.* Ceterum conſtitutionem hanc S. Gregorii de ſyndacis inſtituendis, agendi cauſſa monaſteriorum lites & negotia, indicant & laudant, Baronius ad annum 591. cap. 16. Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. 3. cap. 104. n. 1. Natal. Alex. *Hiſt. Eccl.* ſæcul. 6. cap. 2. art. 13. n. 12. Van-Eſpen par. 3. tit. 6. cap. 3. n. 33. & ſeqq.

(*b*) Vocem cancellarii diſertiſſime exponit Du-Gang *in ſuo Gloſſario*.

DIPLOMA LXXV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad univerſos epiſcopos per Siciliam. A fictorum defenſorum angariis quomodo ſibi caveant.

Gregorius univerſis epiſcopis per Siciliam.

FRaternitatis veſtræ diu jam probata devotio tanto nos compellit pro vobis caute providere, quanto vos aſtruit audito eccleſiæ noſtræ damno, ſtudioſe concurrere. Cognovimus quosdam in Sicilia inſula ſimulantes ſe Sedis apoſtolicæ defenſores, de frumento vos in angariis, aliiſque rebus affligere: neceſſarioque duximus eorum fallaciæ ſcriptis præſentibus obviare. Ideoque fraternitatem veſtram caritate debita ſalutantes, magnopere commonemus, ut nullo modo talibus deinceps apud vos locus ſurripiendi remaneat: ſed quiſquis ille eſt, ſi revera ſedis noſtræ fuerit notarius (*a*) vel defenſor (*b*), niſi noſtra ad vos ſpecialiter, vel rectoris (*c*) noſtri patrimonii ſcripta detulerit, nullis per nomen eccleſiæ noſtræ potiatur angariis; nec aliqua vobis ab eo gravamina imponi permittatis, ſed ſuis u[illegible]atibus iter ſuum propriis, ut novit, diſponat expenſis. Nec quemquam ab eo in locis iſtis patiamini moleſtari. Hæc etenim quæ noſtris apicibus pro veſtra veſtrorumque quiete inhibuiſſe cognoſcimur, ſic conſtantius conſervate, ut hoc exuti gravamine, divinis obſequiis devoti ac paratiores inveniri valeatis.

590. & 591. *Anno ix. Ind.*

Ex eod. lib. i. epiſt. 70. alias 68.

(*a*) De notariis eccleſiæ in Sicilia, quos S. Gregorius memorat hic & alibi paſſim, diſerte agemus in Diſſertatione vi. ad calcem hujus Voluminis edenda, Cap. iv.

(*b*) De defenſoribus eccleſiæ aliqua exponemus etiam in citata Diſſertatione noſtra, Cap. iii.

(*c*) Patrimonium eccleſiæ Romanæ in Sicilia rectores adminiſtrandum ſuſcipiebant, de quorum numero & officio agemus in cit. Diſſert. vi. Cap. i.

DIPLOMA LXXVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Petrum ſubdiaconum. Ut Cyriacum, & Johannam conjugem ejus ex Judæa Chriſtianam tueatur.

Gregorius Petro ſubdiacono (*a*).

Anno IX. Ind. 590. & 591.

Ex eod. lib. I. epiſt. 71. alias 69.

E Gentibus noſtræ commendationis auxilio, oportet nos, in quantum ratio patitur, benigna mente præbere ſubſidium. Proinde experientiæ tuæ Cyriacum, & Johannam conjugem ejus, præſentium portitores noſtra præceptione duximus commendandos, quatenus a nullo eos contra juſtitiam opprimi vel gravari permittas. Sed ubi neceſſe fuerit tuis, annuente juſtitia, ſolatiis perfruantur: ut ſalva æquitate, noſtram ſibi in omnibus commendationem te concurrente prodeſſe lætentur. Quia vero præfata femina, pro eo quod poſt acceptas ſponſalitias arrhas, ex Judea (*b*) ad Chriſtianam religionem converſa eſt, dicitur ſubſtinere moleſtiam: & eamdem cauſſam jam dictam aſſeruit, & finitam experientia tua diligenter exquirat; & ſi cauſſam judicatam cognoverit, nullam exinde querelam adverſus ſupra ſcriptam feminam ulterius quolibet modo reſerpere permittat. Sed quæ judicata ſunt, modis omnibus conſerventur, ne ob id quod meliorem partem elegiſſe dignoſcitur, malorum hominum controverſiis quatiatur.

DIPLOMA LXXVII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad ipſum Petrum ſubdiaconum. Ne ante hiemem Siculi epiſcopi omnes Romam veniant: frumenti copiam ultra ſolitum comparet Petrus, ac congruo tempore in Urbem tranſmittat.

Gregorius Petro ſubdiacono.

Eod. anno

Ex cit. lib. I. ep. 72. alias 70.

QUia fratres & coepiſcopos noſtros in Sicilia inſula commorantes, ad beati Petri apoſtoli natalitium diem conveniſſe voluimus, ſcriptis præcedentibus (*c*) agnoviſti. Sed quia ea cauſſa (*d*), quæ

(*a*) De eo in monitis ad Dipl. LX.

(*b*) Judæos tunc temporis exſtitiſſe in Sicilia diſcimus ulterius ex Dipl. LXIX. & aliis in indice citandis.

(*c*) Litteras quas hic memorat S. Gregorius de epiſcopis Siculis ad natalitium diem S. Petri in Urbem conveniendis, dedimus ſupra Dipl. LXVI.

(*d*) Controverſiam inter Juſtinum prætorem & epiſcopos Siculos tunc fuiſſe,

quæ cum viro magnifico Juſtino expretore (*a*) dicitur, eorum iter interim præpedivit, & quia jam tempus veniendi & redeundi non ſinit, eos nolumus ante hiemem (*b*) fatigari (*c*). Gregorium vero Agrigentinum (*d*), & Leonem Catanenſem (*e*), & Victorem Panormitanum (*f*) per omnia nos volumus ad nos ante hiemem proficiſci. Quinquaginta vero auri libris, nova frumenta ab extraneis compara, & in Sicilia in locis in quibus non pereant repone: ut menſe Februario illuc naves quantas poſſumus dirigamus, & eadem ad nos frumenta deferantur. Sed etſi nos tranſmittere ceſſamus, ipſe naves provide, & ad nos auxiliante Domino Februario menſe tranſmitte hæc eadem frumenta, exceptis dumtaxat frumentis, quæ nunc menſe Septembri, vel Octobri, juxta conſuetudinem tranſmitti præſtolamur. Ita ergo experientia tua faciat, ut ſine alicujus vexatione coloni eccleſiaſtici, frumenta congregentur: quia tantum hic parva nativitas fuit, ut niſi auxiliante Deo frumenta de Sicilia congregentur, fames (*g*) vehementer immineat. Naves vero quæ commendatæ eccleſiæ ſanctæ ſemper fuerunt, in omnibus tuere, ad quod tibi etiam dire-

ſe, ulterius diſcimus ex altera ejuſdem S. Gregorii epiſtola ipſi Juſtino inſcripta, hic Dipl. LXI.

(*a*) Rectius legerem *prætore*, ut habet epiſtola modo laudata, cui conſonat Dipl. LXXXVII.

(*b*) Ergo ſub fine indictionis IX. epiſtola hæc ſcripta fuit.

(*c*) Quemadmodum Meſſanenſem epiſcopum S. Gregorius monuit ex Dipl. LXXII. ne Romam de more veniret, ita & nunc reliquos Siciliæ epiſcopos, tribus tantummodo exceptis, Agrigentino, Catanenſi, & Panormitano, quos urgente adhuc hieme, laborem navigationis debere aſſumere omnino præcipit: utpote qui eſſent graviſſimis criminibus accuſati. Conſule admonitionem noſtram ad Dipl. LXXXVII.

(*d*) Eum memorat ipſe idem S. Gregorius, Maximiano epiſcopo Syracuſano ſcribens, hic Dipl. XCII. Is poſt Euſanium epiſcopali cathedra propter ſcelera depoſitum, de quo agitur infra, Dipl. CIX. Agrigentinæ eccleſiæ pontificatum tenuit. Pyrrhus *in Not. Eccleſ. Agrig.* Gregorium hunc, tertium vocat, veluti duos habentem ejuſdem nominis prævios epiſcopos, alterum ex hiſtoria translationis S. Agrippinæ, alterum ex propriis ejus Actis ſatis cognitos. At vereor tamen, ne unus Gregorius in tres gratis multiplicetur, dum quæ narrantur de tribus commode verificari poſſunt in uno: hinc rejecta ad poſteriora tempora translatione S. Agrippinæ, jam primum Gregorium non neceſſarium putant Socii Bollandiani die 23. Junii *de S. Agrippina*. Qui & alterius Gregorii Acta ita mendoſa eſſe dicunt, *ut ex eis nihil ſolide concludi poſſit*; ita die 5. Junii *de S. Greg. Mar. Episc. Lilybœt.* Quare alterum Gregorium, cujus fit etiam mentio in hodierno Martyrologio Romano die 23. Novembr. a tertio de quo agitur hic, non diſtinguit Baronius in notis ad idem Martyrol. & *in Annal. Eccl.* ad annum 594. cap. 20.

(*e*) Confer cum Dipl. LXXXVII.

(*f*) De eo in notis ad Dipl. XCIII. & CXII.

(*g*) Roma, ſubverſis ſuperiore anno per Tiberis inundationem eccleſiæ horreis, initio indictionis IX. frumentorum penuriam, ut diſcimus ex Dipl. LXI. ſuſtinuit: graviore ergo fame ſub fine ejuſdem indictionis jugulata eſt, quum uni inundationis infortunio & aliud ſterilitatis ſegetum acceſſerit: quare de frumentis e Sicilia in Urbem mittendis merito S. Gregorius videtur ſolicitus.

directæ glorioſi viri Leonis exconſulis (*a*) epiſtolæ concurrunt. Multi vero huc veniunt, qui terras aliquas, vel inſulas in jure eccleſiæ noſtræ, in emphyteoſim ſibi poſtulant dari: & aliquibus quidem negamus, aliquibus vero jam conceſſimus. Sed tua experientia ſanctæ eccleſiæ utilitatem conſpiciat, memor, quod ante ſacratiſſimum beati Petri apoſtoli corpus, poteſtatem patrimonii ejus acceperit. Et licet hinc ſcripta decurrant, quod utilitatem patrimonii impedit, fieri nullo modo permittat: quia nec nos ſine ratione aliquid dediſſe reminiſcimur, vel dare diſponimus.

DIPLOMA LXXVIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii PP. ad eumdem Petrum ſubdiaconum. De reſtituendis Tauromenitanæ eccleſiæ poſſeſſionibus, atque pecuniis.

Gregorius Petro ſubdiacono.

Anno IX. Ind. 590. & 591. Ex eod. lib. I. ep. 73. alias 71.

QUanto apoſtolicæ Sedi ab eccleſiis reverentia ceteris exhibetur, tanto eam in earum decet eſſe tuitione ſolicitam. Et quia domus, vel fines atque poſſeſſiones Tauromenitanæ (*b*) juri eccleſiæ pertinentes, ab actionariis (*c*) dicuntur noſtræ eccleſiæ contra rationis ordinem occupatæ, experientiæ tuæ præſentis hujus præcepti paginam deputamus, quatenus cognita veritate, ſi ita eſt, cuncta quæ occupata didiceris, in antefatæ eccleſiæ priſtina jura reſtituas. Quia vero pervenit ad nos, vivente adhuc Victorino (*d*) epiſcopo ejuſdem eccleſiæ periiſſe pecunias, ad earum requiſitionem te Secundino (*e*) fratri & coepiſcopo noſtro volumus præbere ſolatia, & utilitatibus ejuſdem eccleſiæ, in quo neceſſarium fuerit, ſalva æquitate concurrere. Itaque etenim cuncta, quæ in hujus præcepti pagina continentur, effectui mancipare feſtina, ut de æquitate ſervata præfati epiſcopi relationibus ipſe lauderis.

DI-

(*a*) Conſule quæ dabimus in Diſſert. VII. Cap. *de Exconſulibus*.

(*b*) Alibi, id eſt Dipl. LXVI. S. Gregorius queſtus eſt, miniſtros eccleſiæ ſuæ a juſtitia declinantes, aliquorum Siculorum bona per violentiam abſtuliſſe: eapropter Petro ſubdiacono & rectori patrimonii ſui de omnibus injuſte invaſis reſtitutionem fieri præcepit: nunc eidem Petro mandat, ut de reſtituendis Tauromenitanæ eccleſiæ bonis contra rationis ordinem occupatis potiſſimum ſit ſolicitus.

(*c*) Qui fuerint actionarii hujuſmodi, dicemus infra, Diſſert. VI. Cap. *de Actoribus, & Actionariis Eccleſiæ*.

(*d*) Quod is in catalogo Tauromenienſium præſulum locum invenerit, huic epiſtolæ gloria tribuenda eſt. Ejus ordinatio anno 503. recentior fuit, utpote quum dicto anno Romanæ ſynodo in cauſſa Symmachi papæ interfuerit *Rogatus Tauromenii epiſcopus*.

(*e*) Victorino in Tauromenitano præſulatu ſuffectus eſt Secundinus iſte, quem ipſemet S. Gregorius, hic Dipl.

DIPLOMA LXXIX.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii magni ad Laurentium epiſcopum Mediolanenſem. Ut aliquem, cum quo de poſtulata pecunia, ratione patrimonii Siculi, lis orta dirimatur, inſtituat.

Gregorius Laurentio epiſcopo Mediolanenſi (*a*).

SCripta fraternitatis veſtræ ſuſcipiens, gratias omnipotenti Deo retuli, qui deſiderabili me ſoſpitatis ejus nuntio relevavit. Quod autem perhibetis ab exactione patrimonii Siciliæ provinciæ, juri ſanctæ, cui Deo auctore præſidetis eccleſiæ certam redhiberi pecuniæ quantitatem, pro eo quod ab actoribus (*b*) ſanctæ Romanæ eccleſiæ illo in tempore patrimonii eccleſiæ veſtræ celebrabatur exactio; neceſſarium fuit juxta tenorem ſcriptorum a vobis directorum, acceptarum illatarumque pecuniarum ſummam inſpicere, & totius ratiocinii meritum ſubtiliter indagare; quibus perſpectis, nihil a ſancta Romana eccleſia eccleſiæ veſtræ allegatum eſt redhiberi. Sed quia dum Conſtantius diaconus veſter ad ea quæ objecta a noſtris fuerant, aliud alligavit; examen negotiis venit in dubium, quod ſubtilius poterat ventilari, ſi qua perſona exſiſteret, cum qua definiri aliquid ſtabiliter potuiſſet. Proinde neceſſe eſt, ut ſanctitas veſtra hac de re perſonam inſtituat, cum qua Romana eccleſia aliquid debeat ſolide definire, ut ſive nihil debet, ex judicio pateat; ſeu aliquid debuit & reſtituit, perſona quam inſtitutis, ſecuritatem ſollemniter emittat.

Anno IX. Ind. 590. & 591.

Ex eod. lib. I. epiſt. 82. alias 80.

DI-

Dipl. XCIV. virum reverendiſſimum & ſanctiſſimum vocat. Is Juſtum ſui ſucceſſorem habuit, qui ſe ſubſcripſit Lateranenſi concilio adverſus Monothelitas anno 649. celebrato. Ceterum de eodem Secundino fit quoque mentio in pluribus aliis S. Gregorii epiſtolis infra exſcribendis; necnon ſubſcriptus reperitur in decretis Gregorianis, & in ſynodo Romana III. ſub ipſo S. Gregorio celebrata, quæ invenies in fine tom. 2. poſtremæ editionis ejuſdem S. Gregorii.

(*a*) Eum patrimonio eccleſiæ ſuæ in Sicilia defendendo ſedulo intendiſſe, abſque ulteriori teſtimonio referunt Tabulæ Mediolanenſis eccleſiæ, *in Laurentio II.* Subjiciamus verba: *Eccleſiæ Mediolanenſis patrimonium, quod in Sicilia amplum habuit, præclare defendit.* Ejuſdem patrimonii fit quoque mentio in epiſtola Theodorici Gothorum regis ad Adilam virum ſenatorem, hic Dipl. XXXVII. Conſule quæ ibi dedimus in notis.

(*b*) De actoribus eccleſiæ aliqua expendemus in Diſſert. VI. ad calcem hujus Voluminis edenda, Cap. II.

DIPLOMA LXXX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii PP. ad Felicem epiſcopum Meſſanenſem. Baſilicam, percepta prius legitima & ſecura dote, conſecrandam.

Gregorius Felici epiſcopo Meſſanenſi (*a*).

Ann. x. Ind. 591. & 592 S.Greg. lib. 2. Ind. x. epiſt. 5. alias lib. 12. Ind. VII. ep. 10.

JAnuarius ſubdiaconus eccleſiæ Meſſanenſis petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quæ habetur in ſubditis, in civitate Meſſanenſi baſilicam ſe pro ſua devotione fundaſſe, quam in honorem S. Stephani & Pancratii (*b*), atque Eupli (*c*) deſiderat conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, ſi in tuæ diœceſis civitatis jure conſiſtit, & nullum corpus (*d*) ibidem conſtat humatum, percepta prius donatione (*e*) legitima, ideſt a præſentis anni tributis liberos fiſcalibus ſolidos decem, & reliqua, de ſubſtantia ſua ſibi tantummodo uſumfructum retineat. Quæ omnia diligenter inquire; & ſi eorum, quæ offeruntur redituum quantitas, vel quæ tempore mortis reliquerint, ſartis tectis, & luminaribus, necnon alimoniis ſervientium annua poſſunt præſtatione ſufficere, re ipſa munificentia ſit geſtis municipalibus alligata. Quod ſi hæc quæ diximus, per ſolicitudinem tuam impleta non fuerint, de propria ſubſtantia quanti interfuerit, utilitati eccleſiæ te vel heredes tuos ſatisfacturum eſſe non dubites. His igitur procuratis, benedictio optata proveniat. Nec ante dedicationis munus impertias, quam ſuperius comprehenſus fuerit ordo donationis impletus, enunciaturus ex more nihil illic conditoris juri ul-

(*a*) De eo egimus jam in obſervationibus ad Dipl. LXVII. Interim illud hic non puto omittendum, tunc temporis non potuiſſe epiſcopos Siciliæ ſine ſpeciali mandato Romani pontificis eccleſias dedicare. Conſule Dipl. XXXII. Cap. IV. & Diſſert. II. in fine hujus Voluminis edenda n. 7.

(*b*) Scilicet, epiſcopi & martyris Tauromenitani, quem Latini die 3. Aprilis, Græci autem die 9. Julii venerantur. Ex Dipl. CCIX. monaſterium ancillarum Dei in civitate Lilybœtana in honorem ejuſdem S. Pancratii noſcimus etiam conſecratum. Porro celebris ſemper fuit apud Siculos divi Pancratii memoria, propter Evangelicæ prædicationis lumen eis illatum. Vide Diſſertationem noſtram ad calcem hujus Voluminis poſitam: *De primaria inſtitutione Eccleſiæ Siculæ*.

(*c*) Id eſt, diaconi & martyris Catanenſis cujus Acta genuina & ſincera habemus apud Ruinart. *Act. primor. Martyr.*

(*d*) Hanc diſciplinam de non conſecrandis locis, in quibus hominum corpora fuerant humata, innuimus jam & laudavimus in notis ad Dipl. XXXII. Cap. XXV.

(*e*) Eccleſiarum conſecrationem, non percepta prius legitima & ſecura dote, fieri vetuit S. Gregorius hoc in loco, atque etiam in Dipl. CLXXVIII. & CCIX.

ulterius jam deberi, niſi proceſſionis (*a*) gratia, quæ Chriſtianis omnibus in commune debetur, ſanctuaria vero ſuſcepta, ſui cum reverentia collocabis.

DIPLOMA LXXXI.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum. Vices ſuas in Sicilia gerat: reſervatis tamen majoribus cauſſis.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*b*).

MAndata cæleſtia efficacius gerimus, ſi noſtra cum fratribus onera partiamur. Proinde ſuper cunctas Siciliæ eccleſias reverendiſſimum te virum Maximianum fratrem & coepiſcopum noſtrum vice Sedis apoſtolicæ (*c*) miniſtrare decernimus: ut quiſquis illic religionis habitu cenſetur, fraternitati tuæ ex noſtra auctoritate ſubjaceat: quatenus eis non ſit neceſſarium poſt hæc pro parvulis ad nos cauſſis

Anno x. Ind. 591. & 592.

Ex eod. lib. 2. ep. 7. alias 4.

(*a*) De honore proceſſionis debito fundatori eccleſiæ extant quoque Gelaſii papæ I. definitiones, quæ recenſentur in Decreto Gratiani Can. 26. & 27. Cauſ. 16. q. 7. nec non & Decretalis Clementis III. vel ut aliis arridet, Alexandri III. in Cap. 25. *De Jure patronatus*. Quid in allegatis canonibus per proceſſionis honorem veniat, Canoniſtæ inter ſe diſſentiunt; verum & Gregorii noſtri verba, & Gelaſii, & Clementis clariora ſunt, ut quis ab eorum ſenſu abhorrens, aliud præheminentiæ patrono conetur tribuere præter id, quod cuilibet competit fidelium, procedendi ſcilicet, & orandi in eadem eccleſia. Hinc non caſu factum, ut S. Gregorius dicat hic: *Niſi proceſſionis gratia, quæ Chriſtianis omnibus in commune debetur*. Et Gelaſius cit. Can. 26. *Præter proceſſionis aditum, qui omni Chriſtiano debetur.* Et laudato Can. 27. *Niſi proceſsionis aditum, qui Chriſtianis omnibus in commune debetur*. Ad quos canones ſe retulit Clemens in antedicto Cap. 25. *Honor* (inquiens) *proceſsionis fundatori ſervatur .... ſicut in ſacris eſt canonibus inſtitutum.*

(*b*) Ne pluſculum, quam par eſt, chartam iſtam oneremus, lectorem Maximiani epiſcopi Syracuſani hiſtoriam ſcire cupientem, remittimus ad eos, qui illuſtrandis rebus per eum geſtis ſedulo intenderunt, veluti ſunt, Oct. Cajetanus tom. 1. *Sanctor. Siculor.* ad annum 594. Rocchus Pyrrhus *Notit. Eccleſ. Syracuſ.* ad annum 590. Socii Bollandiani *Act. Sanctor.* die 9. Junii, Johannes Mabillonius *Annal. Ord. Bened.* ad annum 591. 595. & alibi paſſim. Sed abſque ulteriori teſtimonio plura de eo exhibent epiſtolæ ejuſdem S. Gregorii infra paſſim exſcribendæ. Inter quas illa ſub n. cxv. Cypriano diacono inſcripta celebrior eſt, utpote quæ de ſanctitate ejus & virtute nobile teſtimonium perhiberet: *Et quidem* (inquit S. pontifex) *ille ad præmia deſiderata pervenit; ſed infelix populus Syracuſinæ civitatis lugendus eſt, qui paſtorem talem diu habere non meruit.*

(*c*) Maximianum vicarium ſuum ſuper omnes eccleſias Siciliæ conſtituit S. Gregorius. Ergo uno eodemque tempore duo erant in Sicilia qui apoſtolicas vices gererent, Maximianus ſci-

cauſſis tanta maris ſpatia (*a*) tranſmeando pervenire. Sed ſi qua fortaſſe difficilia exſiſtunt, quæ fraternitatis tuæ judicio nequaquam dirimi poſſint, hæc ſolummodo noſtrum judicium flagitent: ut ſublevati de minimis, in cauſſis majoribus (*b*) efficacius occupemur. Quas videlicet vices non loco, ſed perſonæ (*c*) tribuemus: quia ex tranſacta in te vita didicimus, quid etiam de ſubſequenti tua converſatione præſumamus. Menſe Decembri, indictione decima.

DIPLOMA LXXXII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Maximianum epiſcopum Syracuſanum. Paulinum Taurianenſem epiſcopum eccleſiæ Liparitanæ præficit.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*d*).

Anno x. Ind. 591. & 592.

Ex eod. lib. 2. epiſt. 16. alias 26.

LOcis munitis eccleſia conſtituta, paſtoris vacare non debet officio. Quia igitur eccleſia Liparitana (*e*) ſacerdote privata dignoſcitur; ideo Paulinum (*f*) Taurianenſis eccleſiæ epiſcopum in prædicta eccleſia Liparitana fraternitas tua ſine mora præeſſe conſtituat, ut officii ſui adminiſtrationem in eadem eccleſia vigilanter exhibeat, &

ſcilicet, de quo hic atque etiam infra, Dipl. CIV. & Petrus ſubdiaconus, de quo ſupra in Dipl. LX.

(*a*) Eadem ratione uſus eſt Theodoricus rex, comiti Syracuſano vices ſuas commiſſas declarans, ſupra Dipl. XXXVI. & ipſemet S. Gregorius Petrum ſubdiaconum vicarium ſuum in Sicilia conſtituens, ſupra Dipl. LXVI.

(*b*) Cauſſas majores ſibi judicandas reſervat S. Gregorius potius ut immediatus Siciliæ metropolita, quam ut univerſalis patriarcha totius eccleſiæ: nam diſciplinam, quæ cauſſas majores, reſtricta provincialis ſynodi poteſtate, reſervat pontifici ſatis tardius, id eſt circa ſæculum 8. & 9. invaluiſſe volunt; conſule Van-Eſpen par. 3. tit. 3. cap. 4.

(*c*) A mente S. Gregorii abhorrent, Lettara, Mirabella, & Amicus, qui videntes Romanum pontificem vices ſuas ſuper reliquas Siciliæ eccleſias Syracuſano epiſcopo commiſiſſe, eum metropolitam Siciliæ fuiſſe putant, non animadvertentes honorem hunc *non loco ſed perſonæ* tributum eſſe. Vide Diſſertationem noſtram in fine hujus Voluminis poſitam: *De eccleſiaſtica politia Siciliæ per decem priora ſæcula*.

(*d*) Non alteri, ſed Maximiano Liparitanæ eccleſiæ negotium committitur, veluti qui vices Romani pontificis ſuper omnes Siciliæ eccleſias gereret, ut ex præcedenti Diplomate conſtat.

(*e*) Vacabat tunc temporis eccleſia Liparitana ob depoſitionem Agathonis epiſcopi jam lapſi, ut liquet ex Dipl. XCVIII. itaque de novo epiſcopo ipſi eccleſiæ præfigendo agit hic S. Gregorius, memor illius conſtitutionis ab eo paullo antea publicatæ ſupra Dipl. LXIV. ut novi ſemper paſtores in locum lapſorum ſubſtituerentur.

(*f*) De eo agitur quoque in ſeq. epiſt. & præterea in Dipl. LXVII. & LXVIII.

& quæque ejus utilitatibus convenire didicerit, ordinare non deſinat. Cunctumque clerum ut in omnibus canonice ei obedire debeat, admoneas: quatenus præfatæ eccleſiæ in cunctis utilitas, prædicto fratre & coepiſcopo noſtro diſponente, Chriſto adjuvante, procurari valeat.

DIPLOMA LXXXIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Paulinum epiſcopum. In Liparitana eccleſia reſideat Taurianenſem vero opportuno tempore viſitet.

Gregorius Paulino epiſcopo (*a*).

SCire te volumus, quia Maximiano fratri & coepiſcopo noſtro ſcripſimus (*b*), ut fraternitatem tuam eccleſiæ Liparitanæ ex noſtra auctoritate præeſſe conſtituat. Cui te modis omnibus obedire neceſſe eſt, ejuſque te eccleſiæ utilitatibus præcipimus decenter inſiſtere, & quæque ejus commoditatibus agnoveris oportere, te volumus ſine cunctatione peragere. Eccleſiam vero Taurianenſem, quoties opportunum tempus credideris, viſitabis. Ita ergo fraternitas tua hæc omnia implere feſtinet, ut & ſui præſentia Liparitanam ſalubriter diſponat eccleſiam; & viſitationis ſtudio Taurianenſem eccleſiam congregare, & fovere non deſinat. Data menſe Martio, indictione decima.

Anno 592. menſe Mar.

Ex eod. lib. 2. epiſt. 17. alias 13.

(*a*) Ad Liparitanam eccleſiam translatus eſt Paulinus Taurianenſis epiſcopus, non quod diſciplina de translationibus epiſcoporum tunc temporis frequens fuerit; ſed quod id exegerit eccleſiæ neceſſitas, propter Taurianenſis civitatis barbaricam irruptionem; quemadmodum advertit eruditiſſimus Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccleſ. Diſcipl.* par. 2. lib. 2. cap. 62. n. 1. Ceterum de ipſo eodem Paulino agitur in Dipl. præcedenti.

(*b*) Epiſtolam hanc Maximiano inſcriptam de negotio Liparitanæ eccleſiæ paullo ante exſcripſimus.

DIPLOMA LXXXIV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum. Ut laudatum a Felice presbyterum diligenter examinet, eumque Romam, ſi epiſcopatu dignum perſpexerit, mittat.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*a*).

Anno x. *Ind.* 591. & 592.

Ex eod. lib. 2. epiſt. 24. alias 18.

FElix vir conſularis (*b*), præſentium lator, edocuit nos, eſſe quemdam in illis partibus presbyterum, qui ad epiſcopatus ordinem provehi vitæ merito dignus appareat. Hunc ergo fraternitas tua coram ſe deduci faciat, eumque, ſicut certus ſum, propter animæ periculum diligenter examinet. Quem ſi ad hunc gradum provehi dignum eſſe perſpexerit, ad nos ſtudeat deſtinare, ut eum, diſponente Deo, loco cui prævideriмus, poſſimus ordinare paſtorem. Præſentium vero latorem Felicem virum conſularem chartularium (*c*), ſalva fraternitati tuæ juſtitia, commendamus; quatenus in iis, quæ juſte popoſcerit, fraternum invenire poſſit affectum.

DIPLOMA LXXXV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Stephanum chartularium. Monachos duos ſui ſtatus deſertores jubeat retrudi: monaſterio conſuetudines novas imponi non ſinat.

Gregorius Stephano chartulario (*d*).

Eod. anno

Ex cit. lib. 2. ep. 28. alias lib. 12. ind. 7. ep. 20

SCientes magnitudinem caritatis veſtræ toto Dominum corde diligere, ob hoc ea quæ in maſſis (*e*) de jure quondam Patriciæ recordationis Julii contra præcepta dominica, contraque canonum regulam commiſſa eſſe didicimus, ad ejus neceſſe duximus referre notitiam:

(*a*) De eo ſupra in notis ad Dipl. LXXXI.

(*b*) De Felice aliiſque conſularibus Siciliæ agemus in Differt. VII. ad calcem hujus Voluminis edenda.

(*c*) In Diſſertatione modo laudata exponemus etiam chartulariorum numerum & officium.

(*d*) Is non erat chartularius totius Siciliæ, ſed *marinarum partium*, ut plane liquet ex Dipl. CXXI. Conſule Diſſertationem noſtram in fine hujus Voluminis poſitam: *De principalioribus Magiſtratibus ſæcularibus Siciliæ, de quibus*, &c.

(*e*) Quid ſint maſſæ, & quot qualeſque fuerint in Sicilia ad eccleſiam Romanam pertinentes, exponemus in Differt. V. *De antiquo Patrimonio Eccleſiæ Romanæ in Sicilia*.

titiam: quatenus & quæ perpetrata ſunt corrigi debeant, & alii deinceps tentare non præſumant. Inſinuatum igitur nobis, in maſſa, quæ nuncupatur Marato, abbate monaſterii ſancti Gregorii (*a*), quod in eadem ſitum eſt, duos monachos (*b*) refugiſſe; & unum quidem ex eis jam conjugem accepiſſe, alium autem laicum effectum ſæculariter vivere, quum nec ex familia maſſæ homines ipſi eſſe liberi aſſerantur: & vel ſi ſecundum conditionem debuiſſent agere, contra Deum erat, ut poſt adeptum divini officii cultum, ad ſæcularem vitam atque habitum remearent. Unde hortor ut habita judicii æterni conſideratione monachos ipſos retrudi ſine dilatione faciatis, ne eorum exemplo, cum veſtro, quod abſit, peccato, ceterorum monaſteriorum diſtrictio diſſipetur: ſed magis ut magnitudinis veſtræ ſolatio aliis monachis ſpes gerendi talia ſubmoveatur. Aſſerit autem prædictus abbas, presbyterum prædictæ maſſæ novas monaſterio ipſi velle imponere conſuetudines, quæ ex tempore conditi monaſterii per triennale tempus hactenus non fuerunt: ſiquidem ſi quid Deo illic munificentiæ gratia a fidelibus viris oblatum fuerit, portionem ſe aſſerat debere percipere. Quod magnitudo veſtra ſtudeat diligenter agnoſcere: etſi hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliud noviter imponi non concedat: maxime quum exiguæ ſubſtantiæ & monaſterium pauperum eſſe didicimus, & abbatem ipſum hoſpitalem omnino eſſe multorum atteſtatione didicimus. Maſſa Marato.

DIPLOMA LXXXVI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Petrum ſubdiaconum Siciliæ. De patrimonii regimine plurima præcipit, in quibus elucent juſtitia, religio, prudentia, & liberalis erga egenos animus: familiaris quoque in Petrum dilectio facile advertitur.

Gregorius Petro ſubdiacono (*c*).

INdicante mihi Romano defenſore (*d*), cognovi quia monaſterium ancillarum Dei, quod eſt in fundo Monotheo, ab eccleſia noſtra de Villa-nova, de fundo juris ſui violentiam pertulit, qui eidem monaſterio dicitur dimiſſus. Quod ſi ita eſt, experientia tua eis, &

Anno eod. Ex eod. lib. 2. ep. 32. alias lib. 12. Ind. VIII. ep. 30.

(*a*) De monaſterio S. Gregorii, aliiſque tunc temporis in Sicilia exſiſtentibus dicemus in Diſſertat. III. *De Monachiſmo Siciliæ per decem priora ſæcula.*

(*b*) In cit. Diſſert. III. agemus etiam de diſciplina illius ævi, ne monachi ad ſæcularem vitam & ſtatum remearent.

(*c*) Is erat rector patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia, de quo pauca diximus in notis ad Dipl. LX. majora autem exponemus in Diſſert. VI. in fine hujus Voluminis poſita.

(*d*) Hunc ad defenſoris munus iterum evexit S. Gregorius anno ſecundæ Ind. 598. & 599. ut conſtat ex Dipl. CLVI. Ceterum de officio defenſorum, eorumque numero in Sicilia agemus in Diſſertat. VI. Cap. *de Defenſoribus Eccleſiæ*.

Judæi multi in Sicilia.

& fundum reſtituat. Quia autem multi Judæorum (*a*) in maſſis (*b*) eccleſiæ commanent, volo ut ſi qui ex eis Chriſtiani voluerint fieri, aliquantum eis penſi relaxetur (*c*): quatenus iſto beneficio provocati (*d*), tali deſiderio & alii aſſurgant.

Vaccæ (*e*) autem, quæ jam ſunt ætate ſteriles, vel boves maſculi, qui omnino inutiles eſſe videntur, vendi debent: ut ſaltem eorum pretium ad aliquam utilitatem creſcat. Greges vero equarum, quas valde inutiliter habemus, omnes volo diſtrahi, & tantummodo quadringentas juniores ſervari ad fœtum, ex quibus quadringentis ſingulis conductoribus ſingulæ condonari debent: quatenus ex ipſis annis ſingulis aliquid reddant; quia durum eſt valde ut ſexaginta ſolidos paſtoribus expendamus, & ſexaginta denarios ex eisdem gregibus non habeamus. Ita ergo experientia tua faciat, ut alia per conductores omnes, ſicut diximus, partiantur: alia diſtrahe, & in nummum redige. Paſtores vero ipſos per poſſeſſiones ordina, ut ex cultura terræ ferre aliquid utilitatis poſſint. Æramenta vero omnia quæ vel in Syracuſis, vel in Panormo, juris eccleſiaſtici eſſe poſſunt, diſtrahenda ſunt priuſquam ipſa vetuſtate funditus pereant.

Veniente autem fratre Cyriaco ſervo Dei (*f*) Romam, de illo ſubtiliter requiſivi ſi cum tua conſcientia fuerit de accipiendo præmio in cauſſa mulieris cujuſdam locutus. Quod idem frater ita ſe dicit, te referente, cognoviſſe: quia ex te immiſſus eſt, ut quis eſſet ad conferendum præmium immiſſor probaret. Quod ego credidi, moxque eum in gratiam familiariter recepi, coram populo & clero eum perduxi, presbyterium ei auxi (*g*), in loco ſuperiori inter defenſores poſui, collaudans coram omnibus fidem ejus: quia ita ſe in obſequio tuo fideliter geſſerit, quem iccirco ad te celeriter retranſmiſi. Quia vero multum feſtinas, & ego quamvis ægrotus videre te deſidero; quem ipſe in omnibus probatum habes, loco tuo in Syracuſana parte (*h*) derelinque, & ipſe ad me venire feſtina: ut ſi omnipotenti Deo placuerit, communi conſilio pertractemus, utrum ipſe

---

(*a*) In Sicilia hoc ævo Judæos numero plures revera exſtitiſſe ex hiſce verbis plane liquet.

(*b*) De maſſis eccleſiæ Romanæ in Sicilia dicemus in Diſſert. v. ad calcem hujus Voluminis edenda.

(*c*) Uſque ad quam ſummam minuendi eſſent canones Judæorum ad Chriſti fidem venientium, ſingillatim exponit ipſemet S. Gregorius Cypriano diacono ſcribens, hic Dipl. CXIII.

(*d*) Cave intelligas eos hic ad baptiſma invitari, qui videntur minus fideliter venire; ut ex propoſito oſtendemus infra, Diſſert. IV. *De antiqua Diſciplina Eccleſiæ Siculæ in conferendo Sacramento Baptiſmi.*

(*e*) Vel ex hoc tantum loco facile cognoſci poteſt quam ingens fuerit patrimonium S. Petri in Sicilia. Conſule cit. Diſſert. v.

(*f*) De eo in Diſſert. VI. Cap. *de Defenſoribus Eccleſiæ.*

(*g*) Id eſt, *novum munus clericale contuli*. Vide Monachos Benedict. hic.

(*h*) Duæ erant patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia ſtationes, Syracuſana, & Panormitana, ut hic & paſſim in aliis epiſtolis indicandis a nobis & laudandis in Diſſert. VI. Cap. *de Rectoribus Patrimonii eccleſiæ Romanæ.*

ſe illuc reverti, an alter in loco tuo illic debeat ordinari. Benenatum vero notarium (*a*) pariter tranſmiſi, ut in Panormitana parte locum ſuum in patrimonio, quo ad uſque omnipotens Deus, ordinet, quod ei placuerit, ipſe conſervet. Benenatus notarius.

Romanum de levitate ſua vehementer increpavi: quia ſicut nunc reperi, in Xenodochio quod tenuit, magis ſuis utilitatibus quam mercedibus occupatus fuit. Et ideo ſi fortaſſe tibi viſum fuerit, loco tuo ipſum relinque. Vide quemadmodum eum terrendo & admonendo præmunias, ut ſciat ſe circa ruſticos pie & ſolicite agere, & circa extraneos & urbanos ſe in omnibus mutatum, & ſtrenuum exhibere. Ego tamen hæc loquens, nullam perſonam eligo, ſed tuo hoc judicio derelinquo. In Panormitana autem parte loci ſervatorem tui me ſufficit elegiſſe. Et videre volo quod ipſe in Syracuſana parte provideris. Veniens autem, pecunias & ornamenta de Antonini parte vel ſubſtantia tecum defer. Penſiones quoque nonæ & decimæ indictionis, quas exegiſti & rationes omnes pariter deporta. Stude, ſi Deo placuerit, ut in hanc urbem ante natalem beati Cypriani (*b*) tranſeas: ne ex ſigno quod diebus iſtis mari ſemper imminet, quod abſit, aliquod periculum poſſit evenire.

Præterea cognoſcas, quia pro eo quod Pretioſum Dei ſervum, non pro gravi culpa graviter adverſatus ſum, eumque a me triſtem, amaricatumque repuli, non leviter in mea cogitatione mordear. Et ſcripſi domno epiſcopo (*c*), ut eum tranſmittere debuiſſet, ſi vellet, ſed omnino noluit. Quem contriſtare ego nec debeo nec poſſum, quia in cauſſis Dei occupatus, conſolatione fulciri debet, non amaritudine deprimi. Idem vero Pretioſus, ſicut audio, omnino contriſtatur, quod ad me non revertitur. Ego vero domnum epiſcopum, ut dixi, contriſtare non poſſum, qui eum non vult dimittere, & inter utroſque anceps maneo. Tu ergo, ſiquidem in parvo corpuſculo majorem ſapientiam habes, eamdem cauſſam ita diſpone, ut & mea voluntas fiat, & domnus epiſcopus non contriſtetur. Quem tamen ſi leviter contriſtari videris, omnino exinde nihil loquaris. Ægre tamen tuli quod domnum Euſebium excommunicavit, virum tantæ ætatis, & tantæ ægritudinis. Unde neceſſe eſt, ut eidem domno epiſcopo ſecrete dicas, quatenus in proferendis ſententiis præceps non ſit: quia cauſ-

---

(*a*) De Benenato notario & rectore patrimonii eccleſiæ Romanæ in Panormitana ſtatione fit quoque mentio in Dipl. XCIII. Ceterum de notariorum numero & officio agemus in Differt. VI. ad calcem hujus Voluminis poſita.

(*b*) Ante feſtum S. Cypriani die 14. Septembris celebrari ſolitum, Petrum in Urbem redire hortatur S. Gregorius, veritus ne periculum pateretur propter horridam illam tempeſtatem maris, quam tunc naucleri timebant, teſte Evagrio *Hiſt. Eccl.* lib. 4. cap. 16. quem laudat Guſſanvillæus in notis ad hanc epiſtolam.

(*c*) Epiſcopus iſte, de quo loquitur in hoc capite S. Gregorius, latam in Euſebium excommunicationis ſententiam non laudans, eſt Maximianus Syracuſanus, ut plane liquet ex Dipl. LXXXVIII. & LXXXIX.

cauſſæ quæ per ſententiam decidendæ ſunt, neceſſe eſt, ut prius ſtudioſa & frequentiſſima conſideratione menſurentur.

Venientibus ſcribonibus (*a*), qui ſicut audio, jam illic tyrones (*b*) colligunt, loci tui ſervatori deputa, ut parum aliquid xenii offerat: quatenus ſibi eos placabiles reddat. Sed & officio prætoris (*c*), priuſquam venias, aliquid ſecundum antiquam conſuetudinem tribue, per manus tamen illius quem dimittis, ut ei gratiam eorum concilies (*d*). Ne & nos omnino eis inhumani eſſe videamur, ea quæ danda per præceptum ſingulis quibuſque perſonis, vel monaſteriis tuæ experientiæ injunxi, loci ſervatoribus tuis præcipe, ut per omnia impleant. Hæc vero auxiliante Domino quum veneris, qualiter diſponenda ſunt, pertractabimus. Trecentos vero ſolidos (*e*) quos per te pauperibus direxi, eorum arbitrio non arbitror committendos. Illa ergo de ſingulis locis, & perſonis impleant.

Ante vero hoc tempus jam ſcripſiſſe memini, ut legata quæ ex tenore Antonini defenſoris (*f*) a nobis debentur monaſteriis, vel aliis, prout ſtatutum fuit, ſolverentur. Et quare neſcio tua experientia hoc implere tardaverit. Proinde volumus ut pro portione noſtra ex pecuniis eccleſiæ eadem legata impleas, ut quum ad me veneris, illic contra te gemitum pauperum non relinquas: cautiones vero quæ in ejuſdem Antonini ſubſtantia ſunt inventæ, pariter defer.

Cognovi autem, Romano referente, quia moriens uxor Redempti unam concham argenteam nudis verbis dixerit venundari, & libertis ſuis dari. Scutellam quoque argenteam monaſterio cuidam reliquerit: in quibus utriſque voluntatem ejus per omnia volumus impleri, ne ex rebus minimis peccata majora capiamus.

Monaſterium Prætorianum. Fratre autem Mariniano abbate (*g*) indicante cognovi, quia fabrica in Prætoriano monaſterio (*h*) nec ad medietatem quidem adhuc per-

---

(*a*) De ſcribonibus tyrones in Sicilia colligentibus ac probantibus agemus infra, in Differt. VII. Cap. *de Scribonibus*.

(*b*) Qui in Sicilia tyrones offerre debebant exponit edictum Honorii, & Theodoſii imperatorum, ſupra Dipl. XXII.

(*c*) De prætore Siciliæ aliqua ſumus dicturi in Differt. VII. Cap. *de Prætoribus*.

(*d*) Poſtquam videris S. Gregorium velle per ſuos in Sicilia rectores ex bonis eccleſiæ xenia offerri & regiis ſcribonibus, & prætori provinciæ, ut iſtorum illi gratiam ſibi conciliarent, cave dicas, male operari præſules, qui tanti magiſtri exemplum imitandum ſibi proponunt. Adde Dipl. CCVII. ubi ita S. Gregorius a litibus cum curia abhorret, ut mavult ad concordiam cum ſui incommodo venire quam cum ſpe lucri litigare: & præterea conſule Diſſertationem v. *De antiquo Patrimonio eccleſiæ Romanæ in Sicilia* n. 7.

(*e*) Quam pronus fuerit S. Gregorius ad eleemoſynas ex ſuo in Sicilia patrimonio pauperibus erogandas, plane conſtat ex his, quæ dabimus in Diſſertatione noſtra modo laudata n. 5.

(*f*) De eo ſupra Dipl. LXVI.

(*g*) Alibi, id eſt Dipl. XCIII. dicitur Marinianus abbas de Panormo.

(*h*) Quum hujus monaſterii fabrica, pontifice S. Gregorio, vix ad medietatem perducta eſſet, facile datur intelligi, ipſum idem monaſterium unum ex

perducta eſt. Ex qua re quid aliud quam fervorem tuæ experientiæ collaudemus? Sed vel nunc admonitus excitare, & quantum potes, in ejuſdem monaſterii conſtructione te exhibe. Ego nihil dari eis in expenſis dixi, non autem monaſterium de eis fabricare prohibui. Sed ita fac, ut ei quem loco tuo Panormi dimiſeris, modis omnibus injungas: quatenus expenſis, & annona eccleſiaſtica hoc idem monaſterium conſtruat, & ad me privati abbatis querela non redeat.

Præterea cognovi quod quaſdam res vel plures fundorum alieni juris eſſe cognoſcis, ſed pro quorumdam obteſtatione vel metu, hominibus ſuis reſtituere formides. Qui ſi veraciter Chriſtianus eſſes, plus Dei judicium, quam voces hominum formidares. Attende quia ego te quoque hac de re indeſinenter admoneo. Quod ſi implere neglexeris, etiam meas voces contra te in teſtimonium habebis.

Si vero de laicis Deum timentibus inveneris, ut tonſurari (*a*) debeant, & actionarii ſub rectore fieri, omnino libenter fero. Quibus neceſſe eſt ut etiam epiſtolæ transmittantur. De cauſſa vero filii Commiſſi ſcholaſtici conſuluiſti, & non ſunt legibus juſta quæ repetit: utilitatem pauperum gravare nolumus; ſed pro eo quod ſe hic fatigavit, quinquaginta ſolidos ei dare te volumus, quos tuis certum eſt rationibus imputari. In cauſſa vero Prochiſi quas expenſas de rebus eccleſiæ feciſti, aut illic de penſione redituum ejus tibi ſatisfacito; aut ſi certe ipſi reditus minime ad recompenſandum ſufficiant, hic neceſſe eſt ut a diacono hoc recipiatur. De Gelaſio autem ſubdiacono loqui aliquid non præſumas: quia ſcelus illius uſque ad finem vitæ graviſſima pœnitentia indiget.

Præterea unum nobis caballum miſerum, & quinque bonos aſinos (*b*) tranſmiſiſti. Caballum illum ſedere non poſſum, quia miſer eſt: illos autem bonos ſedere non poſſum, quia aſini ſunt. Sed petimus ut ſi nos continere diſponitis, aliquid nobis condignum deferatis. Euſebio autem abbati (*c*) dare te volumus auri ſolidos centum, quos tuis certum eſt rationibus imputari. Cognovimus autem Siſinnium, qui judex Samnii fuit, gravi inopia in Sicilia laborare, cui

ex ſex illis eſſe non potuiſſe, quæ in Sicilia ipſemet S. Gregorius, quum adhuc prætoris Urbani officio fungeretur, ex patrimonio ſuo ædificavit. Conſule Diſſert. III. Cap. III. & præterea attende ad verba quæ hic ſequuntur: *Ego nihil dari eis in expenſis dixi, non autem monaſterium de eis fabricare prohibui*.

(*a*) De tonſuratis pauca exhibet Altaſerra, majora pro more ſuo Guſſanvillæus, ex quo aliqua mutuati ſunt Monachi Benedictini, quibus valde perſuaſum eſt, laicos hic tonſurari juſſos, vere clericos effectos eſſe, ſumpto argumento ex Johanne diacono *in Vita S. Gregor.* lib. 2. cap. 15. qui negat aliquem laicorum patrimonium S. Petri, umquam procuraſſe, ſed eccleſiaſticis viris vult munus illud reſervatum fuiſſe. Conſonat Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 1. lib. 2. cap. 39. ſub n. 8. Vide infra Dipl. CLXXV. & Diſſert. VI. Cap. *de Actionariis ſeu Actoribus Eccleſiæ*.

(*b*) Ergo pontifices tenui tunc temporis ſuppellectili utebantur. Adi Baronium ad annum 593. cap. 62.

(*c*) De eo ſupra §. *Præterea cognoſcas*, & infra, Dipl. LXXXVIII. & LXXXIX.

cui volumus xx. decimatos vini, & quatuor ſolidos annuos debeas miniſtrare. Anaſtaſius autem religioſus juxta Panormitanam civitatem dicitur habitare in oratorio S. Agnæ, cui dari volumus auri ſolidos ſex. Matri autem Urbici præpoſiti (*a*) dari volumus ſolidos ſex, qui tuis rationibus imputabuntur. De Honoratæ vero ancillæ Dei cauſſa hoc mihi videtur ut omnem ſubſtantiam quæ conſtat, quia ante tempus epiſcopatus Johannis epiſcopi Laurinenſis fuit, veniens tecum deferas. Eadem vero ancilla Dei cum filio ſuo veniat, ut nos cum ea loqui, & quod Deo placitum fuerit facere debeamus. Codicem autem Heptatici (*b*) de ſubſtantia Antonini dari volumus in monaſterio prætoriano, reliquos tecum deferri.

Oratorium S. Agnæ juxta Panormum.

DIPLOMA LXXXVII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Juſtinum prætorem. Ut depoſita omni ſuſpicione, Leoni epiſcopo a falſis criminationibus pleniſſime purgato, caritatem omnem, & congruam reverentiam exhibeat.

Gregorius Juſtino prætori (*c*).

Anno x. Ind. 591. & 592.

Ex eod. lib. 2. epiſt. 33. alias 23.

HAbet hoc proprium antiqui hoſtis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetrationem, Deo ſibi reſiſtente, decipere non valet, opiniones eorum falſa ad præſens ſimulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra ſacerdotale propoſitum de Leone fratre (*d*) & coepiſcopo noſtro ſiniſter rumor aſperſerat, utrum vera eſſent diſtricta diutius fecimus inquiſitione perquiri, & nullam in eo de iis quæ dicta fuerant, culpam invenimus. Sed ne quid videretur omiſſum, aut noſtro potuiſſet dubium cordi remanere, ad beati Petri ſacratiſſimum corpus diſtricta eum ex abundanti fecimus ſacramenta (*e*) præbere. Quibus præſtitis, magna ſumus exultatione ga-

(*a*) Is alibi, id eſt Dipl. CXXXI. dicitur *Urbicus abbas monaſterii S. Hermæ, quod Panormi ſitum eſt.*

(*b*) *Codex heptatici*, eſt volumen ſeptem priores ſacræ Scripturæ libros continens.

(*c*) De eo ſupra Dipl. LXI.

(*d*) Hic Leo Catanenſis videtur epiſcopus, ad quem plures epiſtolas idem S. Gregorius dedit. Subortis enim controverſiis inter Juſtinum prætorem Siciliæ, & epiſcopos ejuſdem provinciæ, quarum meminit ipſemet S. Gregorius in cit. Dipl. LXI. vel ipſius prætoris induſtria, vel aliarum perditæ conſcientiæ virorum, tres ex iiſdem epiſcopis falſæ accuſationis injuriam apud S. Gregorium ſubierunt, nempe Leo Catanenſis, Gregorius Agrigentinus, & Victor Panormitanus, quos nulla admiſſa excuſatione ad ſe venire præcepit idem S. Gregorius, Petro ſubdiacono ſcribens, hic Dipl. LXXVII.

(*e*) S. Gregorius ad B. Petri ſacratiſſimum corpus voluit per Leonem ſacra-

gaviſi, quod hujuſcemodi experimento innocentia ejus evidenter enituit. Pro qua re gloria veſtra prædictum virum cum omni caritate ſuſcipiat, & reverentiam ei, qualem ſacerdoti docet, exhibeat: nec quædam cordibus remaneat de iis, quæ ſunt jam purgata dubietas. Sed ita ſupraſcripto vos epiſcopo devotiſſime oportet in omnibus adhærere, ut congrue decenterque Deum in ejus perſona, cujus miniſter eſt, videamini honorare.

DIPLOMA LXXXVIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum. Euſebium abbatem, quem imprudenter afflixerat, conſoletur.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*a*).

FRequenter me admonuiſſe vos recolo, ut in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus deberetis. Et nunc ecce cognovi, quia reverendiſſimum virum abbatem Euſebium commota furore veſtra fraternitas excommunicavit. Quod ego valde miratus ſum, ut non antiqua ejus converſatio, non ætas longa, non ægritudo diuturna ab ira veſtrum animum flecteret. Quilibet enim in eo fuerit exceſſus, ipſa ægritudinis afflictio ei debuit pro flagello ſufficere. Quem enim divina diſciplina conterit, ei humana flagella addi ſuperfluum fuit. Sed fortaſſe ideo excedere in tali perſona permiſſus es, ut cautior in vilioribus fias, & diu trutines, quum aliquem per ſententiam ferire diſponis. Eumdem tamen præfatum virum quanto furore exaſperaſti, tanta nunc dulcedine conſolare: quia valde injuſtum eſt, ut qui te plus amaverunt, ipſi te ſine cauſſa atrociorem contra ſe ſentiant.

Anno x. Ind. 591. & 592.

Ex eod. lib. 2. epiſt. 34. alias lib. 12. Ind. VII. ep. 26.

cramenta præſtari. Mediolanis Ambroſii tempore ad ſanctorum corpora jurare mos erat. Et Auguſtinus ad S. Felicem Nolanum pro adhibendis juramentis mittebat. Conſule Guſſanvillæum, & Monachos Benedict. in hunc locum, & Baronium ad ann. 592. cap. 23.

(*a*) S. Gregorius prolatam a Maximiano in Euſebium excommunicationis ſententiam reprobat. Conſonat Dipl. LXXXVI. §. *Præterea cognoſcas*, & alterum quod mox afferam. Optabat enim ſanctus pontifex, ut epiſcopi tardi eſſent & circumſpecti, quum ageretur de excommunicatione infligenda, quam raram volebat, moderatam, & numquam ob leviores cauſſas, aut ex animi commotione, vel ad ulciſcendas privatas injurias prolatam: Immo ne ad ſententiam hujuſmodi deveniret, ipſi Maximiano ſufficere poterat, inquit, vel Euſebii ætas longa, vel gravis ægritudo, vel antiqua ejus cum epiſcopo converſatio. Et quia poſt hæc Bonifacium Victor epiſcopus Panormitanus abſque prævia ac ſufficiente cognitione excommunicare auſit, ipſemet S. Gregorius Mariniano abbati, & Benenato notario cauſſam examinandam commiſit, cum clauſula, ut ſi epiſcopus inventus fuerit reus, ſacra ipſe privetur communione, atque in monaſterium retrudatur. Dipl. XCIII.

DIPLOMA LXXXIX.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Euſebium abbatem. Ipſum de ſuperbia arguit, quod redditum a Maximiano epiſcopo gratiam, & communionem reſpueret. Eidem erogat ſolidos centum.

Gregorius Euſebio abbati (*a*).

Anno x. Ind. 591. & 592. Ex eod. lib. 2. epiſt. 36. alias 24.

CRedat mihi caritas tua, quia valde contriſtatus ſum de triſtitia tua, ac ſi in te injuriam ipſe pertuliſſem. Sed quum poſtmodum agnovi, quia etiam reddente reverendiſſimo viro fratre & coepiſcopo noſtro Maximiano gratiam atque communionem tua dilectio ab eo communicari nolebat, cognovi & illud prius juſtum fuiſſe, quod factum eſt. Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere. Qui vero ſe contra præpoſitos ſuos erigunt, profecto oſtenditur quia ſervi Dei eſſe contemnunt. Et quidem ab illo hoc quod factum eſt, minime fieri debuit, a te tamen cum omni debuit humilitate ſuſcipi: & rurſum quum gratiam reddebat, ad eum cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita a te factum non eſt, ad hoc cognoſco quia nobis omnino lacrymarum opus eſt. Non enim grande eſt iis nos eſſe humiles, a quibus honoramur: ſed quia & hoc ſæculares quilibet faciunt; ſed illis maxime humiles eſſe
Pſalm. 9. debemus, a quibus aliqua patimur. Nam Pſalmiſta dicit: *Vide humilitatem meam de inimicis meis.* Nos cujus vitæ ſumus, qui humiles eſſe etiam patribus nolumus? Proinde, dilectiſſime fili, rogo ut omnis amaritudo de corde tuo tranſeat, ne fortaſſe finis vicinus ſit, & antiquus hoſtis per iniquitatem diſcordiæ, viam regni cæleſtis intercludat. Præterea (*b*) centum ſolidos per Petrum ſubdiaconum dilectioni tuæ dari fecimus, quos peto, ut abſque injuria ſui ſuſcipiat.

DI-

(*a*) Confer hoc cum ſuperiori Dipl. & ulterius conſule, qui ea indicat & laudat Johannes Mabillonius *Annal. Bened.* tom. 1. lib. 8. cap. 32. & 33.

(*b*) Hunc locum exſcripſit Johannes diaconus *in Vita S. Greg.* lib. 2. cap. 55. Et conſonat Dipl. LXXXVI. §. *Præterea unum*, Ibi: *Euſebio autem abbati dare te volumus auri ſolidos centum, quos tuis, certum eſt, rationibus imputari.*

DIPLOMA XC.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Lucillum epiſcopum: Ut clericos ſuos terrarum Africanæ eccleſiæ quas tenebant, penſionem abſque mora cogat perſolvere.

Gregorius Lucillo epiſcopo de Melita (*a*).

OFficii noſtri decet valde propoſitum ſubjectis magnopere ſuadere, ut rebus debeant ſervare fidem in placitis: ne dum inconſiderate lucrandi rapiuntur ſtudio, pacificam vertant conventionem in jurgium. Pervenit itaque ad nos fraternitatis tuæ clericos, terras Africanæ (*b*) tenentes eccleſiæ, quod penſionem earumdem poſſeſſionum dare contemnant. Quod ſi verum eſt, & ad fraternitatis tuæ hæc ſunt perlata notitiam, tua in hoc deſidia eorum culpa nutrita eſt. Ob quam rem ſcriptis te præſentibus admonemus: quatenus ad perſolvendam penſionem nulla mora, nullaque excuſatione eoſdem clericos uti permittas. Sed ſi fidem, honeſtatis contemplatione ſervare poſtponunt, tua diſtrictione compulſi, quæ rationi conveniunt cogantur implere. Nam ſi hujus rei ad nos denuo querela recurrerit, & de te aliam æſtimationem habere incipiemus, & in illos, ut dignum eſt, vindicabimus.

Anno x. Ind. 591. & 592.

Ex eod. lib. 2. epiſt. 44. alias 30.

(*a*) Lucillus iſte, quod muneris ſui immemor, graviſſimis ſe adſtrinxerit ſceleribus, una cum ſacerdotibus atque diaconis criminum ſociis, gradu ſuo inde fuit dejectus, hic Dipl. CLXXVI. Lucillo ſucceſſit Trajanus, cui oblatas eccleſiæ res ab ipſo Lucillo ejuſque filio Petro, juſſit reſtitui S. Gregorius Romano defenſori ſuo in Sicilia ſcribens, infra Dipl. CLXXXII.

(*b*) De Melitenſibus hiſce clericis Africanæ eccleſiæ prædia colentibus varii varia divinando opinantur, quibus quum nihil certi contineant nolumus chartam noſtram inutiliter onerare.

DIPLOMA XCI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Johannem abbatem. Bonifacii in præpoſitum ordinationem probat. S. Johannis tunicam petit. In cauſſa cum Floriano vult aliquid cedi, ut ad compoſitionem perducatur. Abbatem arguit, quod tum ipſe tum fratres ſacram lectionem & orationem negligant. Illum hortatur ad ſolicitiorem de fratrum animabus, de hoſpitibus, ac de pauperibus curam.

Gregorius Johanni abbati (*a*).

Anno XI. Ind. 592. & 593.
Ex eod. lib. 3. Ind. XI. epiſt. 3. alias lib. 2. Ind. XI. ep. 3.

PEtiit dilectio tua ut frater Bonifacius in monaſterio tuo a te debeat ordinari præpoſitus (*b*): quod ego valde miratus ſum, quare ante factum non eſt. Nam ex quo illum tibi dari feci, jam eum ordinare debuiſti.

De tunica (*c*) vero S. Johannis omnino grate ſuſcepi, quia ſolicitus fuiſti mihi indicare. Sed ſtudeat dilectio tua mihi ipſam tunicam, aut quod melius eſt, eumdem epiſcopum, qui eam habet, cum clericis ſuis, & cum ipſa ad me tranſmittere: quatenus & benedictione tunicæ perfruamur, & de eodem epiſcopo vel clericis mercedem habere valeamus. Cauſſam vero, quæ cum Floriano vertitur, incidere volui, & jam ei vel octoginta ſolidos mutuos dedi. Quos illæ, credo, diſponit ſibi pro monaſterii debito recompenſari, & omnino volo eamdem cauſſam decidi: quia Stephanus chartularius (*d*) dicitur imminere, ut eam prædictus Florianus in publicum transferat, & grave nobis eſt cum publico (*e*) litigare. Unde neceſſe eſt nobis aliquid cedere, ut poſſimus eamdem cauſſam ad compoſitionem perducere. Quod dum factum fuerit, dilectioni tuæ, Deo auxiliante, nuntiabimus.

De fratrum vero animabus omnino eſto ſolicitus. Sufficiat jam quod opinio monaſterii per veſtram negligentiam inquinata eſt. Non fre-

(*a*) De eo egimus in notis ad Dipl. LXXIV.

(*b*) Ex regula S. Benedicti Cap. 65. *de præpoſito monaſterii* melius addiſces, quo munere præpoſitus fungeretur, quam ex nota Guſſanvillæi, qui afferit ejus officium fuiſſe *ſervare pecuniam, & negotia procurare*, ut advertunt hic Monachi Benedictini.

(*c*) Quod revera tunica hæc Romam tunc translata fuerit, narrat Johannes Diac. *in Vita S. Gregor.* lib. 3. cap. 57. & ſeqq. qui etiam eſt auctor, hujuſmodi tunicam in baſilica Conſtantiniana ſub altari S. Johannis repoſitam ad ſua uſque tempora pluribus coruſcaſſe miraculis.

(*d*) De Stephano chartulario, ac chartulariorum officio agemus in Differt. VII. Cap. *de Chartulariis*.

(*e*) A litibus cum publico vehementer abhorret S. Gregorius, ut hic & infra Dipl. CCVII. Conſule admonitiones noſtras ad Dipl. LXXXVI. pag. 134.

frequenter foras egrediaris (*a*). In cauſſis iſtis procuratorem (*b*) inſtitue, & tu ad lectionem atque orationem vaca.

De hoſpitalitate eſto ſolicitus; quantum potes pauperibus largire; ita tamen ut ſerves, quod Floriano reſtitui debeat.

In ipſis autem fratribus monaſterii tui, quos video, non invenio eos ad lectionem vacare. Unde conſiderare neceſſe eſt quantum peccatum eſt, ut ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam tranſmiſerit, & vos mandata Dei diſcere negligatis.

De ſex vero unciis domus, ſi authenticam chartulam non videmus, aut exemplaria, nil poſſumus facere. Sed Florentino Dei famulo præceptum tranſmiſi, ut ſi ei veritas conſtiterit, eaſdem ſex uncias vobis reſtituat. Quibus reſtitutis, reliquas ſex uncias, aut in emphyteoſim damus, aut reditus commutamus.

DIPLOMA XCII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Maximianum epiſcopum. Agrigentini epiſcopi accuſatores, & ad ejus cauſſam ſpectantia documenta Romam mittat.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*c*).

PRidem quidem fraternitati veſtræ ſcripſeram, ut eos qui adverſus Gregorium epiſcopum Agrigentinæ (*d*) civitatis aliqua dixerant, ad Romanam civitatem tranſmittere deberetis (*e*). Quod & nunc ut inſtantius fieri debeat præſentibus adhortamur epiſtolis. Unde perſonas ipſas ceteraque documenta, id eſt, geſta, & petitiones, quæ data ſunt, feſtinate cum celeritate tranſmittere. Nec moram aliquam excuſationem, quæ perquiri penitus permittimus: quatenus eis in Romanam, ſicut diximus, civitatem ſub celeritate tranſmiſſis, ſciamus, quid auxiliante Domino, de perſona ſalubrius ejus diſponere debeamus.

Anno xi. Ind. 592. & 593.

Ex eod. lib. 2. Ind. xi. ep. 12. alias lib. 2. Ind. xi. ep. 12.

DI-

(*a*) Ex his verbis Dupinus *Bibl. Eccl.* tom. 4. pag. 277. & 279. prohibitum fuiſſe putat abbatibus ac monachis foras progredi, non ſecus ac hodie monialibus; verum S. Gregorius non omnes omnino egreſſus in publicum, ſed frequentes tantummodo vituperat, & quidem argumentum Dupini vel ex ſola regula S. Benedicti ſuſtineri utique non poteſt.

(*b*) Confer cum Dipl. LXXIV.

(*c*) De eo aliqua præfati ſumus in notis ad Dipl. LXXXI.

(*d*) Ejus notitiam exhibuimus ſupra in monitis ad Dipl. LXXVII.

(*e*) Etſi Maximianus ſuper omnes Siciliæ eccleſias vices Romani pontificis obtinuerat, at non poterat tamen de majoribus cauſſis, cujus generis erat epiſcoporum depoſitio, judicare, ut patet ex Dipl. LXXXI. Quod fuit in cauſſa quamobrem Agrigentinum epiſcopum jam accuſatum S. Gregorius Romam vocaret, ejuſque accuſatores ad ſe mitti præciperet; & interim dum ejus cauſſa Romæ examinaretur, Agrigentinæ eccleſiæ viſitationem & curam Petro epiſcopo Tricalitano committeret, ex Dipl. CXIV.

DIPLOMA XCIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii PP. ad Marinianum, & Benenatum. Ut in Victorem epiſcopum inquirant; qui, ſi inventus fuerit reus, ſacra privetur communione, atque in monaſterium retrudatur.

Gregorius Mariniano abbati de Panormo (*a*), & Benenato notario rectori patrimonii Panormi (*b*).

Anno xi. Ind. 592. & 593.

Ex cod. lib. 3. Ind. xi. ep. 27. alias lib. 2. Ind. xi. ep. 27.

SI ea de quibus vehementer Deus offenditur, inſequi, vel ulciſci differimus, ad iraſcendum utique divinitatis patientiam provocamus. Multa etenim ad nos mala de quibuſdam in Panormitana civitate degentibus pervenerunt, quæ quoniam majorem coercitionem expectant, nec temere credenda, nec deſidioſe quærenda ſunt. Pro qua re Victori fratri & coepiſcopo noſtro injunximus, ut, ſi vera eſſent, & ea inſequi debuiſſet & ulciſci. Nunc itaque huc veniens Bonifacius vir clariſſimus præſentium lator, fruſtra ſe & communione privatum, & alia ſe gravia a prædicto epiſcopo queritur fuiſſe perpeſſum. Quia ergo nullus ſine cognitione damnandus eſt, eidem fratri & coepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut ſi perſona quæ de ipſo quædam dicere poſſit, inventa fuerit, eam ad veſtram debeat cognitionem dirigere. Ideoque hujus præcepti vos pagina neceſſario duximus adhortandos, quatenus nullius perſonam attendentes, ſed Dei timorem habentes præ oculis, ibi cum omni æquitate, ſi qua vobis de eo dicta fuerint, memores futuri judicii, ſubtili debeatis indagatione perquirere. Et ſi in veſtra cognitione cujuſquam eum facinoroſi criminis reum eſſe patuerit, tunc ex noſtra auctoritate non ſolum Dominici corporis, & ſanguinis communione privatus ſit (*c*), verum etiam in monaſterium, ubi pœnitentiam agere debeat, retrudatur: ut criminis ſui maculas convenienti valeat apud æternum Judicem lamentatione purgare. Si vero aut nihil adverſus eum in cognitione veſtra dictum fuerit; aut ſi quid dici contigerit, & verum non eſſe conſtiterit, nec aliquibus illum judiciis in hoc quod dicitur incidiſſe, potueritis agnoſcere, modis omnibus renuntiare nobis curabitis. Prædictum enim Bonifacium nullam a quolibet volumus mo-

le-

(*a*) De eo ſupra Dipl. LXXI. & infra Dipl. CCXXXI.

(*b*) Is regendo patrimonio S. Petri in Sicilia præpoſitus fuit, quum Petrus ſubdiaconus omiſſa hujuſmodi adminiſtratione Romam rediit. Vide Dipl. LXXXVI. §. *Veniente autem*.

(*c*) Quod Victor epiſcopus non fuerit communione privatus, nec in monaſterio ad pœnitentiam deputatus, ſed in epiſcopatus ſui adminiſtratione relictus, diſcimus ex epiſtolis ipſi poſthac ſcriptis. Vide in indice epiſtolarum.

leſtiam ſuſtinere : quoniam ſicut juſtum eſt ut in delinquentes digna debeat vindicta procedere ; ita iniquum eſt quibuſdam afflictionibus quemquam irrationabiliter ſubjacere.

DIPLOMA XCIV.

Epiſtola præfati S. Gregorii magni ad Secundinum Tauromenitanum epiſcopum. Ei Homilias in Evangelia emendatas mittit.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Secundino epiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei (*a*).

INter ſacra miſſarum ſollemnia, ex his quæ diebus certis in hac eccleſia legi ex more ſolent, ſancti Evangelii quadraginta lectiones expoſui. Et quarumdam quidem dictata expoſitio, aſſiſtenti plebi eſt per notarium recitata : quarumdam vero explanationem coram populo ipſe locutus ſum : atque ita ut loquebar, excepta eſt. Sed quidam fratres, ſacri verbi ſtudio ferventes, antequam ad propoſitum modum ea quæ dixeram ſubtili emendatione perducerem, transſtulerunt. Quos recte ego quaſi quibuſdam famelicis ſimiles dixerim : qui prius eſcas edere appetunt, quam plenius excoquantur. Hoc vero ubi ſcriptum eſt : *Ductus eſt Jeſus in deſertum a ſpiritu, ut tentaretur a diabolo* : prius quidem quaſi ſub quadam ambiguitate expoſui : ſed eamdem dubietatem poſtmodum certa notatione correxi. Eaſdem quoque homilias eo quo dictæ ſunt ordine, in duobus codicibus ponere curavi : ut & priores viginti quæ dictatæ ſunt, & poſteriores totidem, quæ ſub oculis dictæ in ſingulis eſſent diſtinctæ corporibus. Quod vero quædam antepoſitæ ſunt, quæ in Evangelio poſt leguntur : quædam vero poſtpoſitæ, quæ ante per Evangeliſtam ſcriptæ ſunt, inveniuntur : nequaquam movere tuam fraternitatem debet : quia ſicut a me diverſis temporibus dictatæ ſunt, ita quoque ſunt ab exceptoribus in codicibus affixæ. Tua itaque fraternitas, ſacris ſemper lectionibus (*b*) intenta, ſi prædictum locum Evangelii invenerit ſub du-

Anno XI. Ind. 592. & 593.

Idem S. Greg. lib. hom. in Evãg. in princip.

Matth. 4.

(*a*) Aliqua de eo dedimus ſupra in notis ad Dipl. LXXVIII. Sane Secundinus unus ex iis erat, qui S. Gregorii homilias in Evangelia non adhuc ſubtili emendatione correctas ſibi comparaverant: unde fuit opus, ut novum illi exemplar S. Gregorius mitteret, vetus emendandi gratia. Vide Baronium ad annum 592. cap. 30. Franciſcum Pagium *Brev. Rom. Pontif.* in S. Gregorio I. Natal. Alexandr. *Hiſt. Eccl.* ſæcul. 6. cap. 4. art. 16. n. 3. Haſce homilias anno Chriſti 592. abſolutas eſſe ex propoſito probat Baronius loco cit. & cap. 34. quare ſub indictione XI. epiſtolam hanc ponamus oportet.

(*b*) Etſi tunc temporis adeo pauci eſſent in Sicilia, quos ſacra lectio delectaret, ut ipſemet S. Gregorius, hic Dipl. CXLIV. defleverit ſtudentium raritatem; at Secundinus a communi negligentia abhorrens, *ſacris ſemper lectionibus* ſerio intendebat.

dubietate prolatum ; vel eaſdem homilias repererit ita ut prædixi, non eſſe diſpoſitas , has inemendatas remanſiſſe cognoſcat : & juxta eas quas per præſentem portitorem mittere ſtudui , corrigat : nulloque modo illas ſine emendatione remanere permittat . Editæ autem in ſcrinio ſanctæ eccleſiæ noſtræ retinentur , ut ſi qui forte a tua fraternitate longe ſunt, hic inveniant, unde in his quæ emendatæ ſunt, certiores fiant.

DIPLOMA XCV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pontif. Max. ad Libertinum præfectum. Ut Naſam Judæum ſeductorem puniat, necnon Chriſtiana mancipia ab illo comparata liberet.

Gregorius Libertino præfecto Siciliæ (*a*).

Anno xi. *Ind.* 592. & 593. S. Greg. lib. 3. Ind. xi. epiſt. 38. alias lib. 2. Ind. xi. ep. 37.

AB ipſo adminiſtrationis exordio , Deus vos in cauſſæ ſuæ voluit vindictam procedere , & hanc vobis mercedem propitius cum laude ſervavit. Fertur ſiquidem quod Naſas quidam ſceleratiſſimus judæorum (*b*) , ſub nomine beati Eliæ (*c*) altare punienda temeritate conſtruxerit , multoſque illic Chriſtianorum ad adorandum ſacrilega ſe-

(*a*) Libertino non unum in omnibus exemplaribus dignitatis nomen indicitur. In tribus M. SS. Codd. illud prætoris defertur ; in duobus illud expætoris ; in octo & amplius codicibus illud præfecti. Ex tribus his lectionibus poſtremam veluti locupletiori teſtimonio confirmatam ſequendam ſibi delegerunt Monachi Benedictini. Verum nos gravitatem potius, quam numeroſitatem teſtium reveriti, vocem prætoris reliquis veriorem eſſe putamus, ſumpto argumento , tum ex contextu epiſtolæ, in qua Libertinus eodem munere fungi dicitur , quo antea Juſtinus, quem Siciliæ prætorem fuiſſe, liquet ex inſcriptione Dipl. LXI. tum etiam ex eodem S. Gregorio, qui in Dipl. CXVIII. inquit : *Virum autem glorioſum domnum Libertinum prætorem.* Epiſtolas alias eidem Libertino inſcripſit S. Gregorius, hic CLIX. & CXCII. quæ quod datæ fuerint poſt quam is præturam geſſerat hanc portant epigraphem : *Libertino expætori*. Is collata ſibi dignitate vehementer abuſus eſt, quare illa privatus , libertatis jacturam ignominioſe ſubiit. Conſule Dipl. CXCIX.

(*b*) Judæos numero plures tunc temporis in Sicilia fuiſſe multis ejuſdem S. Gregorii teſtimoniis comprobari facile poteſt.

(*c*) Cultum & honorem prophetæ Eliæ jam inde ab antiquis temporibus exhibere conſuevit eccleſia, ut refert continuator Johannis Bollandi Guilielmus Cuperus die 20. Julii *de S. Elia* §. 1. 2. & 3. quare non cultum B. Eliæ improbare videtur S. Gregorius, ſed malas artes Judæi, quod ſcilicet *multos illic Chriſtianorum ad adorandum ſacrilega ſeductione deceperit*. Niſi mavis dicere , ideo S. Eliæ venerationem hic damnari , quod nondum apud Latinos, quidquid ſit de Græcis, obtinuerat ut ſancti antiquæ legis in honore haberentur ; ut ſatis clare colligitur ex S. Bernardo epiſt. 98. novæ editionis.

ſeductione deceperit ; ſed & Chriſtiana , ut dicitur, mancipia comparavit , & ſuis ea obſequiis ac utilitatibus deputavit . Dum igitur ſeveriſſime in eum pro tantis facinoribus debuiſſet ulciſci , glorioſus Juſtinus (*a*) medicamento avaritiæ, ut nobis ſcriptum eſt, delinitus, Dei diſtulit injuriam vindicare . Gloria autem veſtra hæc omnia diſtricta examinatione perquirat : & ſi hujuſmodi manifeſtum eſſe repererit, ita diſtrictiſſime ac corporaliter in eumdem ſceleratum feſtinet vindicare Judæum; quatenus hac ex cauſſa & gratiam ſibi Dei noſtri conciliet , & his ſe poſteris pro ſua mercede imitandum monſtret exemplis . Mancipia autem Chriſtiana (*b*), quæcumque eum comparaſſe , ad libertatem juxta legum præcepta ſine ambiguitate perducite ; ne, quod abſit , Chriſtiana religio Judæis ſubdita polluatur . Ita ergo omnia diſtrictiſſime ſub omni feſtinatione corrigite , ut non ſolum pro hac vobis diſciplina gratias referamus , ſed & teſtimonium de bonitate veſtra, ubi neceſſe fuerit præbeamus.

DIPLOMA XCVI.

Epiſtola præfati S. Gregorii PP. ad Theodorum epiſcopum Lilybœtanum . Poſt amicam ſalutationem , eum hortatur ad explednum officium : in primis ne ullos niſi provectiores ætate , & mundos opere ordinet ; ne ſit in ordinatione venalitas . Maximiani epiſcopi utatur conſilio . Tandem peracta ſynodo , ſe de ejus concordia certiorem faciat .

Gregorius Theodoro epiſcopo Lilybœtano (*c*).

FRaternitatis tuæ grata nobis omnino ſolicitudo eſt: quia ea quæ de ſacerdotum vita cognoſcit , & preſcrutari curat, & inveſtigata renunciat . Ut ergo in hac ſolicitudine quam in te laudamus , poſſis ſine diminutione perſiſtere , ſtudioſus eſto ac vigilans : & ſi quos

Eod. anno

Ex cit. lib. 3. Ind. XI. epiſt. 50. alias lib. 2. Ind. XI. ep. 49.

(*a*) De eo ſupra in notis ad Dipl. LXI.

(*b*) Ab aureis jam Conſtantini magni temporibus lege cautum fuerat, ne Chriſtiani ſervirent Judæis, referente Euſebio *in Vita Conſtant.* lib. 4. cap. 27. quod aliorum inde Imperatorum ſanctionibus confirmatum fuit, quas quod Naſa Judæus deſpectas habuerit , Libertino prætori ſcripſit S. Gregorius , eum adhortans , ut perductis ad libertatem Chriſtianis, Judæum diſtrictiſſime ac corporaliter puniret: *Ne* (ut ait) *Chriſtiana religio Judæis ſubdita polluatur* . Eadem habet lib. 1. epiſt. 10. lib. 4. epiſt. 21. lib. 7. epiſt. 24. lib. 9. epiſt. 109. & 110. Et nominatim de Judæis in Sicilia exſiſtentibus lib. 8. epiſt. 21. hic Dipl. CXLVI. Super hoc argumenti genus de Judæis Chriſtiana mancipia retinere non valentibus, legem quoque tulit Fridericus II. rex Siciliæ , quam habemus inter ejus Capitula ſub n. 65. Aliam item condidit rex Martinus ſub die 12. Maji anni 1393. ex Arch. Protonot.

(*c*) Is non diu poſt hæc tempora in epiſcopatu vixit, ut plane liquet ex Dipl. CXVII. CXXIV. & CXCI.

quos illic a quibuslibet, quod abſit, exceſſus perpetrari cognoveris, ſiquidem tales ſunt qui emendari ibidem poſſint, rationabiliter emendentur; alioquin fratri noſtro Maximiano (*a*) epiſcopo ſcriptis renunciare feſtina, ut quid fiendum ſit a vobis informatus agnoſcat. Nulla igitur res ab inveſtigatione pravorum actuum, vel inſinuatione te revocet. Nam quanto vigilantiam tuam modo laudamus, tanto culpabilior invenieris, ſi hujuſmodi actus qualibet diſſimulatione celaveris.

Paulum (*b*) præterea quondam epiſcopum in monaſterio in quo eſt, in pœnitentia volumus permanere. Res autem quæ apud eum inventæ ſunt, in cimiliarchio (*c*) eccleſiæ tuæ ſervare modis omnibus ſtudebis. De quibus etiam ſecundum rerum inventarum paginam deſuſceptum (*d*) te facere volumus, & in ſcrinium eccleſiæ tuæ tranſmittere. Sed & clericis ejus, ſi tamen illic aliqui præſentes ſint, a pari aliud facere deſuſceptum te convenit, in quo tua fraternitas fateatur, quia deſuſceptum de eiſdem rebus in ſcrinio noſtro emiſerit: quatenus dum neceſſe fuerit, competenti perſonæ res omnes poſſint ſine detrimento reſtitui.

De Bonifacio vero quædam gravis ad nos accuſatio pervenit, cujus ſcelera volumus utrum vera ſint, ut fraternitas tua cum loci ſervatore (*e*) prætoris examinet.

DI-

(*a*) Theodoro præcepit S. Gregorius, ut de his quæ corrigi oportebat, conſuleret Maximianum, ſcilicet epiſcopum Syracuſanum, utpote qui vices Romani pontificis in tota Sicilia gereret, ex Dipl. LXXXI. Sed idem Theodorus immatura morte præventus, ea inemendata reliquit; quod fuit in cauſſa quamobrem illius eccleſiæ ſtatum Decio, qui Theodoro ſucceſſit, S. Gregorius poſtea reformandum commiſerit ex Dipl. CXXIV.

(*b*) Paulus in Lilybœtano monaſterio ad pœnitentiam deputatus cujus eccleſiæ epiſcopus fuerit, omnino non conſtat.

(*c*) Id eſt, theſauro ubi cimelia, ſive vaſa ornamenta & prætioſiora quæque eccleſiæ adſervari ſolebant. Conſule Pyrrhum *in Notit. Eccl. Lilybœt.* & Guſſanvillæum in notis ad hanc epiſtolam.

(*d*) Scilicet, deſcriptum vel exemplum.

(*e*) Loci-Servator idem eſt ac vicarius: unde ſupra Dipl. LXXXVI. idem S. Gregorius agens de Benenato notario in locum Petri ſubdiaconi patrimonium eccleſiæ in Panormitana ſtatione procurando, inquit; *In Panormitana parte loci ſervatorem tui me ſufficit elegiſſe*. Unde vel ex hac tantum epiſtola datur intelligi, Lilybœum non prætoris, ſed vice-prætoris ſedem fuiſſe.

DIPLOMA XCVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Maximianum epiſcopum. De miraculis Patrum in Italia factis ſcribere cogitans, Maximianum rogat ut ea quorum meminit, indicet.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*a*).

FRatres mei qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de miraculis patrum, quæ in Italia facta audivimus, ſub brevitate ſcribere. Ad quam rem ſolatio veſtræ caritatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognoviſſe vos contigit, mihi breviter indicetis. De domno enim Nonnoſo abbate qui juxta domnum Anaſtaſium de Pentomis fuit, aliqua retuliſſe te memini, quæ oblivioni mandavi. Et hoc igitur & ſi qua ſunt alia, tuis peto epiſtolis imprimi, & mihi ſub celeritate tranſmitti, ſi tamen ad me ipſe non properas.

Anno XI. Ind. 592. & 593.

Ex eod. lib. 3. Ind. XI. ep. 51. alias lib. 2. Ind. XI. ep. 50.

DIPLOMA XCVIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Maximianum. Agathonis epiſcopi in quem diſtricte fuit vindicatum ſuſtentationi providet.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*b*).

POſtquam in Agathonem quondam epiſcopum, juxta qualitatem exceſſuum diſtrictione eſt canonica vindicatum, neceſſe eſt humanitatis intuitu, quemadmodum ſuſtentari poſſit, diſponere. Propterea fraternitas tua ad Liparitanam eccleſiam, in qua ſupradictus Agatho ſacerdotis geſſit officium, feſtinet dirigere, eique ad præſens exinde quinquaginta ſolidos, qui in ejus poſſint proficere victum tranſmittat. Nam nimis eſt impium, ſi alimoniorum neceſſitati poſt vindictam ſubjaceat.

Eod. anno

Ex cit. lib. 3. Ind. XI. epiſt. 55. alias lib. 2. Ind. XI. ep. 53.

(*a*) De Maximiano aliqua præfati ſumus in monitis ad Dipl. LXXXI. Ad eum veluti virum ſatis ſibi antea cognitum ſcribit S. Gregorius; cui illum revera fuiſſe nimia neceſſitudine conjunctum, refert Johannes diaconus *in Vita S. Greg.* lib. I. cap. 33.

(*b*) Alibi, id eſt Dipl. LXXXII. Maximiano S. Gregorius ſcripſerat, ut Liparitanæ eccleſiæ ob crimina indigni præſulis paſtore privatæ Paulinum præficeret; nunc ipſi Maximiano præcipit, quatenus ſuſtentationi ejuſdem lapſi epiſcopi provideret; quemadmodum antea fecerat in favorem Marcelli epiſcopi Barunitani, in Panormitano monaſterio S. Adriani in pœnitentiam deputati, ex Dipl. LXIV.

DIPLOMA XCIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Cyprianum diaconum. Si non habet Coſmas unde ſolvat, cum illius creditoribus paciſcatur: atque ejuſdem filios, pactam ſummam perſolvens, liberet.

Gregorius Cypriano diacono (*a*).

Anno 593. menſe Aug.

Ex eod. lib. 3. Ind. XI. ep. 58. alias lib. 2. Ind. XI. ep. 56.

COſmas (*b*) ex variis periculorum neceſſitatibus, multis ſe dicit debitis obligatum, ita ut pro eis a creditoribus ſuis ſuos dicat filios detineri. Quæ res ſi ita eſt, nos omnino commovit. Quamobrem hortamur dilectionem tuam, ut quia de rebus pauperum dandis agitur, cauſſam ejus cum ſumma ſubtilitate perquiras, & ſi inveneris eum prædictis debitis veraciter involutum, ut non ſit ſubſtantia unde poſſit hæc ipſa perſolvere, prædictos creditores ejus adeas, & propter recolligendos filios ejus, quanta cognoveris quantitate componas. Et quia, ſicut dictum eſt, hic non habet unde reſtituat, de rebus pauperum ex præſenti noſtra auctoritate perſolve; ſciens quidquid illic te prævidente datum fuerit, patrimonii noſtri penſionibus eſſe reputandum. Menſe Auguſto, indictione XI.

DI-

(*a*) Is infra, Dipl. CIII. & CXXIV. appellatur *Rector Siciliæ*, & Dipl. CXIII. *Rector patrimonii Siciliæ*, & Dipl. CXXXIX. *Rector per Siciliam*. Ejus in Siciliam expeditionem idem S. Gregorius memorat ulterius in Dipl. CI. reditum vero in Urbem indicat in Dipl. CXLIV. CXLV. Ceterum Cypriano duo rectores alii ſuffecti ſunt, Johannes Syracuſanus epiſcopus, & Fantinus defenſor: alter pro Syracuſana ſtatione, alter pro Panormitana: qui inde totidem ſucceſſores habuere, nempe Johannes Syracuſarum partium rector Adrianum chartularium; Fantinus Panormitani patrimonii adminiſtrator Savinum ſubdiaconum. Conſule Diſſert. VI. Cap. I.

(*b*) Eumdem eſſe putamus de quo infra Dipl. CXI.

DIPLOMA C.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Secundinum epiſcopum Tauromenitanum. Baptiſterium de monaſterio auferatur, ut monachis liceat opus Dei ſecurius celebrare.

Gregorius Secundino epiſcopo Tauromenitano (*a*).

PRidem præcepimus, ut de monaſterio S. Andreæ (*b*), quod eſt, *Anno xi. Ind.*
ſuper Maſcalas (*c*), baptiſterium propter monachorum (*d*) inſo- *592. & 593.*
lentias debuiſſet auferri, atque in eodem loco quo fontes ſunt, al- Ex eod. lib. 3.
tare fundari. Cujus rei perfectio hactenus eſt protracta. Admonemus Ind. xi. ep. 59.
igitur fraternitatem tuam, ut nullam jam moram poſt ſuſceptas præ- alias lib. 2.
ſen- Ind. xi. ep. 57.

(*a*) De eo aliqua præfati ſumus in monitis ad Dipl. LXXVIII.

(*b*) Hocce monaſterium idem eſſe videtur ac illud, ubi Theophanes Cerameus archiepiſcopus Tauromenitanus, urgente die feſto S. Andreæ, homiliam habuit ad populum, quæ inter editas eſt 50. ut ſumpto argumento ex proœmio ejuſdem homiliæ, ſerio demonſtrat ejuſdem Ceramei interpres, & commentator Franciſcus Scorſus proœm. 1. §. 3. Cui veroſimile videtur ſuper rudera antiqui hujus monaſterii erectam eſſe eccleſiam *S. Andreæ apud Maſcalas*, quam Johannes dux, cognomento *dives*, Ludovico Siciliæ rege, ædificavit, ut refert Fazellus *de Reb. Sicul.* decad. 2. lib. 9. cap. 5.

(*c*) Civitas eſt ad radices Ætnæ ſita, & a Tauromenio octo paſſuum millibus diſtans, ubi olim celebris urbs Ætna fuiſſe dicitur. Hoſtium direptionem & incendium ſemel atque iterum ſubiit, primum anno 1297. tum anno 1348. circiter, ut refert Michael de Platia teſtis antiquus & coevus in ſua M. S. *Hiſt. Sicil.* par. 1. cap. 36. & poſt eum Fazellus cit. lib. 9. cap. 3. & 5. Idem oppidum uſque ad annum 1296. ſub dictione regia ſtetiſſe, putat Scorſus ſuperius laudatus: immo uſque ad annum 1348. ita permanſiſſe, cenſet Fazellus cit. cap. 5. Sed ex bulla Alexandri III. Dat. Beneventi VII. Cal. Auguſti anni 1168. plane conſtat longe antea, id eſt principibus Nortmannis in Sicilia dominantibus, *villam Maſcalarum cum omnibus pertinentiis ſuis* ad Catanenſem epiſcopum ſpectaſſe, quemadmodum noſtra hac ætate ſpectare, non dubium eſt. De temporali dominio civitatis hactenus; de ſpirituali juriſdictione aliquid nunc dicamus. Maſcalis priſcis temporibus, ut conſtat ex hoc loco, & ex cit. homil. Theophanis Tauromenitanæ diœceſis erat: inde anno 1082. cum ipſa Tauromenio Troinenſi eccleſiæ ex diplomate comitis Rogerii ejuſdem anni ſubjecta remanſit: tandem Troinenſi cathedra ex bulla Eugenii III. anni 1151. Meſſanam translata, in poteſtatem archiepiſcopi Meſſanenſis venit, cui etiam & nunc ſubjicitur.

(*d*) Verba iſta, ut monachorum dignitati minus noceant interpretantur, Mabillonius *Annal. Bened.* tom. 1. lib. 8. cap. 36. & Martene *Antiq. Eccl. Rit.* lib. 1. cap. 1. art. 2. n. 16. Eapropter baptiſterium ab hoc monaſterio ablatum volunt, non quod ejuſmodi privilegium conſtruendi fontes baptiſmales monachorum eccleſiæ non habuerint; ſed quod iſtius monaſterii monachi inſolenter ſe geſſerant. Attamen interpretatio hæc toti antiquitati adverſatur, quæ valde abhorruit, ut monachi parochalia munera exercerent, & adminiſtrandis ſacramentis non ſecus ac clerici inten-

ſentes litteras noſtras inſerere debeas; ſed repleto loco (*a*) ipſorum fontium, altare ad ſacra celebranda myſteria illic ſine aliqua dilatione fundetur; quatenus & prædictis monachis opus Dei ſecurius liceat celebrare, & non de negligentia veſtra contra fraternitatem tuam noſter animus excitetur.

DIPLOMA CI.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii ad Italicam Patriciam: In ipſis pauperum cauſſis, ne litigiis immiſceatur, ſilentium eligit. Cypriano poteſtatem facit, ut cum Italica, ſi id ipſa velit, ſalvo pauperum jure, cauſſam abſque lite finiat.

Gregorius Italicæ Patriciæ (*b*).

Anno XI. *Ind.* 592. & 593. Ex eod. lib. 3. Ind. XI. ep. 60. alias lib. 2. Ind. XI. ep. 58.

SUſcepimus plenas dulcedine litteras veſtras atque incolumitatis excellentiæ veſtræ nos lætificavit auditus. Circa quas tanta eſt noſtræ mentis ſinceritas, ut nihil in earum tranquillitate ſimultatis reconditum, paternus nos ſuſpicari permittat affectus. Sed omnipotens Deus faciat, ut ſicut de vobis nos bona ſentimus, ita mens veſtra nobis bona reſpondeat, & dulcedinem, quam verbis impenditis, exhibeatis operibus. Nihil enim prodeſt gloriosiſſima ſanitas, & pulcritudo in ſuperficie corporis, ſi vulnus latet intrinſecus. Atque illa magis cavenda eſt diſcordia, cui ſatellitium pax præbet exterior. Illud vero quod in epiſtolis prædictis revocare in memoriam noſtram excellentia veſtra ſtudioſe contendit, ſciat ſcriptum vobis, nihil cum ſcandalo, nihil cum forali ſtrepitu vobiſcum nos velle de cauſſis pauperum definire. Hoc nos & ſcripſiſſe meminimus; & ſcimus noſmetipſos, juvante Domino, a cauſſarum litigiis eccleſiaſtica moderatione compeſcere, atque ſecundum apoſtolicum illum ſenſum rapinam

intenderent. Unde S. Hieronymus ad *Heliod. de Vita eremit.* inquit: *Alia monachorum eſt cauſſa, alia clericorum. Clerici paſcunt oves, ego paſcor: illi de altario vivunt, mihi quaſi arbori infructuoſæ ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero*. Conſule Differt. III. ad calcem hujus Voluminis poſitam.

(*a*) Locum ubi fons erat, repleri jubet S. Gregorius, quia fontes baptiſmales, non ut hodie ſupra pavimentum, ſed intra terram conſtructi erant. Vide Differt. IV. Cap. II.

(*b*) Hæc ipſa eadem Italica eſſe videtur, ac illa quæ Venantii exmonachi uxor fuit, ut patet ex altera epiſtola, hic 181. inſcripta *Venantio & Italicæ jugalibus*. Conſule quæ expoſuimus in notis ad Dipl. LXV. Interim hic obſerva patriciatus dignitatem feminis quoque tributam fuiſſe. Conſonat Dipl. CCLXXIII.

nam bonorum noſtrorum cum gaudio ſuſtinere. Sed illud ſcire vos credimus, taciturnitatem atque patientiam noſtram futuris poſt me pontificibus in rebus pauperum præjudicium non facturam. Unde & nos explentes ſupra memoratam promiſſionem noſtram, jam de cauſſis ipſis prævidimus reticendum; nec in his in quibus minus agi benigne ſentimus, deſideramus nos per nos metipſos immiſcere negotiis. Sed ne forte ex his conjiciatis, Glorioſa filia, ea quæ ad concordiam pertinent, adhuc nos omnino renuere; filio noſtro Cypriano diacono *(a)*, venienti ad Siciliæ partes indiximus, ut ſi quid de his ſalubriter, & ſine peccato animæ veſtræ ordinare diſponitis, ex noſtra auctoritate vobiſcum definiat, & nos non amplius illis vexemur negotiis, quorum cum manſuetudine eſt diſpenſatus effectus. Deus autem omnipotens, qui ea quæ omnino impoſſibilia ſunt, ad poſſibilitatem bene novit inflectere, ille vobis aſpiret, & cauſſas veſtras cum pacis intentione diſponere, & pro mercede animæ veſtræ de rebus eis competentibus hujus eccleſiæ conſulere pauperibus.

DIPLOMA CII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pontif. Max. ad Eutychium epiſcopum Tyndaritanum. Ut in convertendis idolorum cultoribus perſeveret, hortatur. Ipſi prætoris poſtulat patrocinium.

Gregorius Eutychio epiſcopo Tyndaritano *(b)*.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 3. Ind. xi. ep. 67. alias lib. 2. Ind. xi. ep. 60.

SCripta fraternitatis tuæ, Benenato eccleſiæ tuæ clerico deferente, ſuſcepi; gratiaſque omnipotenti Deo retuli, quod in cauſſis animæ & iis quæ ad Deum pertinent, te occupatum eſſe cognovimus. Scripſiſti ſiquidem nobis quoſdam idolorum cultores, atque An-

---

(a) Hunc S. Gregorius in Siciliam miſit regendi gratia patrimonium S. Petri, ut oſtendimus ſupra in monitis ad Dipl. xcix.

(b) Antiquam Tyndaris urbem in ſeptemtrionali Siciliæ latere, quod mari Tyrrheno ſive infero alluitur, Pactas inter & Mylas poſitam, ac ex Cicerone, Diodoro Siculo, Strabone, Plinio, Syllio, Ptolomæo, Appiano Alex. aliiſque ultimæ antiquitatis ſcriptoribus ſatis cognitam, dignitatem olim epiſcopalem obtinuiſſe, præter hanc epiſtolam, & alteram ſub n. CLXXVIII. exſcriptam, plane confirmant Acta ſynodi Romanæ anni 501. & concilii Lateranenſis anni 649. quibus interfuerunt, ac ſe ſubſcripſerunt, Severinus, & Theodorus hujus eccleſiæ epiſcopi. Et quamvis incompertum ſit quando cathedra hæc inceperit, & quot annis duraverit, at in diſpoſitione tamen Leonis Sapientis circa annum 886. confecta, hic Dipl. CCXCI. & in indicolo metropolitanorum a Nilo Doxopatrio juſſu Rogerii regis edito, inter antiſtites Syracuſano metropolitæ ſubjectos, Tyndaritanus recenſetur. Quod argumento eſt, non illos tres ſolummodo epiſco-

Angellii. Angelliorum (*a*) dogmatis in iis, in quibus conſtitutus es partibus inveniri, de quibus plures aſſeruiſti eſſe converſos, aliquos autem potentum nomine atque locorum ſe qualitate defendere. Auxiliantes
Prætor Siciliæ. igitur bonis tuæ caritatis operibus, viro glorioſo prætori (*b*) Siciliæ noſtra ſcripta tranſmiſimus; quatenus, juvante Domino, qua poteſt tibi virtute concurrat, ut quod laudabiliter cœptum eſt, valeat ſalubriter adimpleri. Oportet ergo fraternitatem tuam, maximam in hoc ſolicitudinem gerere. Vere enim epiſcopalem vitam ſequeris, ſi per zelum linguamque tuam, hos qui a fidei veritate diſſentiunt, in Eccleſiæ unitatem reduxeris.

DIPLOMA CIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Cyprianum diaconum & rectorem Siciliæ. Petronillæ converſæ & Agnelli ejus corruptoris facinus diſcutiat, & puniat, atque ablata monaſterio curet reſtitui.

Gregorius Cypriano diacono & rectori Siciliæ (*c*).

An.xii.Ind. 593.& 594.

S. Greg. lib.4. Ind.xii. ep. 6. alias lib.3.Ind. xii.ep.6.

PErlatum eſt ad nos, Petronillam nomine de provincia Lucania genitam, per exhortationem Agnelli epiſcopi fuiſſe converſam, reſque ſuas omnes, quas habere potuit, licet ſibi jure potuiſſent competere, tamen eidem monaſterio, quod ingreſſa eſt, etiam ſpecialiter donationis titulo contuliſſe: morientemque prædictum epiſcopum dimidiam partem ſubſtantiæ ſuæ Agnello cuidam filio ſuo, qui notarius noſtræ eſſe fertur eccleſiæ, atque dimidiam eidem monaſterio reliquiſſe. Sed quum propter irruentem Italiæ cladem, Siciliam (*d*) re-

---

ſcopos, Severinum, Eutychium, & Theodorum a Pyrrho *in Notit. Eccl. Tyndar.* exhibitos, illi eccleſiæ præfuiſſe, ſed alios numero plures, quorum nomina delevit antiquitas, uno excepto Eutychii ſucceſſore, cui Benenatus nomen fuit, ut diſcimus ex cit. Dipl. CLXXVIII. Vide ibi.

(*a*) Eos Monachi Benedictini fuiſſe putant Sabellianiſtas, qui apud Nicephorum *Hiſt. Eccl.* lib. 18. cap. 49. Angelitæ appellati ſunt, *a quodam Alexandriæ loco Angelii nomen habente: in quo ſcilicet qui primos apud eos ferunt conventus cogebant.* Alii veteri lectione offenſi, quæ loco *Angelliorum*, habebat *Angelorum*, hæreticos illos hic intelligunt, qui adorandis Angelis pluſculum quam par erat, intendebant, quique commemorantur a S. Auguſtino hæreſ. 39. S. Epiphanio hæreſ. 60. & ab aliis patribus quos indicat & laudat Baronius ad annum 60. Sed vereor, ne utraque interpretatio a mente S. Gregorii aliena ſit, qui eos *idolorum cultores* alioquin vocans, paganos potius, quam hæreticos indicare videtur.

(*b*) Tunc temporis præturam Siciliæ Libertinus tenebat, ut patet ex Dipl. XCV. & CXVIII.

(*c*) De eo egimus in notis ad Dipl. XCIX.

(*d*) Quæ ad illuſtrandum hunc locum neceſſaria videbantur expendimus jam in monitis ad Dipl. LXVII. pag. 108. & 109.

refugiſſent, dicitur eam ſæpe nominatus Agnellus corruptis ejus moribus ſtupraſſe, atque ſentiens gravidam de monaſterio ſeduxiſſe, reſque ejus omnes tam proprias, quam eas, quas de parte patris ipſius habere poterat, abſtuliſſe, ac poſt perpetratum tale, tantumque facinus, in ſui eas dominii jure defendere. Hortamur igitur dilectionem tuam, ut prædictum virum vel ante factam feminam ſub diſtricta ad te facias executione perduci, cauſſamque ipſam ſecundum ſui meritum ſumma ſubtilitatis examinatione perquiras. Et ſi ita inveneris, ut nobis nuntiatum eſt, negotium tot iniquitatibus inquinatum, cum ſummæ purgationis ſeveritate determina, quatenus & antefato viro, qui nec ſuum, nec illius attendit habitum, & tantorum cauſſa fuit ſcelerum, ultio diſtricta proveniat: & illa prius procedente vindicta, atque in monaſterium ſub pœnitentia redacta, omnes res, quæ de ſæpe dicto loco oblatæ fuerant, cum omnibus illis ſuis fructibus atque acceſſionibus revertantur.

DIPLOMA CIV.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum. Etiam novorum redituum quartæ partes juxta canonicam diſtributionem diſpenſandæ. Presbyter aliuſve clericus abbas non fiat, niſi relicta eccleſiæ cui miniſtrabat cura. Defuncto epiſcopo, eccleſiæ res diligenter, at gratis, deſcribendæ. Viſitatoribus & eorum clericis tribuendum ſtipendium; virgo nondum ſexagenaria non fiat abbatiſſa.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano.

OLim (*a*) quidem fraternitati tuæ noſtra fuerat auctoritate commiſſum, ut ſi qua in Siciliæ excederentur eccleſia ceteriſque venerabilibus locis vel incongrue gererentur, noſtra vice corrigeres. Sed quia poſt hæc de quibus neglectis hactenus capitulis ad nos querela pervenit, rurſus ad eorum correctionem tuam fraternitatem ſpecialiter excitandam. *Anno 593. menſe Oct.* Ex eod. lib. 4. Ind. xii. ep. 11. alias lib. 3. Ind. xii. ep. 11.

Cognovimus namque de reditibus eccleſiarum noviter acquiſitis, canonicam diſpoſitionem quartarum (*b*) minime provenire: ſed epiſcopos locorum tantummodo diſtribuere quartam antiquorum redituum: nunc vero quæſita ſuis uſibus retinere. Quamobrem pravam

(*a*) Hic alludere videtur ad Dipl. LXXXI.
(*b*) De partitione bonorum eccleſiæ in quatuor partes egimus ſupra in monitis ad Dipl. XXXII.

ſubintroductamque conſuetudinem fraternitas tua vivaciter emendare feſtinet : ut ſive de præteritis reditibus , ſive de iis quæ nunc obvenerunt , vel obvenerint , quartæ ſecundum diſtributionem canonicam diſpenſentur . Incongruum namque eſt unam eamdemque eccleſiæ ſubſtantiam duplici quodammodo jure cenſeri , id eſt uſurpationis & canonum .

Presbyteros (*a*) , diaconos , ceteroſque cujuslibet ordinis clericos , qui eccleſiis militant , abbates per monaſteria eſſe non permittas, ſed aut omiſſa clericatus militia , monachicis provehantur ordinibus : aut ſi in abbatis loco permanere decreverint , clericatus nullatenus permittantur habere militiam . Satis enim incongruum eſt , ſi quum unum ex his pro ſui magnitudine diligenter quis non poſſit explere , ad utrumque judicetur idoneus : ſicque invicem eccleſiaſticus ordo vitæ monachicæ , & eccleſiaſticis utilitatibus regula monachatus impediat . Illud (*b*) quoque caritatem tuam commonere curavimus , ut ſi quiſpiam epiſcoporum de hac luce migraverit , vel quod abſit , pro ſuis fuerit remotus exceſſibus , convenientibus hierarchicis cunctiſque cleri prioribus , atque in ſui præſentia inventarium eccleſiæ rerum facientibus , omnia quæ reperta fuerint , ſubtiliter deſcribantur ; nec , ſicut antea fieri dicebatur , ſpecies quædam , aut aliud quodlibet de rebus eccleſiæ , quaſi pro faciendi inventarii labore , tollatur . Sic namque ea quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent , deſideramus expleri , ut nulla penitus in rebus eorum ambitioſis hominibus venalitatis relinquatur occaſio .

Viſitatores (*c*) eccleſiarum , clericique eorum , qui cum ipſis per non ſuæ civitatis parochias fatigantur , aliquod laboris ſui capiant , te diſponente , ſubſidium . Juſtum namque eſt ut illic conſequantur ſtipendium , quo pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium .

Juvenculas (*d*) abbatiſſas fieri vehementiſſime prohibemus . Nullum igitur epiſcopum fraternitas tua , niſi ſexagenariam virginem , cujus

(*a*) Senſus epiſtolæ eſt , ne presbyter , diaconus , aut clericus , ſæculari eccleſiæ addictus , abbatis titulum , & monaſterii curam adipiſcatur , ut advertunt , Monachi Benedictini hic , atque *in Vita S. Greg.* Johannes Mabillonius *Annal. Bened.* tom. 1. lib. 8. cap. 48. Thomaſinus *de Vet. ac Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. 3. cap. 10. n. 12. & Natal. Alex. *Hiſt. Eccl.* tom. 5. ſæcul. 6. cap. 2. art. 13. n. 11.

(*b*) Spectabile eſt hoc decretum de cuſtodia bonorum eccleſiarum vacantium ; non dum enim obſervantia ſpolii obtinuerat . Conſule Thomaſinum modo laudatum par. 3. lib. 2. cap. 53. n. 7.

(*c*) De ſubſidio debito epiſcopis diœceſes viſitantibus agunt duæ Pelagii II. epiſtolæ , hic Dipl. LVIII. & LIX.

(*d*) Duo decreta in hoc capite contineri , inquit Mabillonius tom. 1. *Annal. Bened.* lib. 8. cap. 47. alterum ut Juvenculæ abbatiſſæ non fiant ; alterum ne ſanctimoniales minores ſexaginta annis velentur . Sed ut accuratius obſervant hic Monachi Benedictini , non duo ſed unum decretum in hoc capite continetur : non ergo mens fuit S. Gregorii , ut virgo non veletur niſi ſexagenaria , ſed ut abbatiſſa eligatur ex his , quæ ſexaginta annos noſcuntur habere . Paria ſentit Thomaſinus par. 1. lib. 3. cap. 53.

jus ætas hoc atque mores exegerint, velare permittat: quatenus tam prioribus, quam præſenti capitulo tuæ diſtrictionis inſtantia Domino adjuvante correctis, & diu diſſolutum rerum venerabilium ſtatum canonicis nexibus religare feſtines, & divina negotia non per incongruas voluntates hominum, ſed competenti poſſint diſtrictione diſponi. Menſe Octobri, indictione XII.

DIPLOMA CV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Maximianum, Puniendum facinus, quo ablata eſt cujuſdam uxor, & alteri venundata.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*a*).

TAnta nobis ſubinde mala, quæ aguntur in iſta provincia (*b*), nuntiantur; ut peccatis facientibus, quod avertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus. Præſentium namque portitor veniens lacrymabiliter queſtus eſt, ante plurimos annos ab homi- ne

Eod. anno.

Ex cit. lib. 4. Ind. XII. ep. 12. alias lib. 3. Ind. XII. ep. 12.

53. n. 8. Ex jure noviſſimo Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 7. ut ſanctimonialis abbatiſſa fiat, ſufficit ætas quadraginta annorum, dummodo in laude honeſtæ vitæ octo poſt emiſſam profeſſionem vixerit annis, quæ interſtitiorum lex olim uſui non erat, ut dicemus infra in obſervationibus ad Dipl. CCX.

(*a*) De eo aliqua præfati ſumus in notis ad Dipl. LXXXI.

(*b*) De Siciliæ ſtatu jure quidem ac merito conqueritur S. Gregorius, utpote qui ſciret nullum ibi eſſe hominum genus, quod in viam perditionis non declinaret. Non epiſcopi juſtitiam colebant, non ſacerdotes, non clerici, non abbates, non monachi, non ſanctimoniales, non defenſores eccleſiæ, non prætor provinciæ, non populus. Sane epiſcoporum tres, Agrigentinus, Catanenſis, & Panormitanus moleſtam apud ipſum S. Gregorium accuſationem ſubierant, Dipl. LXXVII. duo, Melitenſis & Liparitanus ob patrata ſcelera depoſitionis pœnam ſuſtinuerant, Dipl. XCVIII. & CLXXVI. reliqui omnes ſtrenue cum prætore provinciæ liticabant, Dipl. LXI. Sacerdotes vaſa ſacra, reſque eccleſiarum non cuſtodiebant, Dipl. CVII. Clerici maleficiis operam dabant, Dipl. CXVIII. Ex abbatibus unus excommunicatus ſuperbe communionem reſpuebat, Dipl. LXXXIX. alter ſuam ac fratrum ſalutem negligebat, Dipl. XCI. tertius monaſticum ſtatum luxari ſinens præpoſitura privatur, Dipl. CXII. Monachi ſtatus ſui deſertores uxores accipiebant, Dipl. LXV. LXXXV. CLXXXVIII. & CLXXXIX. Sanctimoniales inverecunde viros ad ſe accedere permittebant, Dipl. CIII. & Dipl. CXII. Defenſores Romanæ eccleſiæ publice violentias inferebant, Dipl. LXVI. LXIX. Provinciæ prætor Juſtinus avaritiæ morbo laborans, Judæorum ſcelera ulciſci ſinebat, Dipl. XCV. Et qui ei ſucceſſit Libertinus adeo indigne officio ſuo functus eſt, ut dignitate privatus ſervorum inſtar flagellis ceſſus ſit. Dipl. CXCIX. Demum ex populo frater in fratrem invehens, uxorem marito auferebat, & alteri venundabat, ut hic. Unde non immerito provinciam hanc tot tantiſque ſceleribus ſordentem, hic perituram prædicit S. Gregorius. Et quidem

ne neſcio quo de poſſeſſione Meſſanenſis (*a*) eccleſiæ de fontibus ſe ſuſceptum, & violenter diverſis perſuaſionibus puellæ ipſius junctum, ex qua juvenculos filios jam habere ſe aſſeruit, & quam nunc violenter huic disjunctam abſtuliſſe dicitur, atque cuidam alii venundediſſe. Quod ſi verum eſt, quam ſit inauditum, atque crudele malum tua dilectio perſpicit. Ideo admonemus ut hoc tantum nefas ſub ea vivacitate, quam te in cauſſis piis habere certiſſime ſcimus, requiras, atque diſcutias. Et ſi ita ut ſupradictus portitor inſinuavit, eſſe cognoveris, non ſolum quod male factum eſt, ad ſtatum priſtinum revocare curabis: ſed & vindictam, quæ Deum poſſit placare, exhibere modis omnibus feſtinabis. Epiſcopum vero, qui homines ſuos talia agentes corrigere negligit, atque emendare, vehementer aggredere; proponens quia ſi denuo talis ad nos de quoquam, qui ad eum pertinent, querela pervenerit, non in eum qui exceſſerit, ſed in ipſum canonice vindicta procedet.

DIPLOMA CVI.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad eumdem Maximianum. Ut Felicem diaconum in ſua eccleſia ſuſcipiat.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano.

An.xii.Ind. 593 & 594. Ex eod. lib.4. Ind.xii.ep.14. alias lib.3.Ind. xii.ep.14.

PRæſentium lator Felix diaconus (*b*), quum nullatenus in hæreticorum dogma lapſus ſit, nec a Catholica fide diſceſſerit, pravis illectus adverſus Conſtantinopolitanam ſynodum ſuſpicionibus, in Iſtricorum (*c*) ſe ſeparatione removerat. Qui quum Romam veniſſet, recepta a nobis, juvante Domino, ratione, exceſſum ſuum, recepta Dominici corporis communione, correxit. Quia ergo, ut dictum eſt, non in hæreſim incidit; ſed a ſacris generalis eccleſiæ myſteriis, quaſi recte ſtudio tentationis erravit, imbecillitati ejus, atque neceſſita-

dem prophetiam effectu non caruiſſe ex Dipl. ccxxviii. aſſeverat Johannes Diaconus *in Vit.S.Greg.* lib.4.cap.54.

(*a*) Meſſanenſis epiſcopus, quem hic de negligentia arguit S. Gregorius, erat Felix, de quo aliqua prælibavimus in monitis ad Dipl. lxvii.

(*b*) Felicem Diac. in Conſtantinopolitanam ſydonum II. generalem V. peccantem, inde pœnitentem, non hæreticum, ſed ſchiſmaticum vocat S. Gregorius; ita etiam infra Dipl. cxxix. appellat Johannem quemdam religioſum: & Dipl. clxxx. perſonas alias eodem crimine infectas. Nam quum in ea non actum fuerit de fide, ſed de perſonis, qui adverſus eam ſentierunt non hæretici, ſed ſchiſmatici dicti fuerunt, iis exceptis, qui per pertinaciam ſchiſma in hæreſim converterunt. Baronius ad annum 593. cap.42. Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. 1. cap. 63. n. 1.

(*c*) Epiſcoporum ſcilicet Iſtriæ, qui ſchiſmatis fuerunt auctores primarii. Natal. Alexand. *Hiſt. Eccl.* ſæc. 6. cap. 3. art. 1. §. 3.

ſitatibus (*a*) conſulentes, maximeque ſuſtentationi ejus, pietatis intuitu providentes, in tua eccleſia Syracuſana eum prævidimus cardinandum: ſive ut officium diaconatus expleat, ſeu certe ut ſola ejuſdem officii pro ſuſtentanda paupertate ſua commoda conſequatur, in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere judicio; quod hortamur ut tua fraternitas implere feſtinet. Commendantes etiam perſonam ejus, quatenus nullis eum patiaris moleſtiis, aut neceſſitatibus ſubjacere: ne vel noſtræ commendationis inveniaris tramitem neglexiſſe, vel minus exhibuiſſe quam tuus exigit ordo pauperibus; quia & nos ei annuum quid de noſtra eccleſia dari fecimus, ut ejuſdem operis, quod te hortamur exhibere, participes eſſe poſſemus.

DIPLOMA CVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii PP. ad Cyprianum diaconum. Diſperſa, quæ in Siciliam detulerant Itali ſacerdotes, eccleſiarum vaſa colligantur, ac ſumma cautione ſerventur.

Gregorius Cypriano diacono rectori Siciliæ (*b*).

PErvenit ad nos diverſos Italiæ ſacerdotes (*c*) Siciliam confugientes, plurima ſecum eccleſiarum ſuarum miniſteria (*d*) detuliſſe, eaque ſive defunctis eis, ſive male diſpergentibus (*e*), prope omnia deperiiſſe. Qua in re moti hortamur dilectionem tuam quatenus tranſmittens per omnia Siciliæ loca, ſicubi vaſa ſacra, reſque eccleſiarum poſitas incaute repereris, eas cum ſumma diſtrictione recolligi facias, atque adunatas, ſub notitia, atque deſuſcepto apud ſingularum eccleſiarum epiſcopos deponas, apud quos uſque dum pacis tempus expopoſcerit, juvante Domino, debeant tutiſſime conſervari. Omnium autem rerum ipſarum non ſolum deſuſceptum, eos, qui eas tradunt percipere volumus, ſed etiam a te notitias earum ſubtiliter retineri; ut dum neceſſe fuerit, ex hac cautela, juvante Domino, poſſint ab iis quibus traduntur ſine imminutione reſtitui. Menſe Novembri, indictione XII.

Anno 593. menſe Nov.

Ex eod. lib. 4. Ind. XII. ep. 16. alias lib. 3. Ind. XII. ep. 16.

DI-

(*a*) Epiſcopalis muneris erat clericos pauperes alere, vel beneficium eccleſiæ ei tribuendo, vel penſionem quæ ad victum ſufficeret, aſſignando. Conſule Thomaſinum cit. lib. I. cap. 41. n. 9.

(*b*) De eo ſupra in monitis ad Dipl. XCIX.

(*c*) Quanam occaſione ii in Siciliam confugerint, expoſuimus ſupra in notis ad Dipl. LXVII. pag. 108. & 109.

(*d*) Id eſt, ſacram ſuppellectilem, ut ex propoſito probant hic Monachi Benedictini.

(*e*) Conſule quæ dedimus in admonitione ad Dipl. CV.

DIPLOMA CVIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Leonem epiſcopum Catanenſem. Ne ſubdiaconi cum ſuis uxoribus miſceantur. Specioſi ſubdiaconi uxor, in monaſterium ob ſecundas nuptias detruſa, dimittatur.

Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſi (*a*).

An.XII.Ind. 593. & 594. Ex eod.lib.4. Ind.XII.ep.36. alias lib.3.Ind. XII.ep.34.

MUltorum relatione comperimus hanc apud vos olim conſuetudinem tenuiſſe, ut ſubdiaconi (*b*) ſuis licite miſcerentur conjugibus. Quod ne denuo quiſquam præſumeret, a Servo-Dei Sedis noſtræ diacono (*c*), ex auctoritate noſtri deceſſoris, eſt iſto modo prohibitum: ut eodem tempore hi qui jam uxoribus fuerant copulati, unum ex duobus eligerent: id eſt, aut a ſuis uxoribus abſtinerent, aut certe nulla ratione miniſtrare præſumerent. Et quantum dicitur. Specioſus (*d*) tunc ſubdiaconus pro hac re ab adminiſtrationis ſe ſuſpendit officio, & uſque in obitus ſui tempus notarii quidem geſſit officium, & a miniſterio, quod ſubdiaconum oportuerat exhibere, ceſſavit. Poſt cujus obitum, quia relicta (*e*) ejus Honorata marito (*f*) eſt ſociata, a tua eam fraternitate in monaſterio cognovimus eſſe deputatam. Ideoque ſi, ut fertur, ejus ſe maritus ab adminiſtratione ſuſpendit, antedictæ mulieri non debet officere, quod ad ſecundam conjugii copulationem migravit: præſertim ſi non tali mente ſubdiacono juncta eſt, ut a carnis voluptatibus abſtineret. Si ergo ita ſe veritatem, quemadmodum edocti ſumus, habere cognoſcis; prædictam te mulierem de monaſterio per omnia convenit relaxare, ut ad ſuum maritum ſine aliqua poſſit formidine remeare.

De cetero vero fraternitas tua ſit omnino ſolicita, ut quos ad hoc jam officium contigerit promoveri, hoc quam maxime diligenter inſpiciat ne ſi uxores habent, miſcendi ſe cum eis licentia potiantur; ſed ad ſimilitudinem Sedis apoſtolicæ eos cuncta obſervare, ſua nihilominus diſtrictione conſtituat.

DI-

(*a*) Aliqua de eo expoſuimus ſupra in obſervationibus ad Dipl. LXXXVII.

(*b*) Confer cum Dipl. LXIX. §. *Ante triennium*.

(*c*) De eo in cit. Dipl. LXIX. §. *Ante omnia*, & infra Dipl. CCXLIII. & CCLIV.

(*d*) De Specioſo ſubdiacono qui libentius muneri ſuo, quam uxori, renunciavit, opportunius redibit ſermo in Diſſert. VI. Cap. *de Notariis Eccleſiæ*.

(*e*) Id eſt, vidua, infra Dipl. CCLXV.

(*f*) Clericorum viduæ iterum nubere non poterant, conſonat cit. Dipl. CCLXV.

DIPLOMA CIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum. Euplo patris & matris bona reddi jubet.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano (*a*).

EUplus præſentium portitor Euſanium (*b*) Agrigentinæ civitatis epiſcopum, ſuum fuiſſe memorat genitorem, matriſque ſuæ res apud eum plurimas indicat manſiſſe. Quem quoniam inteſtatum (*c*) aſſerit eſſe defunctum: ideo & res maternas ſibi petit debere reſtitui, & antedicti epiſcopi patris ſui ſe permitti ſubſtantiam adipiſci. Qua de re fraternitati tuæ hujus præcepti ſerie deputamus, quatenus diligenter curet addiſcere; & ſi quid apud prædictam eccleſiam de rebus matris ipſius inveniri potuerit, ſiquidem nihil eſt quod antedicto Euplo rationabiliter poſſit obſiſtere, ei ſecundum ſuam faciat portionem reſtitui. Proinde & rebus paternis quas ante epiſcopatum dignoſcitur habuiſſe, ſi eas in jus eccleſiæ ſuæ quolibet modo non tranſtulit, ei quantum portioni ejus legaliter ſcit competere, ut ſatisfieri poſſit, immineat. Nam omnino, & contra rationem & contra noſtrum probatur eſſe propoſitum, ſi cui ea, quæ juſte competunt, reſtitui, ac ſatisfieri denegemus. Ita ergo hæc fraternitas tua implere feſtinet, ut ſupraſcripto portitori ad nos denuo ex hac re nulla remeandi neceſſitas imponatur. Nam quod beatæ recordationis deceſſor noſter præceptum direxerat, ut lapſo eo, omnes res ejus eccleſiæ remanerent, hoc ideo eum credimus præcepiſſe, ne per eas adhuc amplius deperiret: nunc vero æquum eſſe penſamus, ut filium patris culpa non ingravet; ſed fraternitatis tuæ diſpenſatione, quidquid ei legaliter poteſt competere, conſequatur.

Eod. anno.

Ex cit. lib 4. Ind. XII. epiſt. 37. alias lib. 3. Ind. XII. ep. 36.

DI-

(*a*) De Maximiano opportunius egimus ſupra in monitis ad Dipl. LXXXI.

(*b*) Is decreto Pelagii papæ II. ob patrata ſcelera, cathedra ſua depoſitus, ut hic, Gregorium habuit ſucceſſorem. De quo aliqua dedimus in notis ad Dipl. LXXVII. pag. 123.

(*c*) Alibi, id eſt Epiſt. 38. lib. 12. hæc ipſemet S. Gregorius ſcripſit de teſtamentis epiſcoporum: *Nulli dubium eſt, quia ſicut ſacerdotibus res in epiſcopatu acquiſitas nulla eſt alienandi licentia; ita de his quas ante habuerint quidquid judicare voluerint, non vetantur*. Et quidem potuiſſe epiſcopos, illæſis eccleſiæ rebus, teſtamentum condere, ulterius diſcimus ex Dipl. CXVII. & CXCIV.

DIPLOMA CX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Maximianum epiſcopum. Quoſdam e Bacaudæ epiſcopi clero, ad ſacros ordines in Sicilia promotos, ad ipſum illos repetentem tranſmittat.

Gregorius Maximiano epiſcopo Syracuſano.

An. xii. Ind. 593. & 594. Ex eod. lib. 4. Ind. xii. ep. 44. alias lib. 3. Ind. xii. ep. 42.

INdicavit nobis Bacauda frater & coepiſcopus noſter, quoſdam de clero ſuo in Siciliæ partibus ad ſacros ordines perveniſſe. Qui quoniam neque presbyterum, neque diaconos ſe habere commemorat, eos ad ſe petiit debere tranſmitti (*a*). Proinde fraternitas tua ubicumque illos latore præſentium indicante repererit, huc eos ſine dilatione tranſmittat: quatenus & illi ad eccleſiam, in qua olim militaverunt, revocentur, & antedictus epiſcopus optatum de eis poſſit habere ſolatium.

DIPLOMA CXI.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Fantinum defenſorem. Solidos ſexaginta mittit pro Coſma perſolvendos.

Gregorius Fantino defenſori (*b*).

Eod. anno. Ex cit. lib. 4. Ind. xii. ep. 45. alias lib. 3. Ind. xii. ep. 43.

LAtor præſentium Coſmas (*c*) Syrus in negotio, quod agebat, debitum ſe contraxiſſe perhibuit, quod & multis aliis, & lacrymis ejus atteſtantibus verum eſſe credidimus. Et quia 150. ſolidos debebat, volui ut creditores illius cum eo aliquid paciſcerentur:

(*a*) Vigebat tunc eccleſiaſtica illa diſciplina, ne clerici unius eccleſiæ ad aliam, inconſulto proprio epiſcopo, tranſirent: merito igitur Bacauda epiſcopus clericos ſuos in Siciliam profectos ad ſe petit tranſmitti. Diſciplinam hanc confirmat idem S. Gregorius in duabus aliis epiſtolis, hic Dipl. cxv. & cxxvi. & diſerte illuſtrat Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccleſ. Diſcipl.* par. 2. lib. 1. cap. 4. n. 14. Hujuſmodi clericos bello aliquo ſua fuiſſe pulſos diœceſi, arbitratur Guſſanvillæus; quod veroſimile nobis videtur ex his, quæ expendimus in notis ad Dipl. lxvii. pag. 108. & 109.

(*b*) Is Panormitanus defenſor erat, ut diſcimus ex Dipl. clxx. quod epigraphem hujuſmodi portat: *Gregorius Fantino defenſori Panormitano.* Conſonat Dipl. clxxvii. & alia paſſim. Diu officium tenuit, quemadmodum omiſſis epiſtolis aliis medio tempore ſcriptis, erudit nos Dipl. cclxiv. ſcriptum anno indictionis ſextæ 603. & 604. Ibi: *Fantino defenſori Panormitano.* Ceterum *de defenſoribus, eorumque numero, & officio* agemus infra, Differt. vi. Cap. iii.

(*c*) Confer cum Dipl. xcix.

tur: quoniam & lex habet, ut homo liber pro debito nullatenus teneatur, ſi res defuerint, quæ poſſint eidem debito addici. Creditores ergo ſuos, ut aſſerit, ad 80. ſolidos conſentire poſſibile eſt; ſed quia multum eſt, ut a nil habente homine 80. ſolidos petant, 60. ſolidos per notarium tuum tibi tranſmiſimus, ut cum eiſdem creditoribus ſubtiliter loquaris, rationem reddas, quia filium ejus, quem tenere dicuntur, ſecundum leges tenere non poſſunt. Et ſi poteſt fieri, ad aliquid minus, quam nos dedimus, condeſcendant. Et quidquid de eiſdem 60. ſolidis remanſerit, ipſi trade: ut cum filio ſuo exinde vivere valeat. Si autem nil remanet, vel ad eamdem ſummam debitum ejus incidere ſtude, ut poſſit ſibi libere poſtmodum laborare. Hoc tamen ſolerter age: ut acceptis ſolidis, ei plenariam munitionem ſcripto faciant.

DIPLOMA CXII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Victorem Epiſc. Panormitanum. Gregorium abbatem longa ob negligentiam pœnitentia afflictum, reſtituat. Martiam ſanctimonialem revocet. Tradatur Victoria Fantino diligenter examinanda. Anaſtaſius medicus ne in monaſterium virginum deinceps ingrediatur.

Gregorius Victori epiſcopo Panormitano (*a*).

LAtorem præſentium Gregorium (*b*), abbatem atque presbyterum monaſterii ſancti Theodori, nulla quidem ratio permittebat, ut poſt lapſum cellæ ipſius pene generalem, ultra ei præeſſe debuiſſet. Qui enim tot diſcipulos per ſuam negligentiam ad infernum duxit, reliquis umquam præponi non debuit. Sed quia longa hic eſt apud nos pœnitentia afflictus, fraternitatem tuam neceſſe eſt eum in monaſterium prædictum recipere, locoque ſuo conſtituere, ita tamen, ut

An.XIII.Ind. 594.& 595. S. Greg. lib.5. Ind.XIII. ep. 6. alias lib.4.Ind. XIII.ep.4.

Tom. I. X

(*a*) Antea, id eſt anno XI. Ind. 592. & 593. idem S. Gregorius ſcripſerat Mariniano abbati de Panormo, & Benenato notario rectori patrimonii S. Petri in ſtatione Panormitana, ut in Victorem hunc inquirerent, & ubi reum invenerint, ſacra privarent communione, & in monaſterio retruderent, ſupra Dipl. XCIII. Ergo quum vidimus eum non ad pœnitentiam deputatum, a falſo crimine pleniſſime purgatum agnoſcamus oportet.

(*b*) De Gregorio abbate Panormitani monaſterii S. Theodori fit quoque mentio in Dipl. LXIII. Porro Gregorius quum monaſticum inſtitutum omnino luxari ſiviſſet, præpoſitura privatus, Romam vel ſponte ſua, vel a S. Gregorio accerſitus adiit: ubi tantum pœnitentiæ egit, ut eum miſeratus pontifex in Siciliam cum hac commendatitia epiſtola remiſerit. Mabillonius *Annal. Bened.* tom. I. lib. 8. cap. 58.

ut Urbicus (*a*) monaſterii mei præpoſitus dare aliquem de ſervis Dei debeat, qui ei præpoſitus ſiat; ut quod iſtius incuria negligitur, illius ſolicitudine ſervetur.

Præterea ex monaſterio (*b*) ancillarum Dei, quod eſt ſancti Martini, Martiam ſanctimonialem feminam in monaſterium aliud injuſte audio fuiſſe migratam; & Victoria quæ locum illius ſequebatur, ſicut audio, res monaſterii diſperſit, ut ad prioratus locum pertingere, & ipſa poſt abbatiſſam interim inveniri debuiſſet. Quam rem fraternitas tua ſub omni ſtudeat celeritate corrigere: cujus enim jam culpæ ſis, intelligis, ut ego tam longe poſitus, quæ in civitate tua aguntur, agnoſcam; & tot curis occupatus, quæ fieri debeant, diſponam. Prædictam itaque Martiam in monaſterium ſuum, & locum ſuum volumus revocari. Victoriam vero Fantino (*c*) defenſori noſtro tradi, quatenus ipſe eam diſcutiens, cui quid de rebus monaſterii dedit, inveniat. Quam diſcuſſam in monaſterium aliud dari volumus, nobiſque per Fantinum defenſorem ſubtiliter renuntiari, ut ſciamus quid de ea debeat ſententia certiori conſtitui. Multa autem mala in eodem monaſterio per Anaſtaſium medicum audio contigiſſe. Qui ſi quando in monaſterium virginum, ſeu ipſum, ſeu aliud fuerit ingreſſus, fraternitatem tuam culpa reſpiciat, quæ gregem commiſſum tenet, & cuſtodire diſſimulat.

DI-

(*a*) Alibi, id eſt Dipl. CXXXI. appellatur *Abbas monaſterii S. Hermæ, quod Panormi ſitum eſt*, & Dipl. CXXXIV. *Abbas monaſterii S. Hermetis, quod in Panormo ſitum eſt*. Hocce monaſterium, cui Urbicus præſidebat, ſuum hic vocat S. Gregorius: *Urbicus monaſterii mei præpoſitus*; & iterum cit. Dipl. CCXXV. *Tantam in congregatione monaſterii noſtri confuſionem eveniſſe cognovi*. Quare unum ex ſex Gregorianis in Sicilia ædificatis fuiſſe, nulli dubium eſſe poteſt. Conſule Diſſert. III. in fine hujus Voluminis edendam.

(*b*) Idem eſſe ac illud *S. Martini de Scalis*, quod hodie ſex paſſuum millibus ab urbe Panormo diſſitum, ſpectat ad monachos Caſſinenſes poſt Pyrrhum alioſque ſcriptores Siculos tenent, Guſſanvillæus, & Monachi Benedictini in hunc locum. Et quidem hocce monaſterium aut intra Panormum, aut non longe ab urbe exſtitiſſe, dubitare non ſinunt quæ ſequuntur S. Gregorii verba: *Cujus enim jam culpæ ſis, intelligis, ut ego tam longe poſitus, quæ in civitate tua aguntur, agnoſcam, & tot curis occupatus quæ fieri debeant, diſponam*.

(*c*) De eo egimus in notis ad præcedentem epiſtolam.

DIPLOMA CXIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pontif. Max. ad Cyprianum diaconum. Perſequatur Manichæos. Judæis vero, qui ad Chriſtum fuerint converſi, minuenda penſionum onera. Mutuos det ruſticis ſolidos.

Gregorius Cypriano diacono & rectori patrimonii Siciliæ (*a*).

De Manichæis (*b*), qui in poſſeſſionibus noſtris ſunt, frequenter dilectionem tuam admonui, ut eos perſequi ſummopere debeat, atque ad fidem Catholicam revocare. Quod ſi tempus exigit, per te; ſi autem pro cauſſis aliis non licet, per alios ſolerter inquire. Pervenit vero ad me, eſſe Hebræos (*c*) in poſſeſſionibus noſtris, qui converti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi ut per omnes poſſeſſiones, in quibus ipſi Hebræi eſſe noſcuntur, epiſtolas tranſmittere debeas; eis ex me ſpecialiter promittens, quod quicumque ad verum Dominum Deum noſtrum Jeſum Chriſtum ex eis converſus fuerit, onus poſſeſſionis ejus ex aliqua parte imminuetur. Quod ita quoque fieri volo, ut ſi quis ex eis converſus fuerit, ſi ſolidi penſionem habet, tremiſſis ei relaxari debeat: ſi tres vel quatuor, unus ſolidus relaxetur; ſi quid amplius, jam juxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certe juxta quod dilectio tua prævidet: ut & ei qui convertitur onus relevetur, & eccleſiaſtica utilitas non gravi diſpendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, ſi pro levandis penſionum oneribus, eos ad Chriſti gratiam perducamus: quia etſi ipſi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur: aut ipſos ergo, aut eorum filios lucramur. Et ideo non eſt grave, quidquid de penſione pro Chriſto dimittimus. Præterea ante hoc tempus Johanne diacono veniente, mihi tua dilectio aliqua ſcripſit, quæ omnia hora eadem relegens, multos dies interpoſui, & poſt multorum dierum moram, tamquam in memoria retinens quæ legeram, ad ſingula reſpondi. Sed nunc, ut arbitror, unum mihi capi-

An. XIII. Ind. 594. & 595.

Ex cod. lib. 5. Ind. XIII. ep. 8. alias lib. 4. Ind. XIII. epiſt. 6.

(*a*) Aliqua de eo dedimus in notis ad Dipl. XCIX.

(*b*) Unde quave occaſione Manichæi in Siciliam venerint, penitus ignoramus; horum errores enumerat S. Auguſtinus *de Hæreſib.* hæreſ. 46.

(*c*) De eodem argumento alliciendi Judæos ad fidem, idem S. Gregorius antea ſcripſerat Petro ſubdiacono rectori patrimonii S. Petri in Sicilia, hic Dipl. LXXXVI. in princip. Et ne intelligas, Judæos minus fideliter ad fidem venientes, ex hac epiſtola fuiſſe ad baptiſmi ſacramentum admiſſos, conſule quæ dabimus infra, Diſſert. IV. *de antiqua diſciplina Eccleſiæ Siculæ in conferendo ſacramento Baptiſmi.* Ceterum Judæos numero plures hoc ferme tempore in Sicilia fuiſſe, oſtendimus in notis ad Dipl. LXXVI.

capitulum excidit: & de eo me ſuſpicor nihil reſpondiſſe. Scripſeras enim, ut mutui ſolidi ruſticis per manus quorumdam debiti conductorum darentur; ne tollentes ab aliis, aut in angariis, aut rerum pretiis gravarentur. Quod capitulum mihi gratiſſimum fuit. Et ſiquidem jam ſcripſi, ea ſerva quæ ſcripta ſunt. Si autem ex eo, ut ſuſpicor, minime aliquid reſcripſi commonitione certa, ad dandos ſolidos pro utilitate ruſticorum non debes immorari: quando & res eccleſiaſtica non petit, & ex ea utilitas ruſticorum levatur. Sed & alia ſiqua ſunt, quæ utilia eſſe conſideras, omni ambiguitate poſtpoſita debes exhibere.

DIPLOMA CXIV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Petrum epiſcopum Tricalitanum. Agrigentinæ eccleſiæ redituum quartam partem in viſitationis ſtipendium aſſignat.

Gregorius Petro epiſcopo Trecalitano (*a*).

An.XIII.Ind. 594.& 595. Ex eod. lib.5. Ind.XIII.ep.12. alias lib.4.Ind. XIII.epiſt.12.

QUoniam Agrigentina eccleſia (*b*) a nobis fraternitatis tuæ viſitationis curæ commiſſa eſt, laboribus tuis aliquid ex ea utile proſpeximus conſulendum. Propterea Maximiano (*c*) fratri & coepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut quarta (*d*), quam ejuſdem eccleſiæ epiſcopum oportebat accipere, a die viſitationis tuæ, vel quouſque illic eam ſolicitudinem geſſeris, tibi debeat applicari. Unde fraternitatem tuam neceſſe eſt mente ſolicita cogitare, ut cujus fructus eccleſiæ percipit, opera ſtudeat ſolerter impendere, atque ad Deum illic animas congregare, pravos ab iniquitate compeſcere, & incipientes bona opera, verbo exhortationis nutrire, memor quod de Eccleſia univerſali ſcriptum eſt: *Panem otioſa non comedit*. Prov.31.d.

DI-

(*a*) Ejus recordatur item S. Gregorius in epiſtola ad Urbicum abbatem, hic Dipl. CCXXVI.

(*b*) Quare Agrigentinæ eccleſiæ viſitator præfigitur, diximus in monitis ad Dipl. XCII.

(*c*) Scilicet, Syracuſano epiſcopo, ut cit. Dipl. XCII.

(*d*) Cur ad epiſcopum quarta tantum pars ex reditibus eccleſiæ ſpectabat, & quibus tres aliæ portiones erogabantur, expoſuimus in notis ad Dipl. XXXII. pag. 73.

DIPLOMA CXV.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Cyprianum diaconum. Dolet de Maximiani epiſcopi obitu: Johannem Catanenſem archidiaconum in ſucceſſorem indicat.

Gregorius Cypriano diacono (*a*).

AMariſſimas tuæ dilectionis epiſtolas de domni Maximiani obitu (*b*) menſe Novembris ſuſcepi. Et quidem ille ad præmia deſiderata pervenit, ſed infelix populus Syracuſanæ civitatis lugendus eſt, qui paſtorem talem diu habere non meruit. Proinde dilectio tua ſolicitudinem gerat, ut in eadem eccleſia talis debeat ad ordinandum eligi, qui poſt domnum Maximianum ejuſdem regiminis locum non videatur immerito ſortiri. Et quidem credo quod Trajanum presbyterum maxima pars eligat, qui, ut dicitur, bonæ mentis eſt: ſed quantum ſuſpicor, ad regendum locum illum idoneus non eſt. Tamen ſi melior (*c*) inveniri non valet, & ipſe nullis criminibus tenetur involutus, condeſcendi ad eum, cogente nimia neceſſitate, poteſt. Si autem mea voluntas (*d*) ad hanc electionem quæritur, tibi ſecreto indico quod volo: quia nullus mihi in eadem eccleſia poſt domnum Maximianum tam dignus videtur, quam Johannes (*e*) archidiaconus Catanenſis eccleſiæ. Qui ſi fieri poteſt ut eligatur, credo quod apta valde perſona inveniatur. Sed ipſe quoque prius de criminibus, quæ impedire poſſunt, a te ſecreto requirendus eſt. A quibus ſi liber inventus fuerit, eligi jure poteſt. Quod ſi factum fuerit, etiam frater &

Eod. anno.
Ex cit. lib. 5. Ind. XIII. epiſt. 17. alias lib. 4. Ind. XIII. ep. 19.

(*a*) Is erat rector patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia, ut plane liquet ex Dipl. CXIII.

(*b*) Qui Maximiani epiſcopi Syracuſani hiſtoriam ad illuſtrandam ſibi delegerunt, non idem ſentiunt circa annum obitus ejus: ex iis enim uni ad annum 594. alii ad annum 595. nonnulli vero ad annum 596. interitum ejus rejiciunt. Sed viſa hac epiſtola, & altera proxime exſcribenda, nemini, opinor, dubium eſſe debere, hoc ſignanter anno 594. menſe Novembri, antedictum Maximianum ex hac luce migraſſe.

(*c*) Ergo a mente S. Gregorii abhorret qui in præſentandis epiſcopis, vel digniorem non putat præferendum, vel minus dignum defectu meliorum nimio cum rigore credit non eligendum. Vide Thomaſinum *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* tom. 2. lib. 1. cap. 37. n. 3. & ſeqq. & lib. 2. cap. 67. n. 5.

(*d*) Conſule quæ in monitis ad ſequentem epiſtolam ſumus daturi.

(*e*) Is revera, & non Trajanus, neque Agatho, de quo in ſequente epiſtola, ad Syracuſanum epiſcopatum fuit promotus, ut diſcimus ex Dipl. CXXV. Sed quoniam ipſe Johannes Catanenſis erat diœceſis, ideo præ illius ætatis more, miſſione ſive ceſſione ſui epiſcopi opus habuit. Confer cum Dipl. CXXVI. & præterea vide Dipl. CCXX. ubi idem pro clericis obſervari dicitur, ex quibus nullus ad munus defenſoris unius civitatis eligebatur, qui eſſet clericus alterius civitatis. Nec alio jure vivebant monachi, qui inconſulto proprio epiſcopo, non poterant in alienam diœceſim transferri, Dipl. CLXXXII.

& coepiſcopus noſter Leo ei ceſſionem facere debebit, ut liber ad ordinandum poſſit inveniri. Hæc ergo dilectioni tuæ indicare curavi: tuæ jam ſolicitudinis intererit, ut omnia ſolicite circumſpicias, & ea quæ ſunt Deo grata diſponas.

DIPLOMA CXVI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad nobiles Syracuſanos. Quum epiſcopi electionem Gregorii arbitrio commiſiſſent, talem eis ordinare ſtudet, qui Maximianum deceſſorem imitetur.

Gregorius nobilibus Syracuſanis (*a*).

An. xiii. Ind. 594. & 595.

Ex eod. lib. 5. Ind. xiii. ep. 22. alias lib. 4. Ind. xiii. ep. 47.

LAudis veſtræ teſtimonium, quam direxiſtis gerit epiſtola, quod electionis vos onera ſapienter declinaſſe ſignificat, & quoniam noſtro hoc arbitrio commiſiſtis, ac multa bona de venerandæ memoriæ quondam Maximiano epiſcopo referentes talem vobis ordinari depoſcitis, vos quidem ſicut decet fideles filios facitis, quia hæc de digno ſolicitoque patre teſtamini, & obtrectantibus aliis bona ipſius etiam poſt obitum non tacetis. Unde oramus omnipotentem Dominum, ut & vobis pro ſinceritatis veſtræ voluntate retribuat, & obloquentibus clementer ignoſcat. Hoc tamen ſciat magnitudo veſtra: quia civitati illi quem dare, Maximiano reverendiſſimo ſimilem non habemus. Sed quia a clero, & plebe eccleſiæ Syracuſanæ Agatho, ab aliquibus autem alter eligitur: hunc qui clero, & plebe electus eſt, ad nos iterum venire neceſſe eſt; ut utriſque quominus conſtitutis, ille qui Deo placuerit, & utilior viſus fuerit, ordinetur. Nam deſiderii noſtri eſt, talem illic cum Chriſti gratia ordinari pontificem, qui bonorum ſupradicti epiſcopi, cujus vos actionibus teſtimonium perhibetis, in omnibus debeat, Deo adjutore, imitator exſiſtere.

DI-

(*a*) Ex hac epiſtola, & aliis inferius exſcribendis, id eſt, Dipl. cxvii. *de electione epiſcopi Lilybætani*, Dipl. clxxvi. *de electione epiſcopi Melitenſis*, & Dipl. cclii. *de electione epiſcopi Panormitani*, valde perſuaſum nobis eſt, tunc temporis ad clerum, ordinem, & plebem præſulum electionem pertinuiſſe. Hanc quoque diſciplinam in tota fere Italia obtinuiſſe, diſcimus ex quatuor aliis ejuſdem S. Gregorii epiſtolis: una inſcripta *Urſicino duci*, *clero*, *ordini*, *& plebi Ariminenſi*; altera *clero*, *ordini*, *& plebi Peruſitanæ civitatis*; tertia *clero & nobilibus*, *ordini & plebi Neopolitanæ*; poſtrema *clero*, *ordini*, *& plebi Nepienſi*. Et quidem ipſemet S. Gregorius in hujuſmodi electionibus ita ſe gerebat, ut nihil eligentium votis, & libertati derogatum a ſe volebat, etiam quum nomen promebat ejus, qui ſibi eligendus videbatur, unde digna ſunt ut deſcribantur verba ſuperioris epiſtolæ: *Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi ſecreto indico quod volo: quia nullus mihi in eadem eccleſia poſt domnum Maximianum tam dignus videtur, quam Johannes archidiaconus Catanenſis eccleſiæ. Qui ſi fieri poteſt, ut eligatur, credo quod apta valde perſona inveniatur.*

DIPLOMA CXVII.

Epiſtola antedicti Romani pontificis ad Cyprianum diaconum. Attendat num res eccleſiæ minuerit defunctus epiſcopus. Ad ſucceſſoris electionem clerum, & populum hortetur.

Gregorius Cypriano diacono (*a*).

OBitum Theodori (*b*) epiſcopi dilectionem tuam jam credimus cognoviſſe. Sed quia ipſe teſtamentum (*c*) dicitur condidiſſe, ſubtiliter ne quid de rebus eccleſiæ ſuæ conſumpſiſſet, te oportet inquirere. Et ſi quidem eum exinde aliquid incongrue minuiſſe didiceris, ita age ut res ipſæ ab eo, cujus intereſt, modis omnibus reparentur. Clerum (*d*) vero & populum loci ipſius admonere te convenit, ut omni dilatione poſtpoſitâ eligant, qui ſibi, revelante Deo, debeat epiſcopus ordinari.

Eod. anno. Ex cit. lib. 5. Ind. XIII. epiſt. 27. alias lib. 4. Ind. XIII. epiſt. 22.

DIPLOMA CXVIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad eumdem Cyprianum. Defuncto Maximiano epiſcopo, nonnullos e clericis ab eo propter maleficium in carcerem conjectos, gravibus afficiat pœnis.

Gregorius Cypriano diacono.

VIr ſanctiſſimus Maximianus (*e*), coepiſcopus noſter, eccleſiam Dei pravis hominibus purgare deſiderans, laudabiliter erga eccleſiaſticorum vitam, ſicut noſti ſolicitus fuit. Qui dum eorum actus vigilanter cura paſtoroli intenderet, maleficio (*f*) quod vulgo canterma dicitur, quoſdam didicit maculatos. Quos etiam, ſicut & dilectionis tuæ nuntiavit epiſtola, dedit in cuſtodia retinendos. Sed quia peccatis noſtris facientibus morte præventus, crimen ipſum ulciſci

Eod. anno. Ex cit. lib. 5. Ind. XIII. epiſt. 32. alias lib. 12. Ind. VII. ep. 13.

(*a*) De eo egimus in monitis ad Dipl. XCIX.

(*b*) Scilicet, Lilybœtani, ut diſcimus ex Dipl. XCVI. CXXIV. & CXCI.

(*c*) Porro epiſcopis, ſalva eccleſiæ ſubſtantia, prohibitum non erat teſtamentum condere. Vide Dipl. CIX. & CXCIV.

(*d*) Penes clerum & populum tunc eſſe præſulum Sicilienſium electionem, oſtendimus in notis ad præcedentem epiſtolam.

(*e*) Nempe Syracuſanus epiſcopus, de quo in Dipl. LXXXI. & alibi paſſim.

(*f*) Id eſt, incantatione, quam *ſtregaria* & *magaria* patria voce dicimus. De hujuſmodi incantatoribus agitur quoque in Dipl. CCXXX. & CCLXII.

ciſci non valuit, neceſſe eſt ut dilectio tua cum omni hoc ſubtilitate indagare feſtinet, atque in eos ſecundum immanitatem facinoris ſtudeat vindicare, qualiter ſecundum leges ſupraſcriptum epiſcopum zelo correptionis ac juſtitiæ in hac ultione propter Deum novit potuiſſe, ſi viveret, commoveri. Omni ergo virtute, omnique inſtantia tua dilectio in hac cauſſa zelum ſuum erga omnipotentem Deum cu-
Pſ. 138. d. ret oſtendere, & inimicis illius adverſitatem dignam inflictis ultionibus exhibere, ut impleas quod ſcriptum eſt: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Si ergo hoc zelo dilectio tua accenditur, in eorum qui Deum dereliquerunt, & contra eum maleficiis aliquid egerunt, pœna monſtretur. Quod ſi recte illic exequi non valet, nobis qui tales ſunt tranſmitti debent, ſi tamen hic monſtrari potuerit, unde illic poſſunt abſque difficultate convinci. Sed quia hoc impoſſibile eſſe exiſtimo; illic per te debet diſtricta atque fortis correctio provenire. Virum autem
Libertinus prætor. glorioſum domnum Libertinum (*a*) prætorem in tali loco per contemplationem omnipotentis Dei adjutorem te habere confido. In hac tamen cauſſa miteſcere minime debuiſti, etiamſi tibi quilibet ſæcularis judex adverſarius potuiſſet exſiſtere.

Archelaus medicus. Poſſeſſiones præterea Archelai (*b*) medici dilectio tua rationabiliter tueatur, ut ab aliquibus injuſte eum minime gravari permittat.

DIPLOMA CXIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad eumdem Cyprianum diaconum. Ciceronem monachum lapſum Miſenati eccleſiæ, cujus fuerat famulus, reſtituat.

Gregorius Cypriano diacono.

Anno 595. menſe Majo.
Ex eod. lib. 5. Ind. XIII. ep. 34. alias lib. 4. Ind. XIII. ep. 27.

BEnenatus (*c*) frater & coepiſcopus noſter, Ciceronem (*d*) quemdam monachum, qui pro ſuis exceſſibus a dilectiſſimo filio noſtro diacono Petro (*e*), tunc autem ſubdiacono & rectore patrimonii noſtri, eſt in pœnitentia deputatus, juris eccleſiæ ſuæ famulum eſſe perhibet, eumque ſibi cum rebus ſuis poſtulat debere reſtitui. Neceſſe eſt ergo ut dilectio tua ſtudioſe perquirat. Et ſi ita verum eſſe

(*a*) De eo opportunius aliqua expendimus in notis ad Dipl. XCV.

(*b*) Ejuſdem Archelai medici fit quoque mentio infra, Dipl. CLXI.

(*c*) Is in contextu ſcripturæ, in epiſtola etiam 25. lib. 2. ejuſdem S. Gregorii, & alibi paſſim appellatur *Miſenatis epiſcopus*.

(*d*) Unus ex monachis erat, qui Barbaris Italiam invadentibus, in Siciliam profecti, liberaliori vitæ incumbebant. Conſule quæ dedimus in notis ad Dipl. LXVII. pag. 108. & 109.

(*e*) De eo egimus jam in monitis ad Dipl. LX. pag. 98.

eſſe conſtiterit, ſupraſcriptum Ciceronem cum rebus ſuis, quæ apud Fantinum (a) defenſorem dicuntur eſſe depoſitæ, dominio Miſenatis eccleſiæ ſine aliqua dilatione reſtitue; ut poſtquam a monachica converſatione culpæ lapſu ſe abripuit, jugum dominii quod evadere in converſatione permanens poterat, recognoſcat. Menſe Majo, Indictione XIII.

DIPLOMA CXX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Cyprianum diaconum. Monachos tres ad monaſterium S. Martini cogat redire: faveat ejuſdem monaſterii procuratoribus: eidem reddat mancipia.

Gregorius Cypriano diacono.

PErvenit ad nos, inſinuante Theodoſio abbate monaſterii S. Martini (b), tres ſe illic in Sicilia monachos, quos pro utilitate monaſterii ſui tranſmiſerat, retinuiſſe; & petiit a nobis, ut cum tuo eos ſolatio in ſuum debeat monaſterium revocare. Dilectio ergo tua, quæ nos hujuſmodi cauſſas zelari valde ferventerque cognovit, eos ſolicita faciat indagatione perquiri, & inventos ad ſupraſcriptum abbatem, cui contumaces exſtiterunt, ſub competenti cautela atque diſtrictione tranſmitti. *An.XIII.Ind. 594.&595.* Ex eod. lib.5. Ind.XIII.ep.35. alias lib.4.Ind. XIII.ep.28.

Eſto itaque ſolicitus, ne regularis diſtrictio, vel dilatione aliqua, vel deputatorum remiſſione lædatur. Præſentium vero portitoribus, qui pro agendis ejuſdem monaſterii utilitatibus a ſupradicto Theodoſio abbate noſcuntur eſſe tranſmiſſi, in omnibus te inſtanter volumus præbere ſolatia, quatenus te concurrente, rationabiliter quæ ſibi injuncta ſunt, valeant explicare. Mancipia autem ejuſdem monaſterii, quæ prædictus abbas ab hominibus eccleſiæ noſtræ indebite perhibet detineri, neceſſe eſt te modis omnibus perſcrutari. Et ſi ita repereris, ſine aliqua ea facito dilatione reſtitui.

(a) Eumdem eſſe putamus, cui inſcripta eſt epiſtola, hic ſub n. CXI. exhibita.
(b) Incompertum nobis eſt, ubi ſitum fuerit hocce monaſterium S. Martini, cui Theodoſius abbas præerat; ex contextu epiſtolæ extra Siciliam ædificatum eſſe diſcimus: atque ita diverſum omnino videtur eſſe ab illo S. Martini ancillarum Dei, de quo fit mentio in Dipl. CXII.

DIPLOMA CXXI.

Epiſtola præfati S. Gregorii PP. ad Conſtantinam auguſtam. Imperatori ſuggerat, Sardos, Corſos, ac Siculos inique ac nimium gravari. Etſi minus in Italiæ expenſas haberetur pecuniæ, compeſcendos tamen oppreſſorum gemitus.

Gregorius Conſtantinæ auguſtæ (*a*).

An. XIII. Ind. 594. & 595.

Ex eod. lib. 5. Ind. XIII. ep. 41. alias lib. 4. Ind. XIII. ep. 33.

12. q. 1. c. 8. *Quum devotiſſimam.*

QUum ſereniſſimam dominam ſciam de cæleſti patria atque animæ ſuæ vita cogitare, culpam me committere vehementer exiſtimo, ſi ea quæ pro timore omnipotentis Domini ſunt ſuggerenda, ſiluero. Dum in Sardinia inſula multos eſſe gentilium cognoviſſem, eoſque adhuc pravæ gentilitatis more, idolorum ſacrificiis deſervire, & ejuſdem inſulæ ſacerdotes ad prædicandum Redemptorem noſtrum torpentes exiſterent, unum illic ex Italiæ epiſcopis miſi, qui multos gentilium ad fidem, Domino cooperante, perduxit. Sed rem mihi ſacrilegam nuntiavit: quia hi qui in ea idolis immolant, judici præmium perſolvunt ut eis hoc facere liceat. Quorum dum quidam baptizati eſſent, & immolare jam idolis deſiviſſent, adhuc ab eodem inſulæ judice, etiam poſt baptiſmum præmium illud exigitur, quod dare prius pro idolorum immolatione conſueverant. Quem quum prædictus epiſcopus increparet, tantum ſe ſuffragium promiſiſſe reſpondit, ut niſi de cauſſis etiam talibus impleri non poſſit. Corſica vero inſula tanta nimietate exigentium, & gravamine premitur exactionum, ut ipſi qui in illa ſunt, eadem quæ exiguntur, complere, vix filios ſuos vendendo, ſufficiant. Unde fit, ut derelicta pia republica, poſſeſſores ejuſdem inſulæ ad nefandiſſimam Longobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim gravius, quid crudelius a Barbaris pati poſſunt, quam ut conſtricti atque compreſſi, ſuos vendere filios compellantur? In Si-

(*a*) Mauritio imperii habenas moderante, Sardos, Corſos, & Siculos magnopere gravabant regii miniſtri, tributa exigentes graviora, quam ii ferre poſſent: quare S. Gregorius imperatoris conſortem Conſtantinam auguſtam interpellavit, quamobrem marito ſuggereret, *ut ab anima ſua, ab imperio, atque a filiis ſuis tale hoc tantumque peccati pondus amoveat*: nullo habito reſpectu, quod pecuniam illam imperator defendendæ Italiæ, & Longobardis ex ea abigendis erogaret: nam ſanctus pontifex ab injuſtis exactionibus adeo abhorrebat, ut ea quoque ſubſidia recuſaret, ſine quibus nec Italiam ſalvari, nec religionem defendi, nec ſe vivere poſſe intelligebat. Vide Baronium *Annal. Eccl.* ad annum 595. cap. 13. Thomaſinum *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. 3. cap. 90. n. 8. & Natal. Alex. *Hiſt. Eccl.* tom. 5. ſæcul. 6. cap. 11. art. 13. ſub n. 8.

Sicilia autem inſula Stephanus quidam marinarum partium (*a*) chartularius, tanta præjudicia, tantaſque oppreſſiones operari dicitur, invadendo loca ſingulorum, atque ſine dictione cauſſarum, per poſſeſſiones, ac domos titulos ponendo, ut ſi velim acta ejus ſingula, quæ ad me pervenerunt, dicere, magno volumine hæc explere non poſſim.

Quæ omnia ſereniſſima domina ſolerter aſpiciat, & oppreſſorum gemitus compeſcat. Hæc enim ego ad piiſſimas aures veſtras perveniſſe non ſuſpicor: nam ſi pervenire potuiſſent, nuncuſque minime permanſiſſent. Quæ piiſſimo domino apto ſunt tempore ſuggerenda, ut ab anima ſua, ab imperio, atque a filiis ſuis tale hoc tantumque peccati pondus amoveat. Qui ſcio dicturus eſt, quia nobis in Italiæ expenſis tranſmittitur quidquid de prædictis inſulis aggregatur. Sed ego ſuggero ad hoc, ut etſi minus expenſæ in Italia tribuantur, a ſuo tamen imperio oppreſſorum lacrymas compeſcat. Nam & iccirco fortaſſe tantæ expenſæ in hac terra minus ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur. Præcipiant ergo ſereniſſimi domini, nil cum peccato colligi. Et ſcio, quia etſi parum reipublicæ attribuitur utilitatibus, ex eo multum reſpublica adjuvatur. Quam etſi fortaſſe contingat expenſis minoribus minus adjuvari, melius eſt tamen temporaliter nos non vivere, quam vos ad æternam vitam obſtaculum aliquod invenire. Quæ enim mentes, qualia viſcera parentum eſſe poſſunt, perpendite, quando filios ſuos diſtrahunt ne torqueantur? Qualiter autem miſerendum ſit filiis aliorum, hoc bene ſciunt qui habent proprios. Unde mihi hæc breviter ſuggeſſiſſe ſufficiat, ne ſi ea quæ in his partibus aguntur, pietas veſtra non cognoſceret, me apud diſtrictum judicem ſilentii mei culpa multaret.

DIPLOMA CXXII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Cyprianum diaconum. Modiorum tritici duo millia det Zenoni epiſcopo egenis diſtribuenda.

Gregorius Cypriano diacono (*b*).

ZEnon frater & coepiſcopus noſter quoſdam in civitate (*c*) ſua alimoniarum neceſſitatem innotuit ſuſtinere. Quibus quoniam, ut poſſibile eſt, aliquod deſideramus ferre conſultum, iccirco dilectionem tuam antedicto fratri & coepiſcopo noſtro mille modios tritici, aut ſi plus levare potuerit, uſque ad duo millia ſcriptis te da-

An. xiv. Ind. 595. & 596.

S. Greg. lib. 6. Ind. xiv. ep. 4. alias lib. 5. Ind. xiv. epiſt. 4.

(*a*) Scilicet, *qui pecunias publicas iſtarum partium tractabat, & adminiſtrabat*, ut advertunt hic Monachi Benedictini.

(*b*) De eo in notis ad Dipl. xcix.

(*c*) Quænam fuerit hæc civitas, deficientibus antiquitatis tabulis, gratis divinare non audemus. Admiranda inte-

dare præſentibus deputamus. Hortamur igitur, ut in his præbendis nullam moram aut excuſationem adducas, quatenus dum tempus ſinit, & hic cum Dei adjutorio ſine periculo ad propria remeare; & citius valeat neceſsitatem patientibus ſubvenire.

DIPLOMA CXXIII.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii Pontif. Max. ad Donum epiſcopum Meſſanenſem. Pallio quo ipſum decorat, morum ornatum adjungendum monet. Antiqua Meſſanenſis eccleſiæ privilegia firmat.

Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi (*a*).

An.xiv.Ind. 595.& 596.
Ex eod. lib.6. Ind.xiv.epiſt. 49. alias lib.5. Ind.xiv.ep.8.

APoſtolicæ Sedis benevolentia, atque antiquæ conſuetudinis ordine provocati, fraternitati tuæ, quam in Meſſanenſi eccleſia gubernationis ſuſcepiſſe conſtat officium, pallii (*b*) uſum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus atque ordine, quibus deceſſorem quoque tuum uſum eſſe non ambigimus: hoc nihilominus admonentes, ut ſicut a nobis hujuſcemodi decoris uſum ad ſacerdotalis officii honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate ad gloriam Chriſti, noſtra ſuſceptum auctoritate, adornare contendas officium. Sic etiam alterno eris invicem decore conſpicuus, ſi ad hujuſcemodi corporis habitum, mentis quoque tuæ bona omnia concordent. Omnia enim privilegia, quæ tuæ pridem conceſſa eſſe conſtat eccleſiæ, noſtra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

DI-

---

interim eſt S. Gregorii liberalitas, dum ex patrimonio eccleſiæ ſuæ in Sicilia modiorum tritici duo millia pauperibus eroganda præcipit. Conſule Differt. v. n. 6.

(*a*) Is ſucceſſit Felici, de quo aliqua dedimus in monitis ad Dipl. LXVII. Plures ſunt epiſtolæ quas eidem Dono S. Gregorius dedit, quaſque in epiſtolarum indice facile eſt invenire. Ex his duæ ſunt majori obſervatione dignæ, hic Dipl. CCII. & CCLIV. utpote quæ plane oſtenderent, Donum ad Meſſanenſem in Sicilia eccleſiam revera ſpectare. Unde ſtare non poteſt opinio Pyrrhi *Not. Eccl. Meſſ.* qui ipſum Donum Meſſanenſi eccleſiæ abjudicans, eum Miſenatem epiſcopum poſt Benenatum fuiſſe contendit. Et quidem Donus ſuccedere nequivit Miſenati Boninato, quem longe poſt hæc tempora vixiſſe, diſcimus ex eodem S. Gregorio epiſt. 32. & 33. lib. 11.

(*b*) Pallii uſum Syracuſanus quoque epiſcopus, & Panormitanus ab eodem S. Gregorio obtinuerunt, ut patet ex Dipl. CXXV. & CCLIX. Quamobrem fallit ſimul ac fallitur qui ex honorificentia pallii Donum totius Siciliæ metropolitam facit. Vide, ſis, Differt. II. ad calcem Voluminis poſitam. Ceterum qualis fuerit forma pallii illius ævi, exponit Johannes Diac. *in Vita S. Greg.* lib. 4. cap. 80.

DIPLOMA CXXIV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Cyprianum diaconum, rectorem Siciliæ. Decio Lilybœtano epiſcopo, in reformando eccleſiæ ſuæ ſtatu opem ferat.

Gregorius Cypriano diacono, rectori Siciliæ (*a*).

LIlybœtanæ (*b*) clerus eccleſiæ huc pro ordinando ſibi veniens ſacerdote, licentiam eis de exquirendo ſibi epiſcopo nos dediſſe cognoſcas. Qui reperientes Decium forenſem presbyterum, ſibi eum conſecrari multis precibus popoſcerunt: quorum petitionem neceſſarium duximus adimplere. Et ideo dilectio tua in omnibus ei ſolatiari non negligat; ut quia Theodorus quondam ejuſdem eccleſiæ epiſcopus dereliquit plurima (*c*), quæ emendari debeant, tuo in omnibus adjutus auxilio, dumtaxat æquitate ſervata, cauſſarum inquietudinibus liberior, in Dei laudibus poſſit exſiſtere.

Eod. anno. Ex cit. lib. 6. Ind. XIV. epiſt. 13. alias lib. 5. Ind. XIV. epiſt. 13.

DIPLOMA CXXV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Pallii uſum concedit, & antiqua firmat privilegia.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*d*).

APoſtolicæ Sedis benevolentia, & antiquæ conſuetudinis ordine provocati fraternitati tuæ, quam in Syracuſana eccleſia gubernationis officium conſtat ſuſcepiſſe, pallii uſum prævidimus concedendum, illis temporibus, atque eo ordine, quibus deceſſorem quoque tuum uſum eſſe non ambigis: hoc nihilominus admonentes, ut ſicut a nobis hujus decoris uſum ad ſacerdotalis officii honorem accepiſſe te

Eod. anno. Ex cit. lib. 6. Ind. XIV. epiſt. 18. alias lib. 5. Ind. XIV. ep. 18.

(*a*) De eo pauca dedimus in notis ad Dipl. XCIX. majora dabimus infra, Diſſert. VI. Cap. I.

(*b*) Erat tunc Lilybœtana eccleſia ob mortem Theodori proprio viduata paſtore: unde admoniti cives ex Dipl. CXVII. de ſucceſſore eligendo, clerum ſuum Romam ad S. Gregorium miſerunt, quo permittente, parochum ruris, nomine Decium, de quo fit etiam mentio in Dipl. CXCVIII. & CCIX. in locum defuncti epiſcopi elegerunt.

(*c*) De hujuſmodi rebus in eccleſia Lilybœtana emendandis jam Theodoro epiſcopo ſcripſerat idem S. Gregorius, hic Dipl. XCVI.

(*d*) Maximiano *ad præmia deſiderata*, ut loquitur ipſemet S. Greg. hic Dipl. CXV. perveniente, Johannes archidiaconus Catanenſis eccleſiæ, qui mortui epiſcopi vitam æmulari videbatur, quique ſuffragio ejuſdem S. Gregorii, ut patet ex cit. Dipl. gaudebat, Syracuſanus epiſcopus eligitur, ac pallii uſu ab ipſo S. Gregorio donatur,

te gaudes, ita etiam morum, atque actuum probitate, ad gloriam in Chriſto noſtram, ſuſceptum adornare contendas officium. Sic enim alterno eris invicem decore conſpicuus, ſi ad hujus corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent. Omnia enim privilegia, quæ tuæ pridem conceſſa eſſe conſtat eccleſiæ, noſtra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

DIPLOMA CXXVI.

Epiſtola præfati S. Gregorii Pontif. Max. ad Cyprianum diaconum. Perſuadeat Leoni Catanenſi epiſcopo, ut Johanni epiſcopo Syracuſano quemdam presbyterum cedat.

Gregorius Cypriano diacono.

Anno 595. menſe Nov.

Ex eod. lib. 6. Ind. XIV. epiſt. 20. alias lib. 5. Ind. XIV. epiſt. 20.

SIcut dilectio tua ſtudioſe laboravit pro perſona fratris & coepiſcopi noſtri Johannis (*a*), ut in Syracuſana eccleſia, auctore Deo, debuiſset ordinari: ita nunc neceſse eſt, ut per dilectionis tuæ ſtudia ei quoque regiminis ſolatia miniſtrentur. Quemdam enim presbyterum proprium habuiſse ſe perhibet, qui tamen a fratre & coepiſcopo noſtro Leone in Catanenſi eccleſia dicitur ordinatus. Et quia in novam eccleſiam vadit, & ſuos illic proprios homines habere neceſse, ut cum cauſſarum tumultibus premitur, in ſecreto ſuo inveniat ubi requieſcat: prædicto fratri & coepiſcopo noſtro Leoni blande, & dulciter perſuadere debes, ut ei præfatum presbyterum cedere debeat, ne quem tam benignus ad ordinandum ceſſit, ordinatum deſtituere fortaſſe videatur. Sed ſicut idem frater & coepiſcopus noſter Johannes, quantum ego, in ejus mente didici, ejus ſe eſſe archidiaconum, nec ob epiſcopatum ſuſceptum obliviſcitur: ita eum ſæpe fatus frater & coepiſcopus noſter Leo ſuum proprium debet attendere, & non ſolum de unius perſona presbyteri, ſed in quacumque re ejus ſolatio indiguerit, ſua ei miniſtrare auxilia. Menſe Novembri, indictione XIV.

DI-

---

natur, ſub illa conſueta formula, qua honorem hunc epiſcopus Meſſanenſis jam obtinuerat, Dipl. CXXIII. & Panormitanus inde obtinuit, Dipl. CCLIX. Hinc a vero aberrat Thomaſſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. 3. cap. 40. n. 9. qui Syracuſanum epiſcopum primum in Italia metropolitanam dignitatem accepto pallio obtinuiſſe putat. Vide quæ dabimus in Differt. II.

(*a*) Confer cum Dipl. CXV. & cum his quæ ibi dedimus in notis.

DIPLOMA CXXVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Leonem epiſcopum Catanenſem. Si pagana mancipia circumciderint Samaræi, in libertatem illa vindicet, non reddito Samaræis pretio.

Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſi (*a*).

Res ad nos deteſtabilis, & omnino legibus inimica pervenit, quæ ſi vera eſt, fraternitatem tuam vehementer accuſat, quia eam de minori ſolicitudine probat eſſe culpabilem. *An.xiv.Ind. 595.& 596.*

Ex eod. lib.6. Ind.xiv.epiſt. 33. alias lib.5. Ind.xiv.epiſt. 32.

Comperimus autem quod Samaræi (*b*) degentes Catinæ, pagana mancipia emerint, atque ea circumcidere auſu temerario præſumpſerint. Atque iccirco neceſſe eſt, ut omni modo zelum in hac cauſſa ſacerdotalem exercens, cum omni hoc vivacitate ac ſolicitudine ſtudeas perſcrutari: & ſi jam repereris, mancipia ipſa ſine mora in libertatem modis omnibus vindica, & eccleſiaſticam eis tuitionem impende, nec quidquam domino eorum de pretio quolibet modo recipere patiaris: qui non ſolum hoc damno mulctandi, ſed etiam alia erant pœna de legibus (*c*) feriendi.

DI-

(*a*) De eo aliqua expoſuimus ſupra in notis ad Dipl. LXXXVII.

(*b*) Id eſt, Judæi, ut advertunt Monachi Bened. in hunc locum: tum quia non legitur, Samaritanorum ſectam uſque ad hæc tempora perduraſſe; tum etiam quia non conſtat, eos uſquam in Italia habitaſſe. Conſonat Dipl. CXLVI.

(*c*) Alludere videtur ad conſtitutionem Conſtantini magni exſcriptam in corpore juris civilis l. *Judæus*. C. *Ne Chr. Mancip. Hæret. vel Jud.* Qua cavetur, ut Judæi mancipia circumcidentes non ſolum amiſſione ſervorum, ſed capitali etiam ſententia puniantur. Subjiciamus ejus verba: *Judæus ſervum Chriſtianum nec comparare debebit, nec largitatis, vel alio quocumque titulo conſequetur. Quod ſi aliquis Judæorum mancipium vel Chriſtianum habuerit, vel ſectæ alterius, ſeu nationis crediderit ex quacumque cauſſa poſſidendum, & id circumciderit, non ſolum mancipii damno mulctetur, verum etiam capitali ſententia puniatur, ipſo ſervo pro præmio libertate donando*. Conſonat Codex Theodoſianus lib. 16. tit. 7. leg. 2. & 4.

DIPLOMA CXXVIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Secundinum epiſcopum Tauromenitanum. Sincerum, ſi a ſoceri ſui ſucceſſione abſtinuerit, ab hujus creditoribus vexari non ſinat. Illi vero, ut vitæ ſubſidium reperiat, liberam procuret quo voluerit eundi licentiam.

Gregorius Secundino epiſcopo Tauromenitano (*a*).

Anno 596. menſe Jun. Ex eod. lib. 6. Ind. xiv. epiſt. 36. alias lib. 5. Ind. xiv. epiſt. 35.

UT legum ratio, & æquitas admonet naturalis, ut quiſquis hereditatem aut renuit, aut parentum ſucceſſione ſe abſtinet, hereditaria non debeat onera ſuſtinere. Quia ergo Sincerus (*b*) lator præſentium, Hilarum ſocerum ſuum omnino inopem defunctum innotuit; & uxorem ſuam, filiam ipſius, in qualibet re ejus ſe ſubſtantiæ minime miſcuiſſe, & ad perſolvendum paternum debitum eam ab ejus creditoribus queritur perurgeri: iccirco fraternitas veſtra diligenter inquirat. Et ſi ea quæ ait, veritate ſubſiſtunt, ſacerdotalem illis ſtudeat tuitionem impendere, nec eos contra rationis ordinem vexari, aut damnum permittat aliquod ſuſtinere. Nam valde durum eſt, ut unde nullum ſenſit commodum, ſuſtineat injuſte diſpendium. Supradictus autem portitor, ſi huc cum uxore ſua venire voluerit, quia illic ſe dicit non poſſe ſubſiſtere, veſtris propter Deum ſolatiis potiantur, nec cujuſquam eos illic adverſitas pro ſua tantum voluntate retineat, aut eis irrationabiliter moleſtus exſiſtat, ſed liberam habeant quo voluerint eundi licentiam: quatenus vivendi ſubſidium alibi ſaltem Deo largiente reperiant. Menſe Junii, indictione xiv.

DI-

(*a*) Conſule quæ de eo dedimus in monitis ad Dipl. LXXVIII.

(*b*) Vel ex hoc tantum loco diſcimus clare, epiſcopalis muneris fuiſſe, protectionem pauperum ſuſcipere, ut obſervat atque erudite illuſtrat Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſc.* tom. 2. lib. 3. cap. 90. n. 3.

DIPLOMA CXXIX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Cyprianum diaconum. Reverſum a ſchiſmate Johannem commendat, cui det annuos octo ſolidos.

Gregorius Cypriano diacono (*a*).

JOhannem religioſum præſentium latorem, qui ex Iſtricorum (*b*) ſchiſmate ad ſinum ſanctæ Eccleſiæ, Deo revelante, accepta ratione reverſus eſt, dilectionem tuam, æquitate ſervata habere neceſſe eſt in omnibus commendatum, atque ei, in quibus cauſſa popoſcerit, eccleſiaſticam tuitionem impendere. Cui etiam pro ſtipendiorum ſuorum ſubſidio, ab hac quartadecima indictione annis ſingulis tot (*c*) ſolidos dare te volumus, quos tuis per omnia noveris rationibus imputandos.

An.xiv.Ind. 595. & 596.

Ex eod. lib. 6. Ind. xiv. epiſt. 39. alias lib. 5. Ind. xiv. epiſt. 38.

DIPLOMA CXXX.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Donum epiſcopum Meſſanenſem. Georgii, ſi rectius ille vixerit, ſuſtentationi ſubveniat.

Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi (*d*).

GEorgius præſentium portitor degere, ut ait, in civitate veſtra deſiderans, apud fraternitatem veſtram noſtra ſe petiit epiſtola commendari. Cui quoniam a prava ſe promiſit actione compeſcere, quod petebat prævidimus non negandum. Et ideo ſanctitas veſtra de anima ejus ſtudeat propter Deum eſſe ſolicita, atque eum adhortationibus ſuis ad viam Deo placitam revocare: etſi adjuvante Domino, ut promiſit, ab omni ſe pravitate ſuſpendens, vivere honeſte voluerit, fraternitas veſtra pro mercede ſua, ut proſpexerit, ejus ſuſtentationi ſubveniat, ne forſitan ad male agendum excuſationem ſibi ex neceſſitate videatur aſſumere. Quid autem fraternitas veſtra ex ejus importunitate ſit paſſura conſideret, qui ad vos cum noſtris epiſtolis venit, quem nos ſine auctoritate aliqua importunum valde in precepertulimus.

Eod. anno.

Ex eod. lib. 6. Ind. xiv. epiſt. 40. alias lib. 5. Ind. xiv. ep. 39.

(*a*) Aliqua de eo exhibuimus ſupra in admonitionibus ad Dipl. XCIX.

(*b*) Sicuti Felicem diaconum ab Iſtricorum ſchiſmate reverſum commendarat S. Gregorius, Maximiano epiſcopo Syracuſano ſcribens, hic Dipl. CVI. ita & nunc Cypriano diacono, rectori patrimonii eccleſiæ ſuæ Johannem religioſum ab eodem errore reſipiſcentem commendat. Et ulterius omnibus idem ſchiſma declinare volentibus adjutorem ſe præbere nullus dubitat. Vide Dipl. CLXXX.

(*c*) In aliquibus editis & manuſcriptis exemplaribus legitur *octo ſolidos*.

(*d*) De eo egimus in notis ad Dipl. CXXIII.

DIPLOMA CXXXI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Victorem epiſcopum Panormitanum. Ut in monaſterio presbyterum ordinet.

Gregorius Victori epiſcopo Panormitano (*a*).

An.xiv.Ind. 595.& 596.

Ex eod. lib.6. Ind.xiv.epiſt. 42.alias lib.5. Ind.xiv.epiſt. 41.

URbicus (*b*) abbas monaſterii S. Hermæ, quod Panormi ſitum eſt, a nobis cum congregatione ſua magnopere poſtulavit in eodem monaſterio presbyterum (*c*), qui ſacra Miſsarum ſollemnia celebrare debeat, ordinari: & quia hujuſmodi non eſt differenda petitio, fraternitatem veſtram ſcriptis præſentibus neceſsario duximus adhortandam, ut eum qui ad hoc miniſterium de eadem congregatione electus fuerit, cujus vita, mores, & actio tanto poſſit miniſterio convenire, ſine mora, auxiliante Domino, debeat conſecrari: quatenus nec ille de monaſterio ſuo hac pro cauſsa egredi, nec extraneum ſibi ad ſacrum opus cogatur adducere.

DIPLOMA CXXXII.

Epiſtola antedicti S. Gregori PP. ad Venantium patricium exmonachum. Contriſtatum ſe de Illius & Johannis epiſcopi diſcordia: huic reverentiam exhibeat, cauſſaſque ſuas agant, illæſa caritate.

Gregorius Venantio patricio exmonacho (*d*).

Eod. anno.

Ex cit. lib. 6. Ind.xiv.epiſt. 43.alias lib.5. Ind.xiv.epiſt. 42.

MUltum ea quam direxiſtis jam nos contriſtatos invenit epiſtola, quod inter vos & Johannem fratrem & coepiſcopum noſtrum, de quorum deſiderabamus gaudere concordia, ſcandalum prodiiſſe cognovimus. Quævis enim cauſſa fuiſſet, non uſque ad hoc debuit furor erumpere, ut armati homines veſtri, ſicut audivimus, in epiſcopium irruerent, & diverſa hoſtili more mala committerent, atque

---

(*a*) Aliqua de eo exhibuimus ſupra in monitis ad Dipl. cxii.

(*b*) In cit. Dipl. cxii. egimus etiam de Urbico abbate Panormitani monaſterii S. Hermæ.

(*c*) Ex hoc loco plane liquet paucos tum in monaſteriis Siciliæ presbyteros fuiſſe. Conſule Mabillonium *Annal. Bened.* tom. I. lib. 8. cap. 35. ſicuti & obſervationem noſtram ad Dipl. clxxix.

(*a*) Suborta lite inter Venantium, & Johannem epiſcopum Syracuſanum, ejus oblationes ab altari rejecit epiſcopus, vetuitque ne res divina fieret in ejus domo. Injuriam ulturus patricius, armatos milites miſit, qui domum epiſcopi devaſtarent. Ut jurgium

atque vos hæc res a paterna caritate interim divideret. Numquid non poterat, quælibet contentio fuerit, tranquille diſponi, ut nec partium utilitas detrimentum, nec ſentiret gratia læſionem? Cujus autem gravitatis, cujus ſanctitatis, cujus manſuetudinis ſupradictus frater noſter ſit, non habemus incognitum. Ex qua re colligimus, quia niſi vis cum doloris nimia coegiſſet, ad hanc rem de qua vos contriſtatos aſſeritis, ejus fraternitas nullatenus perveniſſet. Nos tamen ut hoc eo ſcribente comperimus, illico ei ſcripſimus, admonentes, ut & oblationes veſtras ſicut ante ſuſciperet, & Miſſas in domo veſtra non ſolum celebrari permitteret, ſed ſi velitis, etiam ipſe perageret, cauſſamque ſuam ſervata caritate exſequi debuiſſet. Et quia nullos diſcordes, vel fieri volumus vel manere, eamdem adhortationem iterandam eſse proſpeximus. Unde neceſſe eſt, cariſſime fili, ut & vos ſacerdotalem illi reverentiam exhibere, ſicut decet filios, debeatis, nec ejus ad iracundiam animos provocetis. Nam cum quo fidam eſtis gratiam habituri, ſi vobis, quod abſit, cum ſacerdote fuerit diſcordia? Itaque animorum tumore depoſito, ſic agere cauſſas quas habetis invicem ſtudete, ut & caritas inter vos intemerata permaneat, & alterutra manſuete procuretur utilitas.

DIPLOMA CXXXIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii Pontif. Max. ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Hortatur ut Venantio priſtinam oſtendat benevolentiam.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

QUamvis cauſſa fuerit, quæ fraternitatis veſtræ animos ad iracundiam non immerito provocaret, ut nec oblationes domni Venantii voluiſſetis ſuſcipere, nec in domo ipſius ſacra Miſſarum ſineretis ſollemnia celebrari; tamen quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullum nos jurgium a caritatis valeat connexione disjungere: proinde ſanctitatem veſtram, ſicut dudum ſcripſimus, adhortamur,

Eod. anno. Ex cit. lib. 6. Ind. XIV. epiſt. 44. alias lib. 5. Ind. XIV. epiſt. 43.

 qua-

gium intellexit S. Gregorius, duplicem ſcripſit epiſtolam: alteram cui illuſtrandæ nunc vacamus, Venantio: alteram mox exſcribendam, Johanni; quos ad pacem adhortatur, volens ut epiſcopo reverentiam exhibeat patricius, & ut patricio viciſſim priſtinam benevolentiam epiſcopus, Miſſam in ejus domo celebrari permittens, immo ſi opus eſſet, per ſe celebrare non detrectans, Baronius *Annal. Eccl.* ad annum 596. cap. 15. & Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 1. lib. 2. cap. 93. n. 10. Ceterum de Venantio majora ſcire qui cupit, conſulat quæ dedimus in notis ad Dipl. LXV. De Johanne autem epiſcopo Syracuſano egimus in obſervationibus ad Dipl. CXV. & CXXV.

(*a*) Confer cum præcedenti Diplomate.

quatenus & oblationes antedicti viri omnimodo in dulcedine, & Deo placita debeatis ſinceritate ſuſcipere, & in domo ipſius Miſſarum peragi myſteria permittatis: ut ſicut ſcripſimus, ſi fortaſſe voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Miſſas, priorem gratiam reformare. Oportet namque filiis ſacerdotalem vos affectum impendere, & in cauſſis, prout ratio ſuffragatur, juriſdictionem eccleſiæ veſtræ minime præterire. Hoc ergo deſiderans, neceſſe eſt ut ita ſe circa eos fraternitas veſtra diſcreta moderatione exhibere ſtudeat, ut & quod negotii qualitas exigit, ſalubriter peragat, & a paternæ caritatis gratia non recedat.

DIPLOMA CXXXIV.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii ad Urbicum abbatem S. Hermetis Panormi. Agathonem in monaſterio ſuſcipiat, ſi illius uxor ſimiliter converti voluerit.

Gregorius Urbico abbati monaſterii S. Hermetis, quod in Panormo ſitum eſt (*a*).

An. xiv. Ind. 595. & 596. Ex eod. lib. 6. Ind. xiv. epiſt. 48. alias lib. 5. Ind. xiv. epiſt. 49.

QUiſquis divina inſpiratione compunctus, relictis ſæculi hujus actionibus, ad Deum converti feſtinat, ita & cum caritate ſuſcipiendus eſt, & blandis per omnia conſolationibus refovendus, ut in ea quam elegit, Deo adjuvante, delectetur modis omnibus converſatione perſiſtere. Quia igitur Agatho (*b*) præſentium lator in monaſterio dilectionis tuæ converti deſiderat: hortamur, ut cum omni eum dulcedine dilectioneque ſuſcipias, atque ad æternam vitam ejus deſiderium aſſidua adhortatione ſuccendas, & circa animæ ipſius ſalutem diligenter ſtudeas eſſe ſollicitus; quatenus dum in Dei noſtri ſervitio, te admonente, devota mente perſtiterit, & illi proſit ſæculum reliquiſſe, & tibi ejus converſio proficiat ad mercedem. Quem tamen ita ſuſcipiendum eſſe cognoſce, ſi & uxor ipſius ſimiliter converti voluerit. Nam dum unum utrorumque corpus conjugii copulatione ſit factum, incongruum eſt partem converti, & partem in ſæculo remanere.

DI-

(*a*) De Urbico abbate Panormitani monaſterii S. Hermetis aliqua dedimus ſupra in monitis ad Dipl. cxii.

(*b*) Eumdem eſſe, ac Agathonem Romanum pontificem ſuſpicantur, Altaſerra hic, Pyrrhus *in Not. Eccl. Panorm.* & alii recentiores ſcriptores Siculi. Verum conjecturam hanc repudiant Monachi Benedictini in notis ad hanc epiſt. & Socii Bollandiani in Add. ad diem 10. Januarii; non quod Agatho papa & natione Siculus, & profeſſione monachus non fuerit: id enim abſque ulteriori teſtimonio refert antiquus & gravis ſcriptor Anaſtaſius Biblioth. ſed ob temporum diſtantiam: nam Agatho papa non ante annum 679. pontificatum iniit, unde diverſus videtur ab iſto, qui anno 596. relicta uxore & mundo monaſticum habitum induit. Porro Agatonē pa-

DIPLOMA CXXXV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. De miſſa Romam eleemoſyna gratias agit. In cauſſis judicandis ſolum Deum conſideret. Ne ad menſam ſcripta ſua deinceps faciat legi.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

BEnedictionem, quam pauperibus fraternitas veſtra tranſmiſit, lator præſentium homo veſter Candidus, nobis diſpenſantibus ſuis manibus erogavit: quod vobis ſecundum animum veſtrum fortaſſe parum viſum eſt. Nos tamen ſecundum modum veſtræ ſubſtantiæ eſſe nimium, & ultra modum æſtimamus, ut qui illic apud vos innumeros pauperes habetis, pro explenda largitate miſericordiæ, etiam loca alia, & longe poſita requiratis. De cauſſis vero aliis, vobis ſcriptis prioribus jam reſpondiſſe memini, & nihil aliud debetis, niſi ut ſub conſideratione ſolius omnipotentis Dei cuncta faciatis, & nullius perſona vos a vigore diſciplinæ emolliat, neque vehemens indignatio in rigore, quod abſit, aliquo immoderatæ diſtrictionis obduret.

An.xv.Ind. 596.& 597.

S.Greg. lib.7. Ind.xv. ep.9. alias lib.6.Ind. xv.ep.9.

Præterea audio quod aliqua de his quæ ſcripſiſſe me memini, fraternitas veſtra ad menſam ſuam coram extraneis legi (*b*) faciat: quod mihi non videtur eſſe faciendum, quia hoc quod vos pro caritate facitis poſſunt quidam, quantum ad me eſt, vanæ gloriæ deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant qui audierint informari.

DI-

papam ut ſuum veneratur & colit Panormitana noſtra eccleſia, hæc in ſuo Martyrologio die 9. Julii adjiciens verba: *Romæ ordinatio S. Agathonis papæ & confeſſoris, urbis Panormi civis, & patroni principalis, qui mira ſanctitate, ac doctrina eccleſiam exornans, poſt Romanum, & Conſtantinopolitanum concilium adverſus Monothelitas celebratum, & diuturnum Ravennæ ſchiſma deletum; pauperum patris, & miraculorum gloria Thaumaturgi nomen adeptus, migravit ad cælum anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo.*

(*a*) Is unus fuit ex piis illis epiſcopis, qui S. Gregorio pecuniam miſerunt redimendi gratia homines apud Longobardos per Italiam graſſantes, in captivitate detemptos, ut patet ex hac epiſtola, quam indicat & laudat Baronius *Annal. Eccl.* ad ann. 596. cap. 7. Ceterum de eodem Johanne aliqua dedimus in notis ad Dipl.cxxv.

(*b*) Locum iſtum de ſacra lectione in epiſcopali menſa adhibenda exſcribit Natal. Alex. *Hiſt. Eccl.* tom. 5. ſæcul. 6. cap. 2. art. 13. n. 17. & ex Concil. Mediolanenſi I. & Turonenſi III. erudite illuſtrat Guſſanvillæus hic.

DIPLOMA CXXXVI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Cyprianum diaconum. Siciliæ epiſcopos olim tertio quoque anno, jam quinto Romam proficiſci ſolitos, ad natale S. Petri convenire ſic procuret, ut inde nulla prætori oriatur ſuſpicio. Moneat quoque Liparitanum, & Regitanum epiſcopos. Libertinum conſoletur.

Gregorius Cypriano diacono (*a*).

An. xv. Ind. 596. & 597. Ex eod. lib. 7. Ind. xv. ep. 22. alias lib. 6. Ind. xv. ep. 19.

NOvit dilectio tua hanc olim conſuetudinem tenuiſſe, ut fratres & coepiſcopi noſtri Romam ſemel in triennio (*b*) de Sicilia convenirent: ſed nos eorum labori conſulentes, conſtitiſſe ut ſuam huc ſemel in quinquennio præſentiam exhiberent. Et quia jam diu eſt quod huc minime convenerunt, eos hortari te volumus ut natale S. Petri (*c*) hic, Deo perducente, nobiſcum debeant celebrare. Sed ne forte prætori aliqua poſſit naſci ſuſpicio, ſi eos huc admonitos venire cognoverit: voluntatem noſtram intelligens, ita hoc ex te facere ſtude; ut & ipſi ſicut prædiximus, ad diem conſtitutum huc veniant, & nulla de eis prætori (*d*) poſſit eſſe ſuſpicio. Liparitanum vero, & Regitanum epiſcopos, ut huc veniant pariter commonebis.

Circa Libertinum (*e*) vero virum magnificum eſto ſolicitus, ut nullus illum dolus decipiat: quia aliqua nobis de Ravennati urbe ſcripta ſunt, ipſamque ad te epiſtolam miſimus, ut ex ea qualiter te erga eum debeas exhibere, poſſis addiſcere. Conſolare autem eum, ut ſe non affligat: quia credimus quod nos excellentiſſimus filius noſter exarchus non contriſtet. Nam de perſona ipſius ſcribere non diſtulimus: ſed quia in Pado idem exarchus occupatus eſt, minime ſcripta ejus ſuſcepimus.

DI-

(*a*) De eo egimus jam in obſervationibus ad Dipl. XCIX.

(*b*) De epiſcopis Siculis Romam ad celebrandam ſynodum proficiſci ſolitis diximus in notis ad Dipl. XXIX. pag. 58.

(*c*) Ut ad natale potius S. Petri, quam alio tempore Romam epiſcopi Siculi pergerent, exſtant conſtitutiones ejuſdem S. Gregorii, hic Dipl. LXVI. in fine, LXXVII. in princ. & CXXXVI.

(*d*) Nullam prætori ſuſpicionem de epiſcoporum navigatione ad Urbem eſſe vult S. Gregorius, utpote qui ſciret plures olim illum inter & iſtos fuiſſe lites, ut conſtat ex Dipl. LXI. Ceterum de prætore Siciliæ, ejuſque officio agemus infra, Diſſertat. VII. Cap. V.

(*e*) Jam his ſordibus nomen ſuum inquinare cœperat Libertinus, quas nullo inde negotio eluere valens, fœdam ignominiæ labem ſubiit. Conſule Dipl. CXCIX.

DIPLOMA CXXXVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Donum epiſcopum Meſſanenſem. Fauſtino quindecim argenti libras, aut ex eccleſiæ pecunia, aut e ſacratis vaſis, in filiarum redemptionem tribuat.

Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi (*a*).

ET ſacrorum canonum, & legalia ſtatuta permittunt miniſteria (*b*) eccleſiæ pro captivorum eſſe redemptione vendenda. Et ideo quoniam Fauſtinus lator præſentium, ut filias ſuas de jugo potuiſſet captivitatis exuere, trecentorum triginta ſolidorum probatur debitum contraxiſſe, ex quibus triginta redditis, ad reliquæ quantitatis reſtitutionem eum certum eſt non poſſe ſufficere: fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut de argento Merienſis (*c*) eccleſiæ, cujus miles eſſe dignoſcitur, quod apud vos eſt, quindecim ei libras accepto ab eo deſuſcepto (*d*) dare modis omnibus debeatis: ut eo venundato, & reſtituto debito, neceſſitate valeat obligationis abſolvi. Sed & illud fraternitas veſtra debet eſſe ſolicita, ut ſiquidem de prædicta eccleſia uſuale argentum eſt, ſupraſcriptam quantitatem accipiat: alioquin de ſacratis vos vaſis hac in re eam quam prædiximus quantitatem præbere neceſſe eſt. Nam ſicut omnino grave eſt fruſtra eccleſiaſtica miniſteria venundare, ſic iterum culpa eſt, imminenti hujuſmodi neceſſitate, res maxime deſolatæ eccleſiæ captivis ſuis præponere, & in eorum redemptione ceſſare.

An. xv. Ind. 596. & 597.

Ex eod. lib. 7. Ind. xv. epiſt. 38. alias lib. 6. Ind. xv. epiſt. 35.

DI-

(*a*) Aliqua de eo expendimus ſupra in monitis ad Dipl. CXXIII.

(*b*) Id eſt, vaſa ſacra. Conſonat Dipl. CVII.

(*c*) Merienſem eccleſiam, cujus Fauſtinus miles, id eſt clericus, aut dominus erat, eamdem fuiſſe ac illam in poſſeſſione Fauſtini diœceſis Conſentinæ in Dipl. CXLI. commemoratam, putant hic Monachi Benedictini. Et quidem S. Gregorio familiare erat ut de rebus Brutiorum ad epiſcopos Siciliæ ſcriberet. Vide Dipl. CLI.

(*d*) Scilicet, deſcriptum vel exemplum. Conſonat Dipl. XCVI. pag. 146.

DIPLOMA CXXXVIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii Pontif. Max. ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Exortam inter abbates duos de agrorum finibus contentionem, ipſo præſente, agrimenſore adhibito finiendam.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

An.xv.Ind. 596.& 597.

Ex eod.lib.7. Ind.xv.epiſt. 39.alias lib.6. Ind.xv.epiſt. 36.

NE religioſorum virorum corda ſæcularium rerum intentio a mutua, quod abſit, caritate disjungat, magna eſt ſolicitudine ſtudendum; ut facillimum finem res poſſit in altercationem deducta percipere. Quia ergo indicante Cæſario abbate monaſterii ſancti Petri, quod in loco eſt, qui Bajas (*b*) dicitur, conſtitutum comperimus inter eum & Johannem (*c*) abbatem monaſterii ſanctæ Luciæ in Syracuſana civitate conſtituti, gravem eſſe exortam de quibuſdam finibus quæſtionem, ne ipſa inter eos valeat contentio prolongari, certamina eorum agrimenſoris definitione proſpeximus finienda. Et ideo ſcripſimus Fantino (*d*) defenſori, ut Johannem agrimenſorem, qui de Romana urbe Panormum profectus eſt, illuc ad fraternitatem veſtram debeat deſtinare. Hortamur ergo ut cum eo ad loca, de quibus eſt contentio, debeatis accedere, & utraque parte quominus conſtituta, loca quæ in lite ſunt, veſtra faciatis præſentia terminari, quadraginta (*e*) tamen annorum utrique parti præſcriptione ſervata. Quæcumque vero definita fuerint, ita ſervari fraternitas veſtra ſolicite ſtudioſeque provideat, ut denuo nec jurgium exinde aliquod excitari, nec querela aliqua ad nos valeat pervenire.

Cæſarius abbas venerabilis, quia noſter (*f*) olim fuerit, fraternitatem veſtram credimus non latere, & ideo eum vobis ſalva æquitate

tate

(*a*) Ejus recordati jam ſumus in notis ad Dipl. cxv. & cxxv.

(*b*) Hocce monaſterium memorant Acta Concilii III. ſub Agathone celebrati, ibi: *Theophane Deo amabili presbytero & abbate monaſterii, quod cognominatur Bajas, ſiti in Sicilia*. De eo agit etiam Anaſtaſius Bibliothecarius *in Vita Agath. papæ I. Stephanus* (inquiens) *abbas monaſterii, quod appellatur Bajas inſulæ Sicilienſis, patriarcha eccleſiæ Antiochenæ*.

(*c*) Eumdem eſſe putamus, de quo fit mentio in Dipl. LXXIV. & XCI.

(*d*) De eo agemus infra, Differt. VI. Cap. III.

(*e*) Quæ hic exhibentur de præſcriptione quadraginta annorum plane confirmat ipſemet S. Gregorius, Petro ſubdiacono rectori patrimonii ſui in Sicilia ſcribens, ſupra, Dipl. LXIII. pag. 101.

(*f*) Cæſarium ſuum olim fuiſſe abbatem perhibet S. Gregorius, forte quia ante præfecturam Syracuſani monaſterii S. Petri ad Bajas, abbas fuerat Romani monaſterii S. Andreæ apoſtoli, ubi ipſe S. Gregorius ante pontificatum ſub regulari diſciplina militaverat.

tâte in omnibus commendamus. Et quia in ſæcularibus cauſſis omnino inexpertus eſt, veſtra eum ſolicitudine neceſſe eſt adjuvari: ſic tamen ut in cunctis, ſicut decet, rationem & juſtitiam conſervetis.

DIPLOMA CXXXIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Cyprianum rectorem per Siciliam. Eccleſiæ Locrenſi idoneum epiſcopum ordinari procuret.

Gregorius Cypriano rectori noſtro per Siciliam (*a*).

Anno 597. *menſe Aug.*

Ex eod. lib. 7. Ind. xv. epiſt. 41. alias lib. 6. Ind. xv. ep. 38.

HAbitatores Locrenſis (*b*) civitatis quemdam ad nos presbyterum adduxerunt, qui eis debuiſſet epiſcopus ordinari. Sed quia minime dignus inventus eſt: ne diu ſine proprio poſſint conſiſtere ſacerdote, a nobis admoniti in ſcrinio promiſerunt alium ſtudioſe ſe quærere, & ad nos conſecrandum, Deo adjutore perducere. Et ideo ad dilectionem tuam latore præſentium veniente, Marcianum presbyterum diœceſeos Taurianenſis (*c*) eccleſiæ, qui nunc habitat in eccleſia, quæ eſt in maſſalargia (*d*) conſtituta, diœceſis Catanenſis eccleſiæ, ad te facito modis omnibus evocari; atque eum ſtudii tui ſit de criminibus, quæ ad epiſcopatum accedere non permittunt, cum omni ſubtilitate requirere. Et ſi eorum ſe expertem eſſe reſponderit, cum præſentium portitore eum feſtina dirigere, ut facto in eum decreto, ad nos veniat Deo protegente ordinandus. Si vero eſt aliquid, quod ei poſſit obſiſtere, hunc qui ad dilectionem tuam venit, cum omni cura & celeritate dimitte, ut eo ad loca ſua remeante, alter ſecundum ea quæ præmiſſa ſunt, requiratur. Datum menſe Auguſti, indictione xv.

(*a*) Conſule quæ de eo expoſuimus in notis ad Dipl. xcix. pag. 148.

(*b*) Celebris olim urbs & epiſcopalis, apud Brutios in magna Græcia ad mare Jonium, a promontorio Zephyrino parum diſtans, ſuper cujus ruinas ædificata eſt Heracium civitas quoque epiſcopalis. Conſule Dipl. cxciv.

(*c*) De eccleſia Taurianenſi, ejuſque epiſcopo agunt Dipl. lxviii. lxxxii & lxxxiii.

(*d*) Locus alioquin incognitus: niſi legendum eſſet *maſſa Largia*, quemadmodum in aliquibus Codd. M. SS. contineri referunt Monachi Benedictini hic. Maſſas enim ſub diverſis nominibus in Sicilia tunc temporis fuiſſe, oſtendemus infra, Differt. v. num. 2.

DIPLOMA CXL.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad eumdem Cyprianum diaconum. Curet ne Theodorus maleficus, aut Meſſanenſium clericorum aliquis Paulæ adverſetur.

Gregorius Cypriano diacono.

An.xv.Ind. 596.& 597.
Ex eod. lib.7. Ind.xv. epiſt. 44. alias lib.6. Ind.xv. epiſt. 41.

QUeſta nobis eſt Paula præſentium latrix, quemdam Theodorum ex Judeo (*a*) ſibi minis fruſtra inimicum exſiſtere; in tantum ut quod dici nefas eſt, iniquitate maleficiorum eam lædere moliatur, atque ab hominibus eccleſiæ Meſſanenſis eumdem Theodorum contra hoc facinus fortius vindicari. Dilectio igitur tua ſtudeat, ut nullus eccleſiaſticorum prædictæ mulieri in hac cauſſa tentet adverſus exſiſtere. Sed ad inveſtigandum hoc ipſe, ut potueris, eſto ſolicitus. Et ſi ſupraſcriptus Theodorus tantæ iniquitati obnoxius eſſe patuerit, ita hoc diſtricta ultione per hos quorum intereſt, facias vindicari, ut & Deus placari poſſit, & aliis exemplum coercitionis ſit.

DIPLOMA CXLI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Donum epiſcopum Meſſanenſem. Nuſquam vendendum humandi corporis locum. Reſtituenda quædam mancipia.

Gregorius Dono epiſcopo Meſſanæ (*b*).

An.1.Ind. 597.& 598.
S.Greg.lib.8. Ind. 1. epiſt. 3. alias lib.7. Ind. 1. ep. 4.

FIlius noſter Fauſtinus, vir eloquentiſſimus, ad nos veniens queſtus nobis eſt, quod pater ejus quondam Peltraſius aliqua veſtræ eccleſiæ ſepulturæ ſuæ gratia juris alieni reliquerit. Et quidem quid de hac re ſæculi leges habeant, & ipſe novit, & nos audivimus: quia heres ad ſolvendum cogitur, ſi auctor ejus aliena legaverit. Sed quia fraternitatem veſtram lege Dei, non autem lege ſæculi novimus vivere, valde mihi injuſtum videtur, ut calis electrinus, & puer qui cujuſdam eccleſiæ in poſſeſſione ejus poſitæ, diœceſeos Conſentinæ eccleſiæ eſſe perhibetur, a tua fraternitate teneatur. Quum enim & vir reverendiſſimus Palumbus, nunc epiſcopus, tunc vero archidiaconus, ita fuiſſe teſtatus eſt, vos omnino ejus fidei credere, & aliena reſtituere debui-

(*a*) Judæos tunc temporis fuiſſe in Sicilia ulterius docent nos Dipl. LXXVI. LXXXVI. & alia in indice opportunius indicanda.

(*b*) De eo ſupra, Dipl. CXXIII.

buiſtis. Fibulam (*a*) vero auream, quam prædictus vir moriens pariter reliquit, conſiderare, ut arbitror, debuiſtis, quæ eſſet ſumma ejus ſubſtantiæ, ſi quid eſſet unde hi quos reliquerat ſuſtentari debuiſſent, & tunc pro ſepultura ejus accipere. Quamvis noſtrum inſtitutum noveris, nos antiquam conſuetudinem noſtram a noſtra eccleſia omnino vetuiſſe, nec cuiquam aſſenſum præbere ut loca humandi (*b*) corporis pretio poſſint adipiſci. Nam ſi gentiles, ut arbitramur, viri Sichimitæ Abrahæ pro Sara mortua atque in loco proprio humanda ſepulturam gratis obtulerunt, & vix magna ejus importunitate coacti ſunt ut pretium de loco ſepulturæ perciperent, nos qui epiſcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus penſa facere quid debemus. Hoc ergo fraternitatis veſtræ judicio committimus.

Et hoc quoque nobis prædictus eloquentiſſimus vir queſtus eſt, Siſinnium (*c*) defenſorem eccleſiæ tuæ irrationabiliter juri ſuo mancipia competentia detinere. De quibus etiam judicio ſanctæ memoriæ Maximiani epiſcopi (*d*), ut ea detentor redderet, eſſe aſſerit definitum: ſed eorum reſtitutionem hactenus voluntarie diſtuliſſe. Hortamur ergo fraternitatem tuam ut ſi manifeſte cauſſa jam judicata eſt, quæ ſtatuta ſunt compleantur. Alioquin deputato exſecutore ad fratris & coepiſcopi noſtri Secundini (*e*) partes facere judicium convenire: ut dum cujus ſint juris mancipia, de quibus quæſtio vertitur, ejus fuerit ſententia declaratum, nec hic præjudicium, nec ille videatur invidiam ſuſtinere.

(*a*) Munus erat magni pretii ab imperatoribus dari ſolitum, ut advertit hic Guſſanvillæus.

(*c*) Diſciplinam de non vendendo loco humandi corporis erudite ſatis ac diſerte illuſtrat Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 3. lib. 1. cap. 65. & ſeqq.

(*d*) De Siſinnio defenſore, & defenſorum officio & numero agemus infra, Diſſert. VI. Cap. III.

(*e*) Scilicet Syracuſani, qui ſuper omnes eccleſias Siciliæ apoſtolicas vices gerebat, ſupra Dipl. LXXXI.

(*g*) Is epiſcopus erat Tauromenii, de quo aliqua præfati ſumus in monitis ad Dipl. LXXVIII. pag. 124. & ſeq.

DIPLOMA CXLII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad plurimos metropolitas, & epiſcopos, & nominatim ad illos Siciliæ. Publicis rationibus obligatos, neque in clero, neque in monaſterio ſuſcipiendos: milites vero per triennium prius probandos, quam monaſticum habitum induant.

Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi (*a*), Urbitio Diracitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Johanni Corinthi, Johanni primæ Juſtinianæ, Johanni Cretenſi Scoritano, Johanni Lariſſæ, Mariniano Ravennæ, Januario Caralis Sardiniæ, & omnibus epiſcopis Siciliæ (*b*).

Anno 597. *menſe Dec.*

Ex eod. lib. 8. Ind. 1. epiſt. 5. alias lib. 7. Ind. 1. ep. 11.

LEgem quam piiſſimus imperator (*c*) dedit, ne fortaſſe hi qui militiæ, vel rationibus ſunt publicis obligati, dum cauſſarum ſuarum periculum fugiunt, ad eccleſiaſticum habitum veniant, vel in monaſteriis convertantur, veſtræ ſtudui fraternitati tranſmittere: hoc maxime exhortans quod qui ſæculi actionibus implicati ſunt, in clero eccleſiæ propere ſuſcipiendi non ſunt: quia dum in eccleſiaſtico habitu non diſſimiliter quam vixerant vivunt, nequaquam ſtudent ſæculum fugere, ſed mutare. Quod ſi etiam tales quique monaſterium petunt, ſuſcipiendi nullo modo ſunt, niſi prius a rationibus publicis fuerint abſoluti. Si qui vero ex militaribus numeris in monaſteriis converti feſtinant, non ſunt temere ſuſcipiendi, niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita. Et juxta normam regularem debent in ſuo ha-

(*a*) Theſſalonica urbs clariſſima ad ſinum maris Ægæi Thermaicum, Macedoniæ olim metropolis non modo civilis, ſed & eccleſiaſtica, ſedeſque vicarii Sedis apoſtolicæ per Illyricum Orientale. Vide, ſis, Guſſanvillæum, & Monachos Benedictinos hic.

(*b*) Vel ex hac tantum inſcriptione datur intelligi, proprio tunc metropolita Siciliam caruiſſe: nam ſi aliquis exſtitiſſet dignitate ejuſmodi præditus, non omnibus epiſcopis, ſed illi ſingillatim S. Gregorius inſcripſiſſet, præcepta ſuffraganeos epiſcopos edocturo, quemadmodum feciſſe noſcitur cum aliis metropolitis hic commemoratis. Conſule Diſſert. 11. ad calcem Voluminis edendam.

(*c*) Nempe Mauritius, qui legem condidit, ne actionibus publicis obligati in clero vel in monaſterio ſuſciperentur, & ne milites ante finitum tempus militandi monachi fierent; quam legem ut minus eccleſiaſticam libertatem læderet, expoſuit S. Gregorius, præcipiens ut primi, quum fuerint obligationis nexibus ſoluti, clericalem, aut monaſticum habitum libere induere poſſint, ſimiliter & ſecundi, ubi per triennium in ſancto propoſito fuerint perſeverantes. Conſule Baronium *Annal. Eccl.* ad annum 493. cap. 23. & ſeqq. & Thomaſinum *de Vet. & Nov. Eccl. Diſc.* par. 1. lib. 3. cap. 61. n. 10. & ſeqq. & par. 2. lib. 1. cap. 67. & 68.

habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum, Deo auctore, ſuſcipere. Qui ſi ita ſunt probati, atque ſuſcepti, & pro anima ſua pœnitentiam de perpetratis culpis agere ſtudent, pro eorum vita & lucro cæleſti, non eſt eorum converſio renuenda. Qua de re etiam ſereniſſimus, & Chriſtianiſſimus imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum converſionem ſuſcipit, quos in rationibus publicis implicatos non eſſe cognoſcit. Menſe Decembri, indictione prima.

DIPLOMA CXLIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Leonem epiſcopum Catanenſem. Segregatam ex eccleſiæ ſuæ redituum quartam portionem clericis juxta laboris meritum dividat.

Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſium (*a*).

AD hoc locorum gradus rationis ordo diſtinxit, & judicia eſſe conſtituit, ut nec præpoſiti in opprimendos ſe fruſtra valeant occupare ſubjectos, nec ſubjectis iterum contra ſuos præpoſitos effrenata ſit reſultandi licentia. Et ideo quia per decimam quintam nuper indictionem elapſam eccleſiæ tuæ acolythi (*b*), dato contra te capitulari, quædam conqueſti ſunt: ne aut in tuæ fraternitatis invidia remanerent, aut illos in ſuis videremur petitionibus non audire, dilectiſſimo filio noſtro Cypriano diacono (*c*) ea ſubtiliter inquirenda mandavimus. Qui injuncta cognoſcens, quid de capitulo unoquoque decreverit, inquiſitioni noſtræ eſt ſubtilius patefactum. Et quia inter alia de quarta portione (*d*) clerus hoc tenendum ſtatuit, ut unam portionem hi qui in ſacro loco ſunt poſiti, & reliquas duas clerus accipiat, & latores præſentium Donatus presbyter, necnon & Theodoſianus, atque Viator diaconi, aliorum quoque qui in ſacrato ſunt ordine conſtituti relationem ad nos deferentes, conqueſti ſunt hoc contra antiquam conſuetudinem in ſuo gravamine prejudicialiter ſtatutum: quippe quia de eadem quarta ſemper ſe duas partes, & tertiam clerum perhibent conſequutum, & petiverunt ne hæc diffinitio in

An. 1. Ind. 597. & 598.

Ex eod. lib. 8. Ind. 1. ep. 7. alias lib. 7. Ind. 1. ep. 8.

(*a*) De eo egimus in admonitionibus ad Dipl. LXXXVII.

(*b*) Acolythos in eccleſia Sicula jam inde ab antiquioribus temporibus Gelaſii papæ fuiſſe, diſcimus ex Dipl. XXXII. cap. 2. pag. 64.

(*c*) Is erat rector patrimonii S. Petri in Sicilia, de quo pauca diximus in notis ad Dipl. XCIX. & majora ſumus dicturi in Diſſert. VI. Cap. I.

(*d*) Ex bonis eccleſiæ quartam partem clericis per epiſcopum dari præcipit S. Gregorius, ſecutus decretum Gelaſii, hic Dipl. XXXII. pag. 73. Vide ibi.

in ſuo præjudicio permaneat : nos hoc fraternitatis tuæ diſpoſitioni oportere prævidimus committendum.

Volumus ergo, ut quidquid eccleſiæ tuæ ex reditu, vel quolibet alio titulo fortaſſis acceſſerit, quartam exinde portionem ſine diminutione aliqua debeas ſegregare, atque ea ſecundum Dei timorem presbyteris, diaconis, ac clero, ut tibi viſum fuerit, diſcrete dividere: ita ſane ut unicuique ſicut meritum laboris exegerit, libera tibi ſit, juxta quod prævideris, largiendi licentia: quatenus & hi qui merentur, etiam temporali ſe ſentiant hoc commodo conſolari, & alii adjuvante domino, eorum ad melius contendant imitatione proficere.

DIPLOMA CXLIV.

Epiſtola præfati S. Gregorii magni ad Maurentium magiſtrum militum. De ſacræ lectionis ſtudio gratulatur. Sic ſtudentium deflet raritatem, ut ſe collegam ſpondeat.

Gregorius Maurentio magiſtro militum (*a*).

An. 1. Ind. 597. *&* 598. Ex eod. lib. 8. Ind. 1. ep. 17. alias lib. 12. Ind. VII. epiſt. 25.

Dilectiſſimus filius meus Cyprianus diaconus (*b*) revertens mihi valde placuerat, ſi ad me totus rediiſſet; ſed poſtquam gloria veſtra in Sicilia ſeſe retinuit, certiſſime ſcio, quia prædictus filius meus ad me quidem corpore rediit, ſed mente in Sicilia remanſit. Hæc tamen dicens, tantum quieti veſtræ congaudeo, quantum de meis occupationibus ingemiſco. Atque hoc ſummopere exhortor, ut ſi palatum cordis dulcedo tetigit intimæ ſuavitatis, ita introrſus rapiatur animus, ut triſte ſit omne, quod foris ſonat, omne quod foris delectat. Laudo autem quod humana conventicula cavetis: quia ſæpe animus qui renovari in Deo per compunctionis gratiam deſiderat, per prava colloquia, atque verba iterum veteraſcit. Quæſivi autem qui vobis adhæreant in lectionis ſacræ collegio, & neminem (*c*) reperi, & vehementer ingemui paupertatem boni. Et quamvis peccator ego valde occupatus ſum; tamen ſi ad beati Petri apoſtoli limina venire volueritis, in ſacro eloquio ſtrictum poteritis me habere collegam. Omnipotens Deus cæleſti vos protectione cuſtodiat, atque ab antiqui hoſtis inſidiis munitos permanere concedat.

DI-

(*a*) Conſule Differt. VII. Cap. XII. *de Magiſtris militum*.

(*b*) De eo in præcedente epiſtola, & in notis ad Dipl. XCIX.

(*c*) Non ille ſenſus eſt, neminem tunc fuiſſe in Sicilia qui ſacræ lectioni incumberet, ſed qui in hoc ſtudio ſocius Maurentii eſſet, aut certe pauciores tunc fuiſſe, quos lectio hujuſmodi delectaret. Conſule quæ dedimus in monitis ad Dipl. XCIV.

DIPLOMA CXLV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad eumdem Maurentium. Comitiolo de Romana eccleſia bene-merito priſtinum impendat favorem.

Gregorius Maurentio magiſtro militum.

VEniens dilectiſſimus filius noſter Cyprianus Diac. (*a*), laudabile Comitioli ſtudium, & quam nobis utilitatem Urminati caſtro fecerit, indicavit. Sed & multa de eo bona diverſis teſtificationibus olim cognovimus. Et quia eum apud vos, ſicut ante fuit, modo non eſſe audivimus: gloriam veſtram petimus, ut ſi quid eſt, unde juſte veſtros animos fortaſſis offendit, nobis quidquid illud eſt, remittatis, eique plenam gratiam reddere, atque illum in ea qua apud vos dudum fuit familiaritate recipere debeatis, & veſtrum illi favorem, ſicut revera proprio, ſalva ratione quocumque uſus exegerit, impendatis. Ita ergo facite, ut de integro ei gratia reſtituta, aut ipſo renuntiante, aut aliis referentibus poſſimus agnoſcere.

Eod. anno. Ex cit. lib. 8. Ind. 1. ep. 19. alias lib. 10. Ind. v. epiſt. 20.

DIPLOMA CXLVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Felicem Chriſtianis parentibus natum, a Samaræi ſervitio liberet.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*b*).

FElix præſentium portitor queſtus nobis eſt, quum ſit de Chriſtianis natus parentibus, a quodam Chriſtiano Samaræo (*c*), quod dici ſcelus eſt, eſſe donatum. Et dum hujuſmodi ſuperſtitionis homines Chriſtiana quolibet modo mancipia (*d*) poſſidere, nec ratio legis, nec reverentia religionis admittat; ſe tamen per decem & octo annos in ejus aſſerit ſervitio permanſiſſe: ſed cognoſcente hoc ſanctæ memoriæ deceſſore veſtro Maximiano (*e*), ab eo ſe zelo, ſicut decuit, ſacerdotali commoto, de Samaræi ſervitio nefario dicit liberatum. Sed quia ejuſdem Samaræi filius poſt quinque annos factus dicitur

Eod. anno. Ex cit. lib. 8. Ind. 1. epiſt. 21. alias lib. 8. Ind. 1. epiſt. 22.

(*a*) Vide quæ de eo indicavimus in notis ad Dipl. proxime exſcriptum.

(*b*) De eo egimus jam in admonitionibus ad Dipl. cxv. & cxxv.

(*c*) Id eſt Judæo, ut diximus in notis ad Dipl. cxxvii.

(*d*) Quod Judæis vetitum fuerit Chriſtiana mancipia in ſua poteſtate retinere, probavimus in admonitionibus ad Dipl. xcv. pag. 145.

(*e*) De eo ſupra, Dipl. lxxxi.

citur Chriſtianus, & ſupradictum Felicem in ejus ſervitium, quantum ipſe dicit, quidam nituntur redigere, ſanctitas veſtra hæc quæ edocti ſumus, diligenter inquirat; & ſi ita ei eſſe conſtiterit, eum tueri ſtudeat, & a nullo ſub qualibet occaſione gravari permittat: quia dum ſuperſtitioſæ ſectæ mancipia dominos ſuos ad fidem præcedentia, ſervitio eorum aperte redigi jura prohibeant; quanto magis hic de Chriſtianis parentibus natus, & factus a parvulo Chriſtianus, hanc non debet quæſtionem aliquo modo ſuſtinere; maxime quia nec patris ejus eſſe ſervus potuit, quem liquet ex prava potius præſumptione pœnam poſſe venientem de legibus ſuſtinere? Et ideo ſicut diximus, ita eum ſanctitatis veſtræ defenſio rationabiliter tueatur, ut nulli eum ſub quolibet argumento ſit aliquatenus affligendi licentia.

DIPLOMA CXLVII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Fantinum defenſorem. Ut Judæos ad Chriſtianam fidem accedentes juvet, pergat Agrigentum.

Gregorius Fantino defenſori (*a*).

Anno 598. *menſe Junio.*

Ex cod. lib. 8. Ind. I. epiſt. 23. alias lib. 7. Ind. I. epiſt. 24.

DOmna (*b*) abbatiſſa monaſterii ſancti Stephani (*c*), quod in Agrigentino eſt territorio conſtitutum, indicante, comperimus multos Judæorum ad Chriſtianam fidem, divina gratia inſpirante, velle converti; ſed eſſe neceſſarium ut aliquis illuc ex noſtro mandato debeat proficiſci. Proinde hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut omni excuſatione ſubmota, ad prædictum locum pergere, & deſiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adjuvare feſtines. Quibus tamen ſi longum vel triſte videtnr ſollemnitatem ſuſtinere

(*a*) De Fantino defenſore agemus infra, Diſſert. VI. Cap. III.

(*b*) Vox barbara pro *domina* uſurpata, ſicut ſupra Dipl. CXV. & CXXXIII. *domnum* pro *dominum* uſurpatum vidimus, quare non aſſentimur Sociis Bollandianis die 23. Junii *de S. Agrippina*, qui voce hujuſmodi offenſi, *domnina* gratis legendum putant. Porro Monachi Benedictini omnium manuſcriptorum codicum obſervatores diligentiſſimi, nullam de hac voce mentionem facientes, in aliquibus *domina*, in aliis *dominica*, in pluribus *domna*, ſcriptum inveniſſe referunt.

(*c*) De hoc monaſterio fit quoque mentio in cit. hiſtoria translationis S. Agrippinæ; quæ quod pluribus ſcateat mendis, legenda eſt cum caſtigationibus eorumdem Bollandiſtarum. Pyrrhus noſter *in Not. Eccl. Agrig.* hocce monaſterium ibi putat fuiſſe ſitum, ubi nunc eſt templum S. Mariæ, ab urbe Agrigento ad mille paſſus diſſitum. Conjecturam ſequuntur, Guſſanvillæus, & Monachi Benedictini in notis ad hanc epiſtolam. De eodem monaſterio aptius redibit ſermo in Diſſert. III. ad calcem hujus Voluminis edenda, Cap. 3. n. 35.

nere Paſchalem (*a*), & eos nunc ad baptiſma feſtinare cognoſcis; ne, quod abſit, longa dilatio eorum retro poſſit animos revocare, cum fratre noſtro epiſcopo (*b*) loci ipſius loquere, ut pœnitentia, ac abſtinentia (*c*) quadraginta diebus indicta, aut die dominico, aut ſi celeberrima feſtivitas fortaſſis, occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizet: quia & temporis qualitas, propter eam quæ ſibi imminet cladem, impellit, ut deſideria eorum nulla debeant dilatione differri. Quoſcumque vero ex eis pauperes, & ad veſtem (*d*) ſibi emendam non ſufficere poſſe cognoſcis, te eis veſtem quam ad baptiſma habeant, comparare volumus ac præbere: in quibus pretium quod dederis, tuis noveris rationibus imputandum. Si vero ſanctum Paſcha elegerint expectare, iterum cum epiſcopo loquere, ut modo quidem catechumini fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque ſolicitudinem, & animos eorum admonitione ſuæ adhortationis accendat: ut quanto quæ expectatur elongatur feſtivitas, tanto ſe præparare & eam deſiderio ferventi debeant ſuſtinere.

Præterea cum omni ſtudio, ac diligentia ſtudii tui ſit perſcrutari utrum ſupradictum monaſterium, cui antedicta domna præeſt, ſufficiens ſibi ſit, an neceſſitatem aliquam patiatur. Et quidquid in veritate cognoveris, vel quid de his, qui baptizari deſiderant, actum fuerit, nobis ſubtiliter indicare feſtina. Menſe Junio, indictione prima.

DIPLOMA CXLVIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Victorem epiſcopum Panormitanum. Judæos in his, quæ ipſis conceſſa ſunt, nullo incommodo afficiendos.

Gregorius Victori epiſcopo Panormitano (*e*).

An. 1. Ind. 597. & 598.
Ex eod. lib. 8. Ind. 1. ep. 25. alias lib. 7. Ind. 1. ep. 26.

SIcut Judæis non debet eſſe licentia quidquam in ſynagogis ſuis ultra quam permiſſum eſt lege præſumere: ita in his, quæ eis conceſſa ſunt, nullum debent præjudicium ſuſtinere. Quæ autem nobis in hac urbe Roma habitantes Hebræi pro his qui Panormi degunt, conqueſti ſunt, data vos ab eis petitio, quæ in ſubditis tenetur,

(*a*) Propter imminens periculum reincidentiæ diſpenſat hic S. Gregorius ſeveriori illi diſciplinæ, ne ſollemne baptiſma extra Paſcha & Penteçoſten celebretur. Conſule Diſſert. IV. Cap. I.

(*b*) Scilicet Gregorio, de quo aliqua dedimus in notis ad Dipl. LXXVII.

(*c*) Ad minus quadrageſimali pœnitentia ſe ipſos probare debebant qui ad ſacramentum baptiſmi accedere cupiebant. Conſule Diſſertationem noſtram proxime citatam, Cap. IV.

(*d*) Albam ſcilicet veſtem, qua baptizati ſtatim induebantur, ut docent, Euſebius *in Vita Conſtant.* lib. 4. cap. 62. S. Ambroſius lib. *de Myſteriis* cap. 7. S. Auguſtinus ſerm. 223. & epiſt. 34. novæ editionis, & alii ultimæ antiquitatis patres, quos indicat & laudat Edmundus Martene *de Antiq. Eccl. Ritib.* tom. I. cap. I. art. 15. n. 5.

(*e*) Victor Panormitanus epiſcopus, de quo

tur, informat. Si igitur querimonia eorum veritate fulcitur, oportet ut fraternitas veſtra, legis ſerie diligenter inſpecta, ita eis quidquid hac de re decretum eſt, cuſtodire debeat ac ſervare, ut nec ipſa aliquid injuſtum facere, nec illi pati præjudicium videantur. Si vero eſt aliquid quod ad reſtituendum ea quæ ſunt poſtulata rationabiliter poſſit obſiſtere, judices a partibus eligantur, qui ea quæ æquitati conveniunt, valeant definire. Quod ſi forte illic contentio ipſa finiri nequiverit, ad nos venire cauſſam neceſſe eſt: quatenus ſine veſtra invidia, quæ amica juſtitiæ viſa fuerint decernantur. Quouſque ergo cauſſa ipſa finem accipiat, a conſecratione locorum, quæ ablata dicuntur, fraternitas ſe veſtra ſuſpendat.

DIPLOMA CXLIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii Pontif. Max. ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Quæ clerici vaſa ſacra vendiderant Pantaleo notarius requirat.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

An. 1. Ind. 597. & 598. QUia pervenit ad nos, quod quidam ex Italiæ (*b*) eccleſia clerici vaſa ſacra in Sicilia venundarunt: iccirco Pantaleonem notarium (*c*) noſtrum direximus, ut eadem vaſa ſolicita inveſtigatione requireret. Qui poſtquam in veſtræ ſanctitatis eſt obſequio occupatus, eamdem cauſſam eum cognovimus neglexiſſe. Oportet ergo ut fraternitas veſtra congrua debeat ſolicitudine providere, ut tempore quo utile eſſe crediderit, eum ad peragenda ea ipſa debeat relaxare: quatenus & ipſa de illo poſſit habere ſolatium, & ipſe ſalubriter valeat quæ ſibi ſunt mandata Deo adjuvante peragere: quia neceſſe eſt, ut indictione ſubſequenti huc veniat, & ſubtiliter nos coram poſitus de cunctis informet.

Ex eod. lib. 8. Ind. 1. ep. 26. alias lib. 7. Ind. 1. ep. 27.

DI-

---

quo aliqua præfati ſumus in monitis ad Dipl. CXII. Judaicam gentem adeo perſequendam ſibi delegit, ut neque reveritus ſit hanc S. Gregorii juſſionem, de eorum ſynagogis ritu ſacro non conſecrandis: quod fuit in cauſſa, quamobrem ipſemet S. Gregorius Fantino defenſori Panormitano ſcriberet, hic Dipl. CLXX. ut pro eiſdem ſynagogis irrationabiliter occupatis, & conſecratis pretium ſolveret ipſe Victor. Quia ſicuti leges a Judæis novas non patiuntur erigi ſynagogas, ita quoque eos ſine moleſtia veteres habere permittunt. Eadem habet in epiſtola ad Januarium epiſcopum Caralitanum lib. 9. Ind. 11. epiſt. 6. alias 5.

(*a*) De eo egimus jam in notis ad Dipl. CXV. & CXXV.

(*b*) Confer cum Dipl. CVII.

(*c*) Eum S. Gregorius laudat, quod ad juſtam menſuram modium, quo eccleſiæ coloni frumenta dabant, redegerit. Conſule Dipl. CCLVIII. & præterea Diſſ. VI. Cap. *de Notariis Eccleſiæ.*

DIPLOMA CL.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Johannem epiſcopum Syracuſanum. Ne Catanenſes diaconi campagis calceati procedere præſumant.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano.

ECcleſiaſtici vigoris ordo confunditur, ſi aut temere illicita præſumantur, aut impune non conceſſa tententur. Pervenit itaque ad nos diaconos eccleſiæ Catanenſis calciatos campagis (*a*) procedere præſumpſiſſe; quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, niſi ſolis tantummodo diaconis eccleſiæ Meſſanenſis (*b*), quibus olim a prædeceſſoribus noſtris non dubitatur eſſe conceſſum, bene recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis auſus non eſt leviter attendendus, cum omni hoc fraternitas veſtra ſubtilitate perquirat: & ſi ita ſicut ad nos pervenit, invenerit, utrum a ſe, vel alicujus hoc auctoritate præſumpſerint, nobis ſubtiliter innoteſcat, ut cognita veritate, quid fieri debeat, diſponamus. Nam ſi negligenter ea quæ male uſurpantur omittimus, exceſſus viam aliis aperimus. Menſe Junio, indictione prima.

Anno 698. menſe Junio. Ex eod. lib. 8. Ind. 1. epiſt. 27. alias lib. 7. Ind. 1. ep. 28.

DIPLOMA CLI.

Epiſtola præfati S. Gregorii PP. ad Secundinum epiſcopum Tauromenitanum. Ne patiatur monaſterium in laicæ perſonæ poteſtatem venire.

Gregorius Secundino epiſcopo Tauromenitano (*c*).

QUerimoniam monachorum monaſterii Caſtellienſis (*d*) oblata ab eis petitio, quæ tenetur in ſubditis, patefecit. Proinde fraternitas veſtra hæc quæ afferunt, ſolicita perſcrutari cura ſtudeat. Et ſi ea invenerit veritate ſubſiſtere, tuitionem illis impendat; & monaſterium, quod monaſterio eorum unitum eſt, ſecundum conſue-

Eod. anno. Ex cit. lib. 8. Ind. 1. ep. 31. alias lib. 7. Ind. 1. epiſt. 31.

(*a*) Calceamenti genus ſimile ſandaliis, quibus epiſcopi hodie utuntur. Vide Du-Cang *in ſuo Gloſſar.* verbo *Campagus*.

(*b*) Singulare hoc Meſſanenſis eccleſiæ privilegium indicat quoque & laudat Johannes Diaconus *in Vita S. Greg.* lib. 4. cap. 8.

(*c*) Aliqua de eo exhibuimus in monitis ad Dipl. LXXVIII.

(*d*) Hocce monaſterium ſitum erat prope Squillacium in Calabria, a magno illo Caſſiodoro ſexto ſæculo ineunte exſtructum, & ſui ſeceſſu nobilitatum, ut breviter notant hic Monachi Benedictini, & diſerte referunt in Vita ejuſdem Caſſiodori ejus operibus præmiſſa par. 2. §. 6. & ſeq. noſque obſervavimus ſupra, Dipl. XXXIV. illuſtrantes. Jura ejuſdem monaſterii Secun-

ſuetudinem deputatis de congregatione eorum illic monachis, provideat ordinari. Quia rationis ordo non patitur, ut monaſterium ipſum, & maxime contra voluntatem fundatorum, ab eorum diſpoſitione ad arbitrium ſuum præſertim laica perſona ſubducat, aut aliquis ſibi in id jus debeat vendicare.

DIPLOMA CLII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Leontium exconſulem. Jeruſalem cives nonnumquam Babyloniæ ſervire, & viciſſim. Laudat Leontii manſuetudinem, humilitatem, juſtitiam. Ipſi pro muneribus gratias agit, & de catenis S. Petri ſcobem clave incluſam largitur.

Gregorius Leontio exconſuli (*a*).

An. 1. Ind. 597. & 598.
Ex eod. lib. 8. Ind. 1. epiſt. 35. alias lib. 7. Ind. 1. ep. 34.

QUia in magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam; quis ignoret quod & in universæ Eccleſiæ ſinu alii velut vaſa contumeliæ rebus deputantur infimis, alii vero ut honoris vaſa rebus aptantur mundis? Et tamen plerumque contigit ut & cives Babyloniæ in angaria ſerviant Jeruſalem, & cives Jeruſalem, id eſt cæleſtis patriæ in angaria deputentur Babyloniæ. Quum enim electi magnis moribus prædititi, modeſtia ornati, lucra propria non quærentes, terrenis deputantur rebus, quid aliud quam ſanctæ Jeruſalem cives in Babyloniæ opere ſerviunt? Et quum quidam in pravis moribus effrenati locum ſancti honoris tenent, atque in ipſis quæ bene facere videntur, propriam laudem quærunt, quid aliud quam cives Babyloniæ, ſupernæ Jeruſalem angarias exſolvunt? Sic enim Judas apoſtolis admixtus, diu Redemptorem humani generis prædicavit, ſigna cum ceteris fecit: ſed quia Babyloniæ civis fuerat, Jeruſalem cæleſti opus ſuum in angaria perſolvit. At contra Joſeph in Ægyptum ductus, terreno palatio ſervivit, curam miniſterii in rebus temporalibus geſſit, quidquid juſte regno tranſitorio debebatur, exhibuit. Sed quia ſanctæ Jeruſalem civis exſtitit, ſervitium Babyloniæ in ſola, ut prædictum eſt, angaria miniſtravit. Hujus ergo, bone vir, eſſe te ſequacem credo, quem terrenis acti-bus

cundino potius defendenda committit S. Gregorius, quam proprio monachorum epiſcopo, Johanni Scillitano, propter notas inter eos controverſias, de quibus agit idem S. Gregorius epiſt. 34. lib. 8. alias epiſt. 33. lib. 7.

(*a*) De eo agemus in Diſſert. VII. Cap. *de Exconſulibus*.

bus implicatum, manſueto ſpiritu agere, humilitatis arcem per omnia cuſtodire, & ſingulis quæ juſta ſunt tribuere cognoſco. Tanta enim de veſtra gloria a multis bona referuntur, ut mihi hæc non libeat audire, ſed cernere: ejus tamen quem videre me non licet, bona me paſcit opinio. Sanctæ autem Eccleſiæ, id eſt omnium electorum typum tenens mulier, quæ alabaſtrum fudit, domum replevit unguento. Et nos quoties de bonis aliquid audivimus, ſuavitatis auram quaſi per navem trahimus. Et Paulus apoſtolus quum dicebat: *Chriſti bonus odor ſumus Deo*; patenter datur intelligi, quia ſaporem ſe quidem præſentibus, ſed odorem abſentibus exhibebat. Nos itaque qui per præſentiæ ſaporem non poſſumus, per odorem veſtræ abſentiæ nutrimur.

De hoc etiam valde gaudemus, quod munera (*a*) quæ tranſmiſiſtis, veſtris moribus diſſimilia non fuerint. Oleum quippe ſanctæ crucis & aloes lignum ſuſcepimus. Unum quod tactum benedicat, aliud quod per incenſum bene redoleat. Decebat igitur ut bonus vir ea tranſmitteret, quæ iram nobis domini placare potuiſſent. Alia quoque in cellariis multa miſiſtis: quia ſicut mente & carne ſubſiſtimus, neceſſarium fuit ut a vobis in utroque contineri deberemus. De quibus tranſmiſſis tamen dulciſſima mens veſtra valde ſe erubeſcere fatetur, atque eidem verecundiæ ſcutum caritatis opponere. Sed in his ego verbis omnimodo gaudeo: quia in tali mentis atteſtatione cognoſco, quod numquam poſſit aliena tollere, qui & hoc ipſum erubeſcit, quod propria largitur. Parva vero appellatis munera veſtra, quæ magna ſunt; ſed, credo, ut adhuc amplius ex ipſa gloriæ veſtræ humilitate proficiant; & petitis ut hæc bona mente ſuſcipiam. Sed inter iſta ad memoriam cujuſdam viduæ duo minuta reducite. Si enim illa Deo placuit, quæ bono animo pauca obtulit: cur non hominibus placeat qui mente humili multa dedit? Præterea benedictionem vobis ſancti Petri apoſtolorum principis, clavem (*b*) ſacratiſſimi ſepulchri ejus, in qua benedictio de catenis illius eſt inſerta, tranſmiſimus; ut quod ejus collum ligavit ad martyrium, hoc veſtrum ab omnibus peccatis abſolvat.

DI-

(*a*) Munera S. Gregorio miſit Leontius: oleum nempe S. Crucis, lignum aloes, & copioſam annonam. De oleo agit Baronius ad annum 598. cap. 23. & fuſius Gretſerus *de Cruce* lib. 1. cap. 79. Forte illud oleum erat, quod memorat Beda *de Locis ſanctis* cap. 20. in fin. inquiens: *De nodis enim ligni ſancti liquor odorifer olio ſimilis profluit, cujus ſi etiam modica particula contingat, omnem ægritudinem ſanat.* Conſule Guſſanvillæum, & Monachos Benedictinos hic.

(*b*) Ut Leontio viro religioſo liberali ac pio non omnino ingratus videretur S. Gregorius, *miſit ad ipſum clavem ſepulchri S. Petri una cum ramentis ex catenis ipſius.* Hæc Baronius ſuperius laudatus.

DIPLOMA CLIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Se, ut querebantur nonnulli, in ordinandis Miſſæ ritibus quibuſdam, Conſtantinopolitanæ eccleſiæ conſuetudines non fuiſſe imitatum.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

An.11.Ind. 598.& 599.

S.Greg. lib.9. Ind.11. epiſt. 12.alias lib.7. Ind.11. epiſt. 64.

VEniens quidam de Sicilia mihi dixit quod aliqui amici ejus, vel Græci, vel Latini, neſcio, quaſi ſub zelo ſanctæ Romanæ eccleſiæ, de meis diſpoſitionibus murmurarent, dicentes: quomodo eccleſiam Conſtantinopolitanam diſponit comprimere, qui ejus conſuetudinem per omnia ſequitur? Cui quum dicerem: quas conſuetudines ejus ſequimur? Reſpondit: quia alleluja dici ad Miſſas extra Pentecoſtes tempora feciſtis; quia ſubdiaconos ſpoliatos procedere, quia Kyrie eleiſon dici, quia orationem dominicam mox poſt canonem dici ſtatuiſtis. Cui ego reſpondi: quia in nullo eorum aliam eccleſiam ſecuti ſumus.

Nam ut alleluja hic diceretur, de Jeroſolymorum eccleſia ex beati Hieronymi traditione tempore beatæ memoriæ Damaſi papæ traditur tractum: & ideo magis in hac re illam conſuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita.

Subdiaconos autem ut ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo Eccleſiæ fuit, ſed placuit cuidam noſtro pontifici, neſcio cui, qui eos veſtitos procedere præcepit. Nam veſtræ numquid traditionem a Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie ut ſubdiaconi lineis in tunicis procedant, niſi quia hoc a matre ſua Romana eccleſia perceperunt? Kyrie eleiſon autem nos neque diximus neque dicimus, ſicut a Græcis dicitur: quia in Græcis ſimul omnes dicunt, apud nos autem a clericis dicitur, & a populo reſpondetur, & totidem

(*a*) Epiſtolam hanc temere S. Gregorio abjudicat Rivetus, celebris apud proteſtantes ſcriptor, non quod ſpuria illa ſit, ſed quod incommodam errori ſuo agnoverit. Sane ea ſpectabilis eſt ad primatum Rom. pontificis in univerſam Eccleſiam, & maxime in Conſtantinopolitanam aſtruendum. Et licet verum ſit, S. Gregorii tempore nullum Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præfuiſſe epiſcopum Euſebium nomine; attamen vox *Euſebius* in aliquibus editionis admiſſa, quæ hæretico argumento fuit, ut epiſtolam inverecunde rejecerit, in nova editione Mauritanorum, ad exemplar antiquorum ac ſinceriorum codicum concinnata, qua nos utimur, deſideratur. Quod & obſervarunt, Guſſanvillæus in notis ad hanc epiſtolam, & Natalis Alex. *Hiſtor. Eccl.* tom. 5. ſecul. 6. cap. 4. art. 16. ſub n. 5. Ceterum quæ ad illuſtrandum argumentum epiſtolæ neceſſaria viſa ſunt, exhibuimus in Tractatu noſtro: *De divinis Siculorum Officiis*, ſeptem retro annis jam edito.

dem vicibus etiam Chriſte eleiſon dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem miſſis aliqua quæ dici ſolent tacemus, tantummodo Kyrie eleiſon, & Chriſte eleiſon dicimus, ut in his deprecationis vocibus paullo diutius occupemur. Orationem vero dominicam iccirco mox poſt precem dicimus: quia mos apoſtolorum fuit, ut ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconveniens viſum eſt, ut precem quam ſcholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus & ſanguinem non diceremus. Sed & dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a ſolo ſacerdote. In quo ergo Græcorum conſuetudines ſecuti ſumus, qui aut veteres noſtras reparavimus, aut novas & utiles conſtituimus, in quibus tamen alios non probamur imitari? Ergo veſtra caritas quum occaſio dederit ut ad Catanenſem civitatem pergat, vel in Syracuſana eccleſia, eos quos credit aut intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt, facta collatione doceat, & quaſi alia ex occaſione eos inſtruere non deſiſtat. Nam de Conſtantinopolitana eccleſia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi apoſtolicæ eſſe ſubjectam? Quod & piiſſimus Domnus imperator, & frater noſter ejuſdem civitatis epiſcopus aſſidue profitentur. Tamen ſi quid boni vel ipſa, vel altera eccleſia habet, ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum. Stultus eſt enim qui in eo ſe primum exiſtimat, ut bona quæ viderit, diſcere contemnat.

DIPLOMA CLIV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad eumdem Johannem Syracuſanum epiſcopum. Eccleſiæ ejus actores cum Felice abſque dilatione judices eligant.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano.

FElix (*a*) vir memorandus ſuis nobis epiſtolis queſtus eſt, fraternitatis veſtræ actionarios (*b*) poſſeſſiones quas tenuerat, illicite & contra juris ordinem pervaſiſſe, petens ablata ſibi reſtitui, & ſe cum eis, ſi tamen cauſſam voluerint dicere, paratum eſſe in judicio ſine aliqua dilatione conſiſtere. Quod ſi ita eſt, quia quid legalis ratio

Eod. anno.
Ex cit. lib. 9. Ind. 11. ep. 13. alias lib. 7. Ind. 11. epiſt. 102.

(*a*) Eumdem eſſe putamus, ac Felicem illum virum conſularem chartularium, cujus meminit ipſemet S. Gregorius, Maximiano epiſcopo Syracuſano Johannis deceſſori ſcribens, hic Dipl. LXXXIV.

(*b*) Id eſt actores, ut legitur in epiſtola ſequenti ejuſdem argumenti. De actionariis, ſeu actoribus agemus infra, Differt. VI. Cap. II.

ratio habeat non neſcitis, oportet ut omni mora poſtpoſita, actores veſtræ eccleſiæ deputetis, ut cum eo debeant eligere cognitores, qui tam imminentis, quam principalis rei quæſtionem cognoſcere valeant & finire: ne ſi qualibet occaſione dilatum fuerit, & ipſe pati præjudicium, & partes eccleſiæ non habere juſtitiam videantur. Ita ergo agite, ut ſub omni celeritate judicium eligatur. Nam nos ſic cauſſas eccleſiæ veſtræ fieri volumus, ut nec diſpendium contra æquitatem ſuſtineat, nec ad veſtram poſſit aliquid invidiam ſuſtinere.

DIPLOMA CLV.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii ad Felicem in Sicilia. Se ad Johannem epiſcopum ſcripſiſſe, ut actores eccleſiæ ſuæ deputet, qui cum Felice ipſo ſine mora judicium ſubeant.

Gregorius Felici in Sicilia (*a*).

An.u.Ind. 598.& 699.

Ex eod. lib.9 Ind. 11. epiſt. 14. alias lib.7. Ind.11. epiſt. 101.

SUſceptis magnitudinis veſtræ epiſtolis contriſtati ſumus, quod ab actoribus eccleſiæ Syracuſanæ quaſdam poſſeſſiones, quas vos tenuiſſe dicitis, occupatas irrationabiliter indicaſtis. Sed credimus quia hoc ad fratris & coepiſcopi noſtri Johannis notitiam non pervenit. Nam abſolute poterat cognita veritate, ſi quid illicite factum eſt, emendari. Et ideo quia legali proviſione decretum eſt tam imminentis, quam principalis rei cauſſam in uno eodemque judicio cognoſci, nec nos contra in auditam partem aliquid poſſumus definire, prædicto fratri noſtro ſcripſimus, ut actores eccleſiæ ſuæ deputare debeat, qui vobiſcum ſine mora electorum poſſint ſubire judicium: ne aut vos res veſtras ſine cognitione, ſicut querelam facitis, amittere: aut pars altera videatur præjudicium ſuſtinere. Gloria ergo veſtra nullas in eligendos judices difficultates interſerat, vel differat ad cauſſam accedere. Nam omnino de ſupradicti fratris & coepiſcopi noſtri moribus certi ſumus, quia facere quidquid rationis ordo exegerit, non recuſet.

DI-

(*a*) Epiſtola hæc nova admonitione noſtra non indiget, utpote quæ relationem haberet cum præcedente, opportunis obſervationibus ſufficienter jam illuſtrata.

DIPLOMA CLVI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Romanum defenſorem. Patrimonium eccleſiæ in Sicilia commendat.

Gregorius Romano defenſori (*a*).

PRopoſiti noſtri cura nos admonet eccleſiaſticas utilitates ſtrenuis agendas mandare perſonis. Et ideo, quia te Romanum defenſorem fidelem ſolicitumque probavimus (*b*) exſtitiſſe, patrimonium (*c*) ſanctæ Romanæ, cui Deo miſerante deſervimus, eccleſiæ, in partibus Syracuſanis, Catinenſibus, Agrigentinis, vel Milenſibus (*d*) conſtitutum, a præſenti ſecunda indictione gubernationi tuæ prævidimus committendum. Unde neceſſe eſt, te illuc indifferenter accedere; ut divini conſideratione judicii, noſtræ quoque admonitionis memoria te efficaciter ac fideliter ſtudeas exhibere, ut nullius neglectus vel fraudis, quod abſit, inveniaris ſuſtinere periculum. Magis autem id agas, quatenus de fide & induſtria tua divinæ poſſis gratiæ commendari. Ad familiam vero ejuſdem patrimonii ſecundum morem præcepta direximus (*e*), ut nihil ſit quod te ad peragenda ea, quæ tibi injuncta ſunt, in aliquo valeat impedire.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 18. alias lib. 7. Ind. 11. epiſt. 17.

(*a*) De Romano defenſore, & defenſorum numero & officio agemus infra, Diſſert. VI. Cap. *de Defenſoribus Eccleſiæ*. Interim hic obſerva, eum venientem in Siciliam quatuor proxime edendas epiſtolas commendatitias ab eodem S. Gregorio obtinuiſſe: unam ad familiam patrimonii S. Petri, alteram ad Petrum Sicilienſem, tertiam ad Libertinum prætorem, & ultimam ad Ciridanum, quas conſule.

(*b*) Defenſoris munus Romanus primum obiierat anno X. Ind. 591. & 592. ut plane liquet ex Dipl. LXXXVI. in principio.

(*c*) De patrimonio eccleſiæ Romanæ in Sicilia diſerte ſatis ſumus dicturi infra, Diſſert. V.

(*d*) Milenſis civitas non longe a Meſſana diſtat. Pauca de ea exhibent, Fazellus *de Reb. Sicul.* decad. 1. lib. 9. cap. 8. & Cluverius *Sicil. Antiq.* lib. 2. cap. 10. plura vero, ſed non ſimili gravitate, congerunt, Philippus de Amico, & Franciſcus Perdichizzi, uterque Milenſis, in hiſtoria patriæ ſuæ.

(*e*) Epiſtola hic commemorata eſt ipſa eadem quæ proxime ſequitur.

DIPLOMA CLVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Syracuſani patrimonii colonos. Ut obediant Romano defenſori.

Gregorius colonis patrimonii Syracuſani (*a*):

An.11.Ind. 598.& 599. Ex eod. lib.9. Ind. 11. epiſt. 19.alias lib.7. Ind.11.ep.18.

COgnoſcatis volo, quia ad ſolicitudinem vos defenſoris noſtri diſpoſitio noſtra pertinere conſtituit. Et ideo præcipimus ut ea quæ vobis peragenda pro utilitatibus eccleſiaſticis præviderit & injunxerit, ſine aliqua debeatis difficultate obedire. Cui talem dedimus poteſtatem, ut eos qui inobedientes, vel attentaverint contumaces exſiſtere, diſtricta ultione corripiat. Pariterque illi demandavimus ut mancipia quæ foris latitant, vel a quoquam aliqui fines invaſi ſunt, ſolicitudinis ſuæ inſtantia jure eccleſiaſtico revocare non differat. Noveritis etenim cum periculo ſuo fuiſſe commonitum, ut nullam aliquando violentiam rebus alienis, vel raptum qualibet excuſatione facere præſumat.

DIPLOMA CLVIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii PP. ad Petrum in Sicilia: Romano Syracuſani patrimonii regimen adeunti auxilium ferat.

Gregorius Petro Sicilienſi.

Eod. anno. Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 20.alias lib.7. Ind.11.ep.19.

SCientes devotionis affectum paternis commendationibus ampliari, neceſſe eſt ut ea, quæ agere vos ſponte confidimus gloriæ veſtræ in his favorem noſtris augere epiſtolis feſtinemus. Indicamus itaque Romano defenſori latori præſentium, patrimonium eccleſiæ noſtræ, quod in Syracuſanis, Catinenſibus, & vicinis locis (*b*) noſcitur eſſe conſtitutum, Dei protegente gratia crediddiſſe. Et propterea ſalutantes paterno affectu petimus, ut veſtra eum fovere providentia debeatis, atque ei in omnibus veſtrum, ſicut de vobis confidimus, auxilium commodetis: ut dum in gloriæ veſtræ ſolatio, vel favore ſubſidium con-

(*a*) Confer cum epiſtola modo exhibita.

(*b*) Hæc clauſula ita legitur in Dipl. proxime ſequente: *In Syracuſano, atque Catinenſi territorio*; in Dipl. vero CLVI. *In partibus Syracuſanis, Catinenſibus, Agrigentinis, vel Milenſibus*. Agrigentum enim, & Milæ longe a Catana, & Syracuſis diſtant, quod ſanctus pontifex forte ignorans, dixit hic: *In Syracuſanis, Catinenſibus, & vicinis locis*.

conſolationis habuerit, & vos qualem circa nos caritatem geritis, manifeſtius oſtendatis, & nos voluntati veſtræ reſpondere, dum neceſſe fuerit, per omnia feſtinemus.

DIPLOMA CLIX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Libertinum expræfectum. Novum defenſorem Romanum conſiliis juvet.

Gregorius Libertino expræfecto (*a*).

GLoriæ veſtræ & experta & cognita nos devotio provocat, epiſtolari vos alloquio cauſſis eccleſiſticis exhibere adjutores. Et ideo quia Romano defenſori præſentium portitori curam patrimonii eccleſiæ noſtræ, quod in Syracuſano, atque Catinenſi territorio (*b*) ſitum eſt, Deo auctore commiſimus, ſalutantes gloriam veſtram, petimus ut concurrere illi, ac ferre ſolatium in omnibus debeatis. Et ne forſan de novitate minus aliqua quæ ſunt utilia comprehendat, veſtris eum ſubtiliter conſiliis informate, atque ad agenda hæc veſtram illi ſicut conſueviſtis, operam adhibete: quatenus dum vobis opitulantibus utiliter quæ ei injuncta ſunt peregerit, & vos de bono veſtro mercedem recipere valeatis, & nos pro gloriæ veſtræ vita omnipotentis Dei miſericordiam exorare enixius invitemur.

Eod. anno. Ex cit. lib. 9. Ind. 11. ep. 21. alias lib. 7. Ind. 11. epiſt. 20.

De capitulo autem de quo mihi lator præſentium eſt locutus, vel reverendiſſimus frater noſter Johannes epiſcopus (*c*) ſcripſit, interim vel tentari vel agi nil potuit: quia perſona apud quam agi poterat, nec dum eſt in poteſtate aliqua confirmata.

(*a*) Rectius legendum puto, ***Libertino expratori***, quemadmodum liquet ex epigraphe Dipl. CXCII. Conſule quæ de eo dedimus in obſervationibus ad Dipl. XCV.

(*b*) Romanus non in tota Sicilia defenſor inſtituitur, ſed in partibus tantummodo Syracuſanis, & Catanenſibus, ut hic, atque etiam in territorio Agrigentino & Milenſi, ut ex duabus epiſtolis præcedentibus patet.

(*c*) Nempe Syracuſanus, cui inſcriptæ ſunt epiſtolæ CLIV. CLXI. & aliæ ſane quam multæ.

DIPLOMA CLX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii Pontif. Max. ad Ciridanum. Romano defenſori faveat.

Gregorius Ciridano (*a*).

An. 11. Ind. 598. & 599.
Ex cod. lib. 9. Ind. 11. ep. 22. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 21.

GLoriæ veſtræ bonitas nuntio veraci diffuſa, tantam nobis de ſe certitudinem præbet, ut in nullo de ea diffidere, ſed magis ſicut revera ſapienti filio eccleſiæ noſtræ debeamus ſpecialiter cauſſam commendare. Et ideo Romanum defenſorem noſtrum præſentium portitorem ad gubernationem patrimonii eccleſiæ noſtræ in Catanenſibus, vel Syracuſanis partibus conſtituti, Deo protegente tranſmiſimus. Salutantes igitur paterna dilectione gloriam veſtram, petimus ut in cunctis affectum veſtræ caritatis inveniat, & favoris veſtri ſolatiis quocumque neceſſe fuerit potiatur: ut vobis præſentibus, nos abſentes eſſe non ſentiat, quatenus quum injuncta ſibi ſalubriter veſtra ope expleverit, & nos vobis gratiarum poſſimus exſiſtere debitores, & beatus Petrus apoſtolorum princeps, in cujus cauſſis vos impenditis, hic vobis & in futuro compenſet.

DIPLOMA CLXI.

Epiſtola præfati S. Gregorii magni ad Johannem Syracuſanum epiſcopum. Commiſſas Romano defenſori cauſſas Leontii adverſus Leonem epiſcopum, & Archelaum medicum.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*b*).

Eod. anno.
Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 73. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 72.

FIlius noſter glorioſus vir Leontius (*c*) exconſule de fratre & coepiſcopo noſtro Leone (*d*) graviter eſt queſtus, noſque ejus querela omnimodo turbavit: quia ita præcipitanter & leviter ab epiſcopo agi non debuit. Quam cauſſam ſubtiliter exſequendam venienti Romano defenſori commiſimus. De veſtra autem fraternitate qui ab eo directus eſt, queritur, quod Archelai (*e*) viri clariſſimi medici defenſione fratris & coepiſcopi noſtri Domitiani (*f*) metropolitæ uti-

(*a*) Ad quem ab eodem S. Gregorio data eſt epiſtola alia, hic Dipl. CCXLII.

(*b*) De eo aliqua expendimus ſupra in notis ad Dipl. CXV. & CXXV.

(*c*) Cui inſcripta eſt epiſtola CLII.

(*d*) Nempe, Catanenſi antiſtite, de quo egimus in notis ad Dipl. LXXXVII.

(*e*) De eo fit quoque mentio ſupra Dipl. CXVIII. in fine.

(*f*) Erat hic Melitinæ epiſcopus, Armeniæ metropolitanus, ad quem plures ipſemet S. Gregorius dedit epiſtolas, id eſt, epiſt. 67. lib. 3. epiſt. 6. lib. 7. epiſt. 50. lib. 10.

utilitas gravetur. Et quidem tueri juſte filios ſuos, vel, ſicut eſt, forte ſanctæ eccleſiæ negotia, fraternitas veſtra debet, & nullam occaſionem dare adverſariis maledicti gratia. Quod tamen vos per omnia cuſtodire etiam iſta loquendo non ambigo: eidem tamen Romano venienti etiam de hac cauſſa injunximus, ut vobiſcum debeat, quæ ſunt recta diſponere.

DIPLOMA CLXII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Romanum defenſorem. Neglectam per triginta annos ruſticæ teſtatricis voluntatem tandem adimpleri curet.

Gregorius Romano defenſori (*a*).

FIlius noſter Theodoſius, abbas monaſterii a Liberio quondam patricio in Campaniæ parte conſtructi, nobis noſcitur intimaſſe Ruſticam quondam illuſtrem feminam ante annos fere viginti & unum, primum condito teſtamento, Felicem (*b*) jugalem ſuum heredem inſtituiſſe, eique de conſtruendo illic in Sicilia monaſterio hac conditione interpoſita delegaſſe, ut ſi intra anni ſpatium omnia libertis dimiſſa legata non ſolveret, vel prædictum monaſterium ita ut voluit, minime ordinaret, tunc ſancta Romana eccleſia portionem quam in fundo Cumas habere viſa eſt, ſibi deberet ſine dubio vendicare, & ipſa ad perſolvenda eadem legata, vel in conſtructionem ipſius monaſterii ſolatia commodaret. Unde quia quantum dicitur, dimiſſa res hactenus minime ipſi monaſterio eſt completa, atque ab ejus nuncuſque heredibus poſſeſſionis pars aliqua detinetur: cum omni ſubtilitate experientia tua cauſſam exquirat atque diſcutiat. Et primum quidem ſi in conditione teſtamenti heres incidit per aliquod noſtra habeat cauſſas eccleſia, inveſtigare te volumus, atque evidenter addiſcere, & utilitatem pauperum, ſicut rei ordo popoſcerit, exſequi: & tunc pro ordinatione cellæ illius, vel redintegratione dimiſſæ rei inſtanter eſſe ſolicitum: quatenus pia teſtatricis voluntas in utroque valeat adimpleri, & detentores injuſti culpam retentionis indebitæ ex juſta amiſſione cognoſcant. Cum omni ergo vivacitate cauſſam hanc & exquirere, & ad effectum te volumus, Domino auxiliante, perducere, ut pia ordinantis devotio tandem ſortiatur effectum. Sed & monaſterio ipſi in omnibus, ſalva juſtitia, ſolatiari te volumus ut laicæ perſonæ quaſi ex conditoris nomine, quæ juvaminis debuerunt ferre ſolatium, lædendi non habeant, ſicut aſſeritur, facultatem.

Eod. anno. Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 24. alias lib. 7. Ind. 11. epiſt. 16.

DI-

(*a*) De eo ſupra Dipl. CLVI.

(*b*) Forte ipſe idem Felix eſt, de quo ſuperius quoque actum eſt, Dipl. CLIV. CLV. & alibi paſſim.

DIPLOMA CLXIII.

Epiſtola ipſius S. Gregorii PP. ad eumdem Romanum defenſorem. Donatam ab Ammonia Romanæ eccleſiæ domum, Calixeno illius nepoti Stephaniæ filio reddat.

Gregorius Romano defenſori.

Anno 598. menſe Nov.

Ex eod. lib. 9. Ind. II. epiſt. 26. alias lib. 7. Ind. II. epiſt. 23.

QUamquam ea quæ ad eccleſiæ jura perveniunt, alienari legis ratio non permittat, temperanda tamen interdum eſt cenſura diſtrictionis, ubi miſericordiæ reſpectus invitat: maxime quando tanta eſt quantitas, quæ nec dantem onerat, & accipientis pauperiem juxta aliquid conſolatur. Et ideo quia Stephania præſentium latrix cum Calixeno filio ſuo parvulo, quem de Petro quondam viro ſuo ſe ſuſcepiſſe, & nimia aſſerit pauperie laboraſſe, huc veniens aſſidua obſecratione, & lacrymis a nobis exegit, ut domum poſſeſſionis in civitate Catinenſium, quam Ammonia quondam ſocrus ejus Calixeni avia eccleſiæ noſtræ titulo donationis obtulerat, eidem Calixeno reſtitui faceremus: memoratam Ammoniam aſſerens alienandi eam non habere licentiam, ſed ante fati Calixeni filii ſui per omnia juris eſſe. Cui rei dilectiſſimus filius noſter Cyprianus diaconus (*a*), qui cauſſam cognitam habuit, contradictor exſtitit, inquiens quod prædictæ mulieris querimonia non haberet juſtitiam, nec poſſet rationabiliter ad filii ſui nomen domum ipſam vendicare ſive repetere. Sed ne ſuprafciptæ mulieris lacrymas inanes relinquere, & plus ſequi rigoris viam, quam cauſſas videamur pietatis complecti, hac tibi præceptione mandamus, ut memoratam domum ſæpe fato Calixeno, ſimul & donationem ab Ammonia factam de domo ipſa, quæ illic in Sicilia eſſe noſcitur, reddere debeas: quia ſicut diximus, melius eſt in dubiis non diſtrictionem ſequi, ſed ad benignas potius partes inflecti: præſertim dum ex parvæ rei ceſſione nec eccleſia gravatur, & orphano atque pauperi miſericorditer ſubvenitur. Data menſe Novemb. indictione II. (*b*).

DI-

(*a*) De eo aliqua dedimus ſupra in monitis ad Dipl. XCIX. & iterum redibit ſermo infra, Differt. VI. Cap. I.

(*b*) Confer cum Dipl. CLXVII. Cui eſt principium: *Menſe Novembrio præſentis ſecundæ indictionis experientiæ tuæ præceptione noſtra mandavimus.*

DIPLOMA CLXIV.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii magni ad eumdem Romanum defenſorem. Eccleſiaſtica patrocinia non omnibus indiſcrete impendenda.

Gregorius Romano defenſori.

PErvenit ad nos quia quidem homines minorem omnimodo diſcretionem tenentes, in ſuis nos periculis implicari deſiderant, atque ita volunt ab eccleſiaſticis perſonis defendi, ut ipſæ quoque perſonæ eccleſiaſticæ ex eorum culpa teneantur. Iccirco præſenti te præceptione admoneo, & per te fratrem & coepiſcopum noſtrum domnum Johannem (*a*), vel ceteros qui intereſſe poſſunt, ut patrocinia eccleſiaſtica, ſive mea ſuſcipiatis ſcripta, ſive etiam minime fuerint directa, ſub tanto moderamine debeatis impendere: quatenus ſi qui in furtis publicis (*b*) implicati ſunt, a nobis non videantur injuſte defendi; ne opinionem male agentium ex indiſcretæ defenſionis auſu, in nos ullo modo transferamus: ſed quantum decet eccleſiam, admonendo, verbum interceſſionis adhibendo, quibus valetis ſuccurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem ſanctæ eccleſiæ non inquinetis.

An.11.Ind. 598.& 599.
Ex eod. lib. 9. Ind. 11. ep. 27. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 24.

DIPLOMA CLXV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Antonium ſubdiaconum, & Dometium abbatem. Concordiæ reconciliationem xenodochium inter & monaſterium ſua auctoritate firmat.

Gregorius Antonio ſubdiacono, & Dometio abbati atque presbytero a paribus.

SIcut grave & plenum vituperationis eſt, inter perſonas omnipotenti Deo militantes, de ſæcularibus negotiis ortam diu controverſiam permanere: ita laudabile & ſtudio eſt religioſo conveniens, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, & ex rebus tranſitoriis manſura ſemper caritatis lucra mercari. Et ideo quia de poſſeſſio-

Anno 599. menſe Jan.
Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 28. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 27.

(*a*) Scilicet, Syracuſanum, cui hoc ipſo anno ſcripſit idem S. Gregorius, hic Dipl. CLXI.

(*b*) Præcepit hic ſanctus pontifex, ut epiſcopus, cujus muneris erat eccleſiaſtica patrocinia oppreſſis impendere, ab iis defendendis abhorreret, qui furti publici rei inventi eſſent, ne ex indiſcretæ defenſionis auſu ſocius fraudis & ipſe epiſcopus videretur. Quod & ante ſanctum Gregorium advertit S. Auguſtinus epiſt. 153. Ceterum argumentum iſtud de epiſcopali protectione per hæc tempora in vinctos & reos diſerte illuſtrat Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccleſ. Diſcipl.* par. 2. lib. 3. cap. 97.

ſeſſionibus Fajano, Naſoniano, & Libiniano poſitis in provincia Sicilia territorio Panormitano, de quibus præpoſitos monaſterii (a) ſanctorum Maximi, & Agathæ, quod Lucuſcanum dicitur, & e diverſo adminiſtratores xenodochii in hac urbe Roma conſtituti quod Valerii nuncupatur, longa ſe traxit contentio: nunc vero inter te Antonium ſubdiaconum noſtrum memorati xenodochii præpoſitum, & e diverſo dilectiſſimum filium noſtrum Dometium abbatem atque presbyterum prædicti monaſterii pactis intervenientibus ſalubris proceſſit, Deo auctore, deciſio: neceſſe eſt ut omnis diſcordiæ poſſit occaſio præveniri, & ea quæ geſta ſunt, interveniente auctoritate firmari. Proinde per hujus præcepti ſeriem hoc decernendum eſſe perſpeximus, ut omnia inſtrumenta, vel quidquid eſt aliud quod partibus, quod abſit, ad invicem contra ſe venire cupientibus, quoquomodo, vel ex temporis præſcriptione, ſeu aliter opem de lege, aut quocumque privilegio poterat miniſtrare: ſit, ſicut & vos poſcitis, vacuum, & omni virtute caſſatum, & ſola pactorum inter vos nunc habitorum pagina validum, perpetuumque robur obtineat. Cui ſi quid forte incuria, vel imperitia minus firmitatis inſertum eſt, vires pleniſſimæ munitionis, & ſoliditatis ex hac noſtra auctoritate ſuſcipiat, nec ſupereſſe aliquid valeat, ut oportuit, ac pacifice terminata ſunt, quocumque tempore quidquam dubietatis incurrant: ſed omnia quæ in eiſdem pactis tenentur adſcripta, firma, illibata & ſine aliqua refragatione perſiſtant: quatenus amota penitus totius altercationis materia inter eos, quos caritatis immutabiliter decet manere concordia, nulla queat deinceps litigioſæ contentionis occaſio generari. Pro munitione vero ſupraſcripti monaſterii memorato Dometio abbati atque presbytero præceptum ſimile dedimus. Menſe Januario, indictione II.

DI-

(a) De eodem monaſterio fit quoque mentio in Dipl. CCXXV. & CCXXVI. Illud unum ex ſex ab ipſo S. Gregorio in Sicilia ædificatis fuiſſe putat Pyrrhus *in Not. de ſex Monaſt. Gregor.* cui adhærent, Mabillonius *Annal. Bened.* tom. I. lib. 6. cap. 58. & Monachi Benedictini *in Vita S. Gregor.* lib. I. cap. 2. n. 6. atque etiam in notis ad epiſt. 48. lib. II. ejuſdem S. Gregor. De quo argumenti genere aliqua nos ſumus dicturi in Diſſert. III. ad calcem hujus Voluminis poſita.

DIPLOMA CLXVI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Romanum in Sicilia defenſorem. Gaudioſo inopi ſolidos ſex ſingulis annis tribuat.

Gregorius Romano defenſori Siciliæ (*a*).

DIvinorum nos admonent eloquia præceptorum, neceſſitatem patientibus eccleſiaſticum præbere ſubſidium. Quia ergo dilectiſſimus filius noſter Cyprianus diaconus (*b*), Gaudioſum defenſorem Sedis noſtræ, qui Syracuſis degere comprobatur, paupertatis aſſerit inopia conſtringi: iccirco experientiæ tuæ præſenti auctoritate mandamus, ut a præſenti ſecunda indictione ſex ſolidos annis ſingulis ei dare non differas, ut & ille hujus remedii ſolatio potiatur, & tu quod dederis, tuis ſine dubio noveris rationibus imputandum.

An. II. Ind. 598. & 599.

Ex eod. lib. 9. Ind. II. ep. 39. alias lib. 7. Ind. II. ep. 38.

DIPLOMA CLXVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Romanum defenſorem. Ut omni cunctatione & excuſatione abjecta, id exſequatur, quod ſup. Dipl. CLXIII. *fuerat mandatum* (*c*).

Gregorius Romano defenſori.

MEnſe Novembrio præſentis ſecundæ indictionis experientiæ tuæ præceptione noſtra mandavimus, ut Calixeno filio Stephaniæ domum Catinæ poſſeſſionis, quam Ammonia avia ejuſdem Calixeni eccleſiæ noſtræ ſancta devotione contulerat, reddere ei donationem eamdem tandem debuiſſes. Quod hac, ut dicitur, excuſatione facere diſtuliſti: quia notitia ejuſdem donationis non eſſet de polyptycis charaxata. Quod incongrue te dixiſſe cognoſcas, dum ad munitionem tuam præcepti noſtri pagina poſſet valde ſufficere. Proinde præſenti auctoritate ſuſcepta, prædictam domum, & donationem antefato Calixeno orphano ſine mora reſtitue. Nam quod juſtum & ipſe ſentias novimus, & nos tamen prædicto eidem orphano ſupradictam domum benignitate largimur.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 9. Ind. II. ep. 40. alias lib. 7. Ind. II. epiſt. 40.

(*a*) De ejus electione in rectorem patrimonii Siculi agitur in Dipl. CLVI.

(*b*) Is officio rectoris patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia functus fuerat, ut diximus in notis ad Dipl. XCIX.

(*c*) Ex Dipl. CLXIII. ipſi Romano præceperat S. Gregorius, ut donatam ab Ammonia Romanæ eccleſiæ domum Catanæ exſiſtentem, Calixeno Stephaniæ filio, & ipſius Ammoniæ nepoti reſtitueret. Apoſtolico mandato obſequi detrectavit Romanus, quia *notitia* ſive inſtrumentum ejuſdem donationis non dum erat de *polyptycis*, ſeu libris redituum eccleſiæ *charaxata*, id eſt tranſverſis lineis cancellata. Cui reſcripſit pontifex, ut omni excuſatione & cunctatione abjecta, reſtitutionem domus exſequatur, præcepti ſui pagina pro cancellatione valitura.

DIPLOMA CLXVIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Felicem in Sicilia. Ipſum de Johanne epiſcopo quaſi judicium refugiente immerito conqueri, quum illud ipſe diſtulerit. Ad finiendam cito judicii cenſura litem, hortatur.

Gregorius Felici in Sicilia (*a*).

An. 11. Ind. 598. & 599.

Ex eod. lib. 9 Ind. 11. epiſt. 44. alias lib. 7. Ind. 11. epiſt. 43.

QUum reverendiſſimi fratris noſtri Johannis epiſcopi (*b*) bene nobis nota ſit gravitas: mirari nos gloriæ veſtræ valde fecit epiſtola, quod nihil eum ſecundum admonitionem noſtram facere voluiſſe ſignabat. Et quidem durum nobis videbatur, aut vobis non credere, aut de illo talia ſuſpicari: quippe cujus cogniti nobis mores, & actio non permittebant tale habere judicium. Quum ergo noſter animus dubius in utroque penderet, comperimus eum inter vos & eccleſiam ſuam voluiſſe eſſe judicium, ſed veſtram magis gloriam diſtuliſſe. Quod negare neque homo veſter lator præſentium potuit. Et contriſtati ſumus cur gloria veſtra quæ judicium refugit, contra eum queri voluerit; poſtquam conſtat quia quod rationis fuit, vel ultro, ut ſcripſimus, obedivit. Nec ei ſcribere iterum neceſſarium erat, ne diſtuliſſe prius ſecundum animum videretur. Sed ne vos contriſtare forſitan videremur, ex abundanti rurſus prævidimus ſcribendum. Et quoniam certi ſumus, quia quidquid æquitas ordinaverit, facere non recuſet, oportet ut gloria veſtra animos ſuos contra ejus invidiam non accendat, ſed ſtudeat inire judicium, in quo una, eademque cognitione, & momenti (*c*) & proprietatis cauſſa valeat diſtingui. Nam nos venire ad judicium cupienti, præjudicialiter ſcribere quædam non poſſumus: quia ita nos uni parti accommodare decet auditum, ut tamen alteri, præſertim inauditæ allegationis, ſine dubio rem integram reſervemus. Et ideo agite, ſicut diximus, ut negotiorum veſtrorum merita, veritate cognita, judicii cenſura definiat. Nam dum nullum velimus præjudicium ſuſtinere, multo magis vobis, ſicut revera filiis, volumus ſervari quod juſtum eſt.

DI-

(*a*) Confer cum Dipl. CLIV. & CLV. necnon cum epiſtola proxime exſcribenda.

(*b*) Scilicet, *Syracuſani*, cui inſcribitur ſequens ejuſdem negotii epiſtola.

(*c*) *Momenti & proprietatis*, idem ſonat, ac *poſſeſſionis & proprietatis*, ut advertit hic Guſſanvillæus, ſecutus auctoritatem Symmachi lib. 1. epiſt. 27. qui vocem *momenti* pro poſſeſſione adhibet.

DIPLOMA CLXIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Johannem Syracuſanum epiſcopum. Mala Felicis fide expoſita, hortatur ut motam ab illo controverſiam abſque mora jubeat finiri.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

Ante aliquantum temporis filius noſter Felix, vir glorioſus, ſuis nobis epiſtolis queſtus eſt, quarumdam poſſeſſionum ſuarum fines ab hominibus eccleſiæ veſtræ violenter eſſe perſuaſos, & nullam ſe apud vos invenire juſtitiam. Sed nobis incredibile viſum eſt hoc aut vobis eſſe præſentibus perpetratum, aut certe ſi ad aures veſtras pervenit, non fuiſſe correctum. Ne tamen ejus prætermittere querimoniam videremur, fraternitati veſtræ ſcripſimus ut aut ea ſi vera eſſent compeſci, aut certe actores (*b*) eccleſiæ ſuæ cum eo faceret ſubire judicium. Poſt hæc vero hominem cum epiſtola ad nos dirigens, indicavit nihil vos facere voluiſſe. De qua re ſcientes ſanctitatis veſtræ diſcretionem, dum noſter animus dubitaret, comperimus illum magis diſtuliſſe: nam vos paratos exſtitiſſe, ut debuiſſet eſſe judicium. Et quamvis hac de cauſſa denuo vobis non fuerat ſcribendum, quippe quia ea quæ rationis ſunt ante vos manifeſtum eſt facere voluiſſe: verumtamen ne querelam ipſius neglexiſſe forſitan videamur, hanc ad vos iccirco epiſtolam dedimus, hortantes ut cum eo etiam nunc mora poſtpoſita, veſtros ad judicium homines tranſmittatis, in quo & momenti (*c*) & proprietatis valeat quæſtio terminari: ut poſt hoc nec ille habeat quod queratur, nec eccleſia veſtra tenere aliquid præjudicialiter videatur. Quia vero homo, quem ad nos miſit, ſchedam compromiſſi, ac judicati protulit, ubi legebatur poſſeſſionem eam quæ Aſinaria dicitur, quam ab hominibus veſtris invaſam nuper aſſeruit, deceſſoris veſtri recordandæ memoriæ Maximiani (*d*) temporibus eſſe ex judicio reſtitutam; neceſſarium eſſe prævidimus ejus exemplar tranſmittere. Et ideo ſi ita actum manifeſte cognoſcitis, id eſt ſi poſſeſſio ipſa deceſſore veſtro conſentiente reſtituta eſt, & a prædicto viro poſſeſſa, ſine aliqua eam facite contentione reſtitui, manente ſcilicet proprietatis, ſicut in eodem judicio conſtitutum eſt, quæſtione. Si vero aliter eſt, & hoc pariter judicii neceſſe

Eod. anno. Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 45. alias lib. 7. Ind. 11. epiſt. 44.

Poſſeſſio Aſinaria.

(*a*) Conſule epiſtolam præcedentem una ſimul cum Dipl. CLIV. & CLV.

(*b*) De actoribus eccleſiæ, eorumque officio aliqua dabimus in Diſſert. VI. in fine hujus primi Tomi publicanda.

(*c*) Id eſt *poſſeſſionis*, ut obſervavimus in notis ad ſuperiorem epiſtolam.

(*d*) De eo egimus in monitis ad Dipl. LXXXI.

ceſſe eſt definitione diſtingui. Hæc igitur omnia ita fraternitas veſtra, indita ſibi tranquillitate, ſine aliqua mora fieri provideat: quatenus nec contra nos murmur excitetur invidiæ, nec nobis prædictus vir importunus denuo cogatur exſiſtere.

DIPLOMA CLXX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Fantinum defenſorem Panormitanum. Pro Judæorum Synagogis irrationabiliter occupatis, & conſecratis, pretium ſolvat Victor epiſcopus (*a*).

Gregorius Fantino defenſori Panormitano (*b*).

An. 11. Ind. 598. & 599. Ex eod. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 55. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 59.

ANte aliquantum tempus Victori fratri & coepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut quoniam quidam Judæorum, data nobis petitione, queſti fuerunt Synagogas, in civitate Panormitana poſitas cum hoſpitiis ſuis fuiſſe ab eo irrationabiliter occupatas, quouſque cauſſa utrum juſte factum eſſet, potuiſſet agnoſci, ab eorum ſuſpenderet ſe congregatione: ne forte in eorum ſola voluntate verſari præjudicium videretur. Et quidem nos prædictum fratrem noſtrum incongrue aliquid egiſſe, ſacerdotii ejus reſpectus facile credere non permiſit. Sed quia Salerio (*c*) notario noſtro, qui illic præſens poſtea inventus eſt, renuntiante, comperimus nullam exſtitiſſe cauſſam pro qua potuiſſent rationabiliter occupari, atque eos eſſe inconſulte ac temere conſecratas: iccirco experientiæ tuæ præcipimus, ut quia quod ſemel conſecratum eſt, Judæis ultra non valet reſtitui, quantum a filiis glorioſo Venantio (*d*) patricio, & Urbico (*e*) abbate, Synagogæ ipſæ cum his hoſpitiis, quæ ſub ipſis ſunt, vel earum parietibus cohærent, atque hortis ibi conjunctis æſtimatæ fuerint, ſtudii tui ſit ut præfatus frater & coepiſcopus noſter, dare pretium debeat; quatenus hoc quod occupari fecit, in jus eccleſiæ ipſius valeat provenire, & illi opprimi aut aliquam pati injuſtitiam nullo modo videantur. Codices vero, vel ornamenta pariter ablata quærantur. Quæ ſi manifeſte tulta (*f*) ſunt, & ipſa ſine ambiguitate aliqua volumus reſtitui: quia ſicut

Salerius notarius.

(*a*) Confer cum Dipl. CXLVIII.

(*b*) De Fantino defenſore & defenſorum munere aliqua dabimus infra, Diſſert. VI. Cap. *de Defenſoribus Eccleſiæ*.

(*c*) De eo fit quoque mentio infra, Dipl. CCXXVI. De officio vero notariatus, quo ipſe fungebatur, agemus in Diſsert. VI. Cap. *de Notariis Eccleſiæ*.

(*d*) Alibi, id eſt Dipl. CCXLIV. & CCLIII. appellatur, *Patricius Panormitanus*. Conſule Diſſert. VII. Cap. *de Patriciis*.

(*e*) De eo ſupra Dipl. CXII. Vide ibi.

(*f*) Id eſt, *ſublata*. Nam *tulta* eſt vox antiqua barbara a *tollo*, cujus uſus frequens admodum eſt patribus illius ævi, ut obſervant hic, Guſſanvillæus, & Monachi Benedictini.

ſicut illis quidquam in Synagogis ſuis facere, ut & ipſi prius ſcripſimus, ultra quam lege decretum eſt, non debet eſſe licentia; ita eis contra juſtitiam & æquitatem, nec præjudicium, nec aliquod debet inferri diſpendium.

DIPLOMA CLXXI.

Epiſtola præfati S. Gregorii ad Fantinum defenſorem. Candidum defenſorem, Johanni Judæi ex navis pretio debiti ſoluti chirographum reſtituere compellat.

Gregorius Fantino defenſori (*a*).

INdicavit nobis Jamnus Judæus (*b*) præſentium portitor, navem ſuam atque res ſuas Candidum (*c*) defenſorem noſtrum cum aliis creditoribus occupaſſe, atque eas pro credita quam dederant pecunia venundediſſe, & cunctis debitis cautionibus reſtitutis, ſolum apud ſe præfatum defenſorem obligationis chirographum tenuiſſe, & ſæpius ſe ſupplicantem ideo reddere contempſiſſe, quia, ut ait, ſors eſt debiti ſatisfacta. Experientiæ tuæ ergo præcipimus, ut cum omni ſubtilitate curet addiſcere: & ſi ita repererit, diſtricta compulſione perurge; quatenus omni mora poſtpoſita, cautionem prædicti portitoris reſtituat. Ita ergo ſolicitudo tua ſtudeat, ut denuo ad nos hac de cauſſa querela non redeat.

Eod. anno. Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 56. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 60.

DIPLOMA CLXXII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Præjectam illuſtrem. Geſta inter ipſum & Fantinum defenſorem approbat.

Cregorius Præjectæ illuſtri.

QUoties in conventionibus quibusdam noſter expectatur aſſenſus, ne in dubium veniant quæ geruntur, ratio ea pro ſecuritate partium debet habita ſolidare. Proinde cognoſcentes quid inter dilectionem tuam & Fantinum defenſorem noſtrum, ac rectorem

Eod. anno. Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 57. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 61.

(*a*) Idem videtur eſſe ac ille qui in epiſtola proxime exſcripta appellatur *Defenſor Panormitanus*.

(*b*) Judæos numero plures tunc temporis Siciliam coluiſſe, obſervavimus jam in monitis ad Dipl. LXXVI.

(*c*) De Candido defenſore, ac defenſorum numero & officio agemus infra, Differt. VI. Cap. *de Defenſoribus Eccleſiæ*.

rem (*a*) patrimonii partium Panormitanarum convenerit de portionibus tibi competentibus in Maſſalenas (*b*), & Samanteria, in provincia Sicilia, territorio Panormitano, & domo in Panormitana civitate ſita, quam eccleſiæ noſtræ dudum titulo donationis obtuleras; noſtrum in his accomodamus aſſenſum, atque omnia ſicuti inter vos geſta ſunt, per hujus tuitionis paginam confirmamus, nec quidquam eorum a nobis ſucceſſoribuſque noſtris deduci in irritum profitemur: quia valde eccleſiaſticæ eſt moderationi conveniens, ut quæ ordinata fuerint vel deciſa; nulla in poſterum debeant refragratione turbari.

Maſſę Samanteria, & Maſſalenas.

DIPLOMA CLXXIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Indicat quid Byzacenus primas egerit, ne a Romano epiſcopo judicaretur. De illius cauſſa, quod placuerit, loquatur cum Martino ſcholaſtico.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*c*).

An.11.Ind. 598.& 599.

Ex eod. lib.9. Ind. 11. epiſt. 59.alias lib.7. Ind.11. ep.65.

FRaternitatis veſtræ ſcripta ſuſcepi, in quibus indicaſtis Martinum virum eloquentiſſimum de Africana provincia Syracuſas veniſse, vobiſque aliquid ſecretum locutum fuiſse. Et quidem fraternitas veſtra quoties occaſionem reperit, amorem ſuum erga beatum Petrum apoſtolum non ceſſat oſtendere. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, quia ubi illa eſt, nos illic abſentes non invenimur. Cauſſam tamen de qua agitur, nec dum ſanctitas veſtra ſubtilius agnovit. In quodam enim crimine Byzacenus (*d*) primas fuerat accuſatus, & piiſſimus imperator eum juxta ſtatuta canonica per nos voluit judicari. Sed acceptis decem auri libris, tunc Theodorus magiſter militum obſtitit ut minime fierét. Tamen piiſſimus imperator admonuit, ut tranſmitteremus, & quidquid eſset canonicum faceremus. Sed videntes contrarietates hominum, eamdem cauſsam finire noluimus. Nunc con-

Theodorus magiſter militum.

(*a*) Fantinus ergo ultra defenſoris officium, & illud rectoris patrimonii S. Petri in ſtatione Panormitana habebat. Conſule Differt. VI. Cap. *de Rectoribus patrimonii Eccl. Rom.*

(*b*) De hiſce maſſis, & aliis ad eccleſiam Romanam in Sicilia ſpectantibus opportunius redibit ſermo in Differt. V. *de antiquo patrimonio Eccl. Rom. in Sicilia.*

(*c*) De eo aliqua dedimus in monitis ad Dipl. CXV. & CXXV.

(*d*) Id eſt, provinciæ Bizacenæ in Africa, in qua nunc eſt regnum Tunetanum, ut advertit Baronius *Annal. Eccl.* ad annum 599. cap. 6. erudite rejiciens qui eamdem Bizacii provinciam cum Byzantio perperam confundentes, primatem de quo hic agitur, metropolitam Conſtantinopolitanum fuiſſe putant.

autem idem primas aliqua de conſilio ſuo loquitur. Et valde dubium eſt, utrum pure an certe, quia a coepiſcopis ſuis impetitur, nobis modo talia loquatur: nam quod ſe dicit Sedi apoſtolicæ ſubjici; ſi qua culpa in epiſcopis invenitur, neſcio quis ei epiſcopus ſubjectus non ſit. Quum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales (*a*) ſunt. Tamen quod veſtræ fraternitati placet, cum prædicto eloquentiſſimo Martino loquimini. Vos enim tractate quid agere debeat: cui nos de cauſa breviter reſcripſimus: quia & hominibus incognitis paſſim nos credere non debemus; ſi tamen vos qui eum in præſenti conſpicitis, ei loquendum fixius aliquid judicetis: veſtræ hoc caritati committimus, de cujus amore in omnipotentis Dei gratia certi ſumus. Quæ autem vos agitis, nos egiſſe non dubitetis.

DIPLOMA CLXXIV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii papæ I. ad Romanum, alioſve patrimonii eccleſiaſtici defenſores. Ne mulieres cum epiſcopis, aut clericis in ſacris ordinibus conſtitutis habitent; ea lege ut uxores non relinquant, ſed caſte regant.

Gregorius Romano defenſori, Fantino defenſori, Sabino ſubdiacono, Adriano notario, Eugenio notario, Felici ſubdiacono, Sergio defenſori, Bonifacio defenſori, a paribus & ſex patronis (*b*).

QUia ſicut cauta proviſio culparum vias obſtruere, & novit quæ ſunt noxia declinare, ita neglectus patet exceſſibus, & quæ ſunt cavenda ſolet incurrere: magnam nos ſolicitudinis oportet curam impendere, & fratrum ſacerdotumque noſtrorum opinioni pariter & cautelæ proſpicere. Pervenit autem ad nos quoſdam epiſcoporum ſub prætextu quaſi ſolatii in una domo cum mulieribus (*c*) converſari. Et ideo ne per hoc aut ſubſannatoribus juſta obtrectationis detur occaſio, autem facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis aſſumat: hujus tibi ſerie præceptionis injungimus, ut ſtrenuum te ſtudeas, & ſolicitum exhibere. Et ſi qui epi-

Anno 599. mẽſe Mar.

Ex eod. lib. 9. Ind. 11. ep. 60. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 39.

(*a*) Quomodo intelligenda ſint hæc verba, ne apoſtolicæ Sedis primatum S. Gregorius ignoraſſe videatur, exponit idem Baronius ad annum 598. cap. 6.

(*b*) De defenſoribus, & notariis in hac epigraphe commemoratis agemus infra, Diſſertat. VI. ad calcem hujus Voluminis publicanda.

(*c*) Ut epiſcopi, & clerici non retineant in domo mulieres de incontinentia ſuſpectas, adeſt ſpecialis titulus Decretalium: *De Cohabit. Cler. & Mulier.* adſunt quoque canones Decreti diſtinct. 81. cap. 23. & ſeqq.

epiſcoporum, quos commiſi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compeſcas, & de cetero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis quas ſacrorum canonum cenſura permittit, id eſt matre, amita, germana, & aliis hujuſmodi, de quibus prava non poſſit eſſe ſuſpicio. Melius tamen faciunt, ſi etiam a talium ſe cohabitatione contineant. Nam legitur quod beatus Auguſtinus, nec cum ſorore ſua habitare conſenſerit, dicens: *Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt*. Docti ergo viri cautela, magna nobis eſſe debet inſtructio. Nam incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita ſuperat, qui didicerit etiam non uti conceſſis; & quidem nos nullos in hoc nolentes adſtringimus, ſed ſicut facere ſolent medici, & ſi ad tempus triſtem curam, tamen pro ſalute dictamus. Et iccirco non neceſſitatem imponimus, ſed ſi imitari doctum ſanctumque virum elegerint, ipſorum voluntati relinquimus. Tua igitur experientia, ut ſervari debeant ea quæ prohibenda mandavimus, ſtudium & ſollicitudinem gerat. Nam ſi aliter poſtmodum inveniri contingerit, non leve ſe apud nos noverit periculum incurſuram. Præterea curæ tuæ ſit eoſdem fratres noſtros epiſcopos adhortari, ut ſubjectos ſibi in ſacris videlicet ordinibus (*a*) conſtitutos, quod ipſi ſervant, ad ſimilitudinem ſui modis omnibus ſervare commoneant: hoc tantummodo adjecto, ut hi, ſicut canonica decrevit auctoritas, uxores quas caſte debent regere, non relinquant. Data menſe Martio, indictione II.

DIPLOMA CLXXV.

Epiſtola præfati S. Gregorii Pont. Max. ad eumdem Romanum defenſorem. Defenſorum nomen uſurpantes compeſcat. Fortunatum amoveat ab eccleſiæ negotiis. Martianum Johanni epiſcopo Romanæ eccleſiæ patrimonium curanti, inobedientem exulare cogat.

Gregorius Romano defenſori.

An. II. Ind. 598. & 599.
Ex eod. lib. 9. Ind. II. epiſt. 62. alias lib. 10. Ind. V. ep. 47.

PErvenit ad nos quod tonſuratores (*b*) in Sicilia prava ſibi præſumptione nomen defenſorum ſumerent, atque eos non ſolum utilitatibus eccleſiaſticis non eſſe utiles, ſed etiam hac occaſione multa indiſciplinata committere. Proinde experientiæ tuæ præſenti auctoritate præcipimus, ut hoc diligenter inquirat. Et ſi quos ſibi, præter

(*a*) De minoribus ordinibus intelligamus oportet, non autem de ſubdiaconatu & aliis majoribus ex eodem S. Gregorio lege cœlibatus jam incluſis. Conſule Dipl. LXIX. & CVIII. ſicut & cit. Diſſert. VI. Cap. *de Notar. Eccl.*

(*b*) Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* tom. I. lib. 2. cap. 39. n. 8. *Tonſuratores* ejuſmodi eoſdem eſſe putat, ac illos de quibus fit mentio in Dipl. LXXXVI. §. *Si vero de laicis*, pag. 135. Vide ibi.

ter eos qui hujus rei epiſtolas habent, hoc denuo nomen uſurpare reppererit, diſtricta illud emendatione compeſcat. Si vero quoſdam ſtrenuos ac fideles in eccleſiaſticis negotiis eſſe probaveris, ſubtiliter nobis de eis renuntiare neceſse eſt, ut utrum digni ſint epiſtola judicemus.

Præterea a Fortunato de iis quæ geſſit, rationes ſubtiliter perſcrutari te volumus, & ſatisfactis omnibus quæ debere conſtiterit, eum per patrimonium, vel actionem aliquam eccleſiæ noſtræ tranſire ulterius non permittas: quia ita ſe, quantum ad nos pervenit, exhibuit, ut commune aliquid deinceps cum noſtris habere non debeat.

Præterea nuntiatum eſt nobis, Martianum quemdam, qui nomen ſibi defenſoris aſſumpſit, fratri & coepiſcopo noſtro Johanni (*a*), cui curam patrimonii noſtri commiſeramus, exhibere obedientiam diſtuliſse. Require ergo, & ſi verum eſt, exilio tranſmittatur: ut ex cujus eccleſia honoris ſibi falſum nomen arripuit, adminiſtranti utilitates ipſius minime obediſse impunitum non ſit. Sed & ſi qui ſunt alii ordinationi memorati fratris noſtri inobedientes, diſtricta in eos ultione modis omnibus vindicabis.

DIPLOMA CLXXVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii PP. ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Ad deponendum Lucillum epiſcopum quatuor epiſcopos adhibeat. Sacerdotes, vel diaconos criminis conſcios, gradu ſuo dejiciat: laicos ſacra privet communione. Melitenſes ad epiſcopi electionem hortetur.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*b*).

QUæ adverſus Lucillum (*c*) Melitæ civitatis epiſcopum querela commota ſit, ex epiſtolarum veſtrarum, & geſtorum quæ ad nos direxiſtis pagina declaratum eſt. Et ideo quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri: fraternitas veſtra tres (*d*) vel quatuor de fratribus ac conſacerdotibus ſibi noſtris adhibeat, ut ipſis quoque præſentibus prædicta ac ſatisfacta veritate, prædictum Lucillum de epiſcopatus ordine, quem hujuſcemodi ſceleris contagio maculavit, ſtu-

Eod. anno. Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 63. alias lib. 7. Ind. 11. epiſt. 63.

(*a*) Nempe Syracuſano antiſtiti, quem rectorem patrimonii S. Petri in ſtatione Syracuſana revera fuiſſe, ulterius liquet ex Dipl. CCXLVI.

(*b*) De eo pauca modo exhibuimus, majora exſcripſimus ſupra in notis ad Dipl. CXV. & CXXV.

(*c*) De depoſitione Lucilli egimus in monitis ad Dipl. XC.

(*d*) Alibi a duodecim epiſcopis ejuſmodi depoſitio fieri ſolita. Adi Concilium Carthaginenſe I. & Triburienſe Can. 10.

ſtudeat ſine ambiguitate deponere. Quia vero presbyteri quidam vel diaconi proditæ iniquitatis fuiſſe conſcii ac participes memorantur, ſanctitas veſtra ſubtili indagatione diſcutiat. Et ſi ita repererit, ab honoris ſui & ipſos ſimiliter gradu dejiciat, & in monaſteriis ubi digne valeant pœnitentiam agere, deputet. Sed quia per hos multi in hujus labem peccati perhibentur eſſe collapſi, cunctos qui rei eſſe claruerint, Dominici corporis, ac ſanguinis participatione privare vos convenit, atque eos veſtris epiſtolis diſtrictius admonere ut litaniis, & orationibus operam dent, & peccati quam contraxerunt maculam flendo tergant. Quibus quando ſit ſecundum modum pœnitentiæ reddenda communio, judicio veſtro committimus. Hoc tamen ſolicite vos providere neceſſe eſt, ut iis qui mortis urgentur periculo, viaticum non negetur. Curæ præterea ſit vobis, clerum (*a*) & populum Melitæ civitatis hortari, ut quia ſine proprio paſtore eſſe non poterunt, ordinandum ſibi eligant, Deo propitio ſacerdotem (*b*). Cauſſam vero presbyterorum ac diaconorum, qui in lapſu accuſati ſunt, ſolicite omnino rimamini. Et ſi rei criminis eſse patuerint, ſeveram in eis ultionem & canonicam exhibete; ut quanto illorum iniquitas Deum potuit ad iracundiam provocare, tanto eum vos placare emendatione diſtrictiſſima valeatis.

DIPLOMA CLXXVII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Fantinum defenſorem Panormitanum. Januariam ab Anaſtaſii, & Bonifacii moleſtiis tueatur.

Gregorius Fantino defenſori Panormitano (*c*).

An. II. Ind. 598. & 599. — Ex eod. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 83. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 84.

JAnuaria præſentium latrix, maximam ſe moleſtiam ab ingenuo Anaſtaſio, atque Bonifacio contra juſtitiam pati comemorat; adeo ut poſseſſione quam per plurimos annos aſseritur poſsediſse, eam, ſicut ipſa ait, nitantur expellere. Et quia contra eos ſe eccleſiaſtica debere petiit tuitione defendi, experientia tua prædictos viros ad ſe evocet, eoſque admoneat, ut illi mali facere nihil præſumant. Sed ſi quid ſibi contra ſupraſcriptam mulierem credunt juſte poſse competere, judices cum ea eligant, & quæ inter eos fuerint definita, tuo pro quiete partium ſolatio compleantur. Si vero eos differre cognoveris, antefatæ mulieri ſalva æquitate tuitionem impendas, & eam contra rationis ordinem nullo modo gravari permittas.

DI-

(*a*) Ad clerum & populum tunc temporis præſulum electionem revera ſpectaſſe, oſtendimus ſupra, Dipl. CXVI.

(*b*) Super Trajanum cecidit electio, quemadmodum diſcimus ex Dipl. CLXXXII.

(*c*) De eo infra, Differt. VI. Cap. III.

DIPLOMA CLXXVIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Benenatum Tyndaritanum epiſcopum. Ut oratorium in honorem ſanctorum Severini, & Julianæ conſecret.

Gregorius Benenato epiſcopo Tyndaritano (*a*).

JAnuaria religioſa femina, petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis, in maſſa (*b*) Furiana juris ſui oratorium ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem ſanctorum Severini confeſſoris, & Julianæ martyris deſiderat conſecrari. Et ideo frater cariſſime, ſi in tuæ parochiæ memorata conſtructio jure conſiſtit, & nullum corpus (*c*) ibidem conſtat humatum, percepta primitus donatione legitima, id eſt in reditu præſtantes liberos a tributis fiſcalibus ſolidos decem, geſtiſque municipalibus alligata, prædictum oratorium abſque Miſſis (*d*) publicis ſollemniter conſecrabis; ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptiſterium conſtruatur, nec presbyterum conſtituas cardinalem. Sed ſi Miſſas ibi fieri ſupraſcripta conditrix forte voluerit, a dilectione tua presbyterum noverit poſtulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio ſacerdote ullatenus præſumatur. Sanctuaria vero ſuſcepta ſui cum reverentia collocabis.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 84. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 85.

(*a*) Rocchus Pyrrhus catalogum epiſcoporum Tyndaritanorum texens, Benenatum hunc non memoravit, deceptus nimirum lectione antea vulgata, quæ non Tyndaritanum, ſed Fundaritanum exhibebat, quam antiquam lectionem mendoſam eſſe oſtendunt hic Monachi Benedictini, hujuſmodi epiſtolam Siciliæ urbi Tyndario, ſeu Tyndari nunc exciſæ reſtituentes. De Tyndare, & Tyndaritano epiſcopatu egimus jam in notis ad Dipl. CII.

(*b*) Quid maſſæ nomine venerit dicemus infra, Differt. V. n. 3.

(*c*) Duo ad quamcumque conſecrationem faciendam neceſſaria præ illius ævi diſciplina exiſtimabat S. Gregorius, alterum ut nullum corpus in loco conſecrando fuerit humatum, alterum ut legitima prius dos conſtituatur. Confer cum Dipl. LXXX. CCIX. & aliis paſſim.

(*d*) Ex hoc loco plane liquet, qualis potiſſimum fuerit conſecrandi oratorii diſciplina. Porro dedicatio fiebat ſine Miſſa ſollemni, ſine titulari presbytero, ſine baptiſterio. Vide, ſis, Thomaſinum *de Vet. & Nov. Eccleſ. Diſcipl.* tom. 1. lib. 2. cap. 93. n. 7. & præterea conſule Diſſertationem noſtram *de antiqua Diſcipl. Eccleſiæ Siculæ in conferendo Sacramento Baptiſmi*, ad calcem hujus Voluminis edendam.

DIPLOMA CLXXIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Victorem Panormitanum epiſcopum. Præcoritano monaſterio presbyterum ex ipſis monachis ordinet.

Gregorius Victori epiſcopo Panormitano (*a*).

An.11.Ind. 598.& 599.

Ex eod. lib.9. Ind. 11. epiſt. 92.alias lib.7. Ind.11.ep.93.

DEſiderium quod ad religioſum propoſitum, & animarum ſalutem pertinere monſtratur, ſine aliqua, Deo auctore, eſt dilatione complendum. Et ideo quia monachorum congregatio quæ in monaſterio Præcoritano (*b*) conſiſtit pro ſacris Miſſarum ſollemnibus peragendis presbyteri indigere probatur officio, atque de ſua ſibi congregatione in hoc ordine poſtulant conſecrandum, fraternitatem veſtram ſcriptis præſentibus adhortamur, ut eum quem ſibi de congregatione ſua unanimes duxerint eligendum, in prædicto monaſterio ſine mora vel excuſatione aliqua presbyterum debeat ordinare, atque eum nec in eccleſia, nec in loco alio obſervare, ſed illic jugiter permanere ex noſtra quoque auctoritate conſtituat: quatenus & ille dum alibi non fuerit occupatus, in officio ſuo aſſiduus poſſit & utilis inveniri, & congregatio quæ ſibi eum poſtulat ordinari, quoties neceſſe fuerit, ſacrificii (*c*) ſollemnitatem veneratione debita celebrantes, valeant refoveri.

DI-

(*a*) De eo actum a nobis eſt in notis ad Dipl. XCIII. & CXII.

(*b*) Idem eſſe putamus, ac illud quod in Dipl. LXXXVI. §. *Fratre autem*, & §. fin. appellatur monaſterium Prætorianum. Conſule Diſſert. III. ad calcem hujus Voluminis poſitam.

(*c*) Ex hoc loco quatuor conſequentias deducit Thomaſinus ſuperius laudatus n. 15. *I. Unum ad ſummum in his monaſteriis presbyterum fuiſſe. II. Nec quotidie myſteria ibi celebrari ſolita, ſed quoties neceſſe fuerit. III. Monaſteria Occidentalia diutius aliena fuiſſe a ſacerdotalibus functionibus, quam Orientalia. IV. Monachum hunc presbyteratu initiatum, ut rem divinam ageret in monaſterio, non ut ullis ſe præterea ſacris functionibus intricaret.* His affinia jam ſcripſerat Guſſanvillæus hic, cordate negans, ordinando monachorum presbytero facultatem de confeſſionibus excipiendis umquam datam fuiſſe. Id non probatur Monachis Benedictinis in hoc loco, quibus valde perſuaſum eſt, S. Gregorium in aſſignando presbyteri officio, celebrandæ ſolummodo Miſſæ meminiſſe, non quod unica illa ſacerdotii actio eſſet, ſed quod præcipua præſtantiorque: ideoque illius presbyteri muneris fuiſſe volunt, ne dum ſacrificium offerre, ſed & infirmos ungere, mortuorum ſepulchris præeſſe, confeſſiones pœnitentium audire, & alia ſacerdotalia munera facere. Sed vereor ne interpretatio hæc abhorreat a genuino S. Gregorii ſenſu, quem ſatis expreſſum habemus ex altera ejuſdem argumenti epiſtola hic Dipl. CCXLVII. Ubi hæc adduntur verba: *Nihil ei aliud privilegii concedentes, niſi ut in congregatione ſua, quoties opportunum fuerit, ſacra Miſſarum debeat tantummodo celebrare myſteria.*

DIPLOMA CLXXX.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii ad Romanum defenſorem. Iſtros quoſdam, ut in Siciliam ad epiſcopum ſuum cito perveniant, adjuvet. Epiſcopum ipſum ut Romam veniat adhortetur, ac itineris expenſam præbeat.

Gregorius Romano defenſori (*a*).

PRæſentium portitores huc de Iſtriæ (*b*) partibus venientes, ad epiſcopum ſuum qui nunc in Siciliæ degit partibus, cum noſtro ſe pergere ſolatio popoſcerunt: quos hinc ordinantes fecimus ambulare. Suſcipiens ergo eos experientia tua ordinet, qualiter ad prædictum epiſcopum ſuum velocius valeant pervenire; ne ſicut aſtruunt, ſchiſmaticorum illarum partium eos alii ad perſuadendum præveniant. Quantum enim indicant, ipſe epiſcopus pro unitate fidei ad nos habet deſiderium veniendi. Concurrendum ergo illis eſt, ut bona quæ cupiunt Domino adjuvante valeant perficere. Sed experientia tua, aut per ſe, ſi in vicino eſt, aut ſuis epiſtolis, eumdem epiſcopum adhortetur, ut propitiante Domino ad apoſtolorum limina properare feſtinet, ſciturus quod a nobis cum omni ſuſcipietur affectu. Cui expenſam itineris qualiter ad nos perveniat, præbere te volumus. Sin vero oneroſum illi eſt huc venire, & Siciliam habitare diſponit, atque in unitate Eccleſiæ apud ſcripturarum perverſores cum cautela permanere conſentit, & hoc nobis tua ſuggeſtione indicare non differas: ut qualiter illic conſultum habere valeat, expenſare auxiliante Domino diſponamus. Sed & harum latores quemadmodum ad eumdem epiſcopum ſuum veniant, tuæ concurſionis ſit atque ſolatii, ut venientes a nobis nihil minus ſentiant.

Eod. anno.
Ex cit. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 94. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 97.

DI-

(*a*) Conſule Dipl. CLVI. ſicut & Diſſert. VI. ad calcem hujus Voluminis edendam, Cap. *de Defenſoribus Eccleſiæ*.

(*b*) Confer cum Dipl. CVI. & CXXIX. & ulterius lege Baronium *Annal. Eccl.* ad annum 599. cap. 9.

DIPLOMA CLXXXI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pont. Max. ad Venantium, & Italicam jugales. Morbis afflictum, ex ſuis ipſius moleſtiis, atque ex generali totius orbis percuſſione, quæ mundi finem proximum indicat, conſolatur.

Gregorius domno Venantio patricio, & Italicæ jugalibus (*a*).

An. 11. Ind. 598. & 599.

Ex eod. lib. 9. Ind. 11. epiſt. 123. alias lib. 7. Ind. 11. ep. 128.

QUoſdam (*b*) de Sicilia venientes, affectu quo debui, de ſoſpitate veſtræ excellentiæ requirere curavi. Sed de aſſiduitate ægritudinum mihi triſtia reſponderunt. Hæc autem dicens, nec ego vobis de me ipſo invenio aliud quod debeam nuntiare, niſi quod peccatis meis facientibus, ecce jam undecim menſes ſunt quod valde verum eſt ſi de lecto ſurgere aliquando potuero. Tantis enim podagræ, tantiſque moleſtiarum doloribus premor, ut vita mea mihi graviſſima pœna ſit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando ſuſpiro. In clero vero hujus urbis, & populo tanti febrium languores irruerunt, ut pene nullus liber, nullus ſervus remanſerit, qui eſſe idoneus ad aliquod officium vel miniſterium poſſit. De vicinis autem urbibus ſtrages quotidie mortalitatis nobis nuntiantur. Africa autem qualiter mortalitate & languoribus vaſtetur, quanto viciniores eſtis, tanto credo quod ſubtilius cognoviſtis. De Oriente vero qui veniunt, graviores deſolationes nuntiant. In his itaque omnibus, quia appropinquante fine mundi generalem percuſſionem eſſe cognoſcitis, affligi nimis de propriis moleſtiis non debetis. Sed ſicut ſapientes nobiles decet, omne cor ad animarum curam reducite, diſtrictum judicium quanto ſit vicinius, plus timete. Studiis pietatis intendite, de qua ſcriptum eſt, quod promiſſionem habeat, vitæ præſentis, & futuræ. Potens eſt autem omnipotens Deus vitam veſtræ excellentiæ & hic in longo tempore conſervare, & poſt multa annorum curricula, ad gaudia æterna perducere. Dulciſſimas filias meas domnam Barbaram (*c*), & domnam Antoniam mea peto vice ſalutari: quas oro ut ſuperna gratia protegat, eiſque proſperari in omnibus concedat.

DI-

(*a*) De eis egimus jam in monitis ad Dipl. LXV.

(*b*) Epiſtolam hanc magna ſui parte integram exſcripſit Johannes Diaconus *in Vita S. Greg.* lib. 4. Cap. 67. §. *Item Italicæ patriciæ*.

(*c*) Hiſce puellis Barbaræ & Antoniæ de imminente Venantii patris morte vehementer afflictis, conſolatorias litteras inſcripſit poſtea ipſemet S. Gregorius, hic Dipl. CCXVII. & præterea agitur de eis in Dipl. CCXVI. CCXVIII. & CCXXXII.

DIPLOMA CLXXXII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Romanum in Sicilia defenſorem. Ablatas tum a Lucillo quondam epiſcopo, tum a Petro illius filio, res Melitenſis eccleſiæ jubet reſtitui. Trajano jam epiſcopo monachos in ſolatium ita concedit, ut idipſum reſervet diœceſani epiſcopi arbitrio. Quæ idem Trajanus, dum erat abbas, acquiſivit, non ejus ſed monaſterii eſſe declarat. Alia quædam ut tollat, permittit.

Gregorius Romano defenſori Siciliæ (*a*).

NIhil proficit ſacerdotum culpas ulciſci, & commiſſa dejectione crimina vindicare, ſi eis qui convincente facinore deponuntur, amiſſio honoris ſolatium, & caſus ſui cœperint eſſe compendium. *An. III. Ind. 599. & 600.* S. Greg. lib. 10. Ind. III. epiſt. 1. alias lib. 8. Ind. III. ep. 1.

Queſtus itaque nobis eſt frater & coepiſcopus noſter Trajanus, Lucillum (*b*) quondam inſulæ Melitenſis epiſcopum, flagitii ſui iniquitate perterritum, non ſolum res eccleſiæ, cujus non rector, ſed inimicus potius exſtitit, abſtuliſſe; verum etiam plurima eum ejuſdem eccleſiæ competentia de præteritis retinere. Quippe qui in fabricam (*c*) vel ſarta tecta ipſius nihil pertulit expendere, ſed mente ſacrilega ſuis totum ſtuduit compendiis applicare. Et quia grave nimis, ac contra Deum eſt, ut ſua illi dejectio non ſit pœna, ſed commodum, experientia tua eum diſtricte commoneat, ut quidquid abſtulit, vel apud ſe de præteritis retinet, ſine mora reſtituat. Quid ſi indita ſibi nequitia negare fortaſſe voluerit, quia facile dicitur poſſe convinci, una cum reverendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Johanne Syracuſano reſidens ſubtili inquiſitione hujus rei veritatem rimare: quatenus probatione habita, quidquid eum tuliſſe vel ſuppreſſiſſe claruerit, palam verecundia confuſus reſtituat, quod inverecunde clam abſtulit. Petrum autem prædicti Lucilli filium ſimiliter tui ſtudii ſit admonere, ut quia & ipſe ſupradictæ eccleſiæ tuliſſe plurima perhibetur, honeſta ea conſideratione reſtituat: alioquin veſtro & ipſe eſt judicio præſentandus, ut præcedentes ſubtili inquiſitione, utrorumque cauſſa valeat uno fine concludi.

Præterea petiit a nobis ſupraſcriptus Trajanus frater noſter, ut de monaſterio ſuo, quod in civitate Syracuſana ſitum eſt, ei quatuor vel

(*a*) De eo aliqua exhibuimus in notis ad Dipl. CLVI.

(*b*) Vide quæ dedimus in monitis ad Dipl. XC. & CLXXVI.

(*c*) Bonorum eccleſiæ quarta olim pars, nunc quinta expendi debet in ſacris ædibus reparandis. Conſule admonitiones ad Dipl. XXXII. cap. 27. pag. 73.

vel quinque dari monachi (*a*) debuiſſent. Quod pro ejus ſolatio nequaquam æſtimavimus denegandum : quia ad locum proficiſcens incognitum , ſi proprios quorum conſolatione utatur , non habeat, mens affecta triſtitia minus ſe ad ea, quæ utilitatis ſunt , erigit, & ante incipit ſuccumbere quam laboret . In qua re ne ſupraſcripti reverendiſſimi fratris & coepiſcopi noſtri Johannis privilegiorum videremur prærogativam minuere , ita hoc illi noveris eſſe conceſſum , ut tamen fratris & coepiſcopi noſtri Johannis ſit arbitrio per omnia reſervatum . Quia ergo petitioni ſuæ prædictus frater noſter adjecit, ut pueros quos de propria pecunia comparavit , ac ſuos patriſque ſui codices , aut res alias , quas in eodem monaſterio habet , ei ſit tollendi licentia , ratio nos hoc negare non pertulit. Sed ne poſtulata videamur indiſcrete concedere , hanc tenendam obſervantiam ſcito, id eſt ut quidquid poſtquam ab abbatis remotus eſt officio, comparavit , vel quolibet titulo acquiſivit , libera illi tollendi facultas ſit. Sed & hoc quod de monaſterio illo , in quo converſus eſt, quod in provincia Valeria in poſſeſſione juris ſui patrem ejus manifeſtum eſt conſtruxiſſe, pellente hoſtilitate dedecens abſtulit, ſecumque detulit, ſine aliqua dubietate ei reddendum eſt: quia alterius acquiſitionis jus effugit , quod ſemel monaſterii fuerit dominio ſociatum. Si quid autem dum adhuc illic abbatis fungeretur officio, acquiſivit, non ſuum ſed monaſterii ipſius eſſe cognoſcat. Et ideo de jure illud ejuſdem monaſterii auferri ulterius quolibet modo non patimur. Legatum igitur quod antedictum fratrem noſtrum Capitulana conditrix ſupradicti monaſterii ſingulis annis de eodem monaſterio per ultimam voluntatem ſuam habere conſtituit , experientia tua ſolatiante, juſtitia faciente, ſine aliqua faciat dilatione percipere.

Provincia Valeria.

DI-

(*a*) Ut monachi e Syracuſana diœceſi in Melitenſem tranſirent , conſenſus Syracuſani epiſcopi neceſſarius fuit, propter illam eccleſiæ diſciplinam, quæ tunc temporis obtinebat , ne clerici & monachi ab una in aliam eccleſiam vel diœceſim, inconſulto proprio epiſcopo, ac ſine ejus, ut vocabant, miſſione, tranſirent, etiamquum ad epiſcopatus dignitatem provehebantur : hinc quod Johannes Syracuſanus epiſcopus Catanenſis erat archidiaconus , eum a Leone ejus antiſtite cedi hortatur S. Gregorius, hic Dipl. CXXVI. Qui & in epiſtola ad Vitum defenſorem, hic Dipl. CCXX. ipſum Vitum eccleſiæ defenſorem inſtituens, ait: *Si nulli conditioni vel corpori teneris obnoxius, nec fuiſti clericus alterius civitatis*.

DIPLOMA CLXXXIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii magni ad Fantinum defenſorem. Colligat Romani mancipia, atque illorum laboris fructus, ad conſtructum a Romano ipſo monaſterium mittat.

Gregorius Fantino defenſori (*a*).

MAncipia juris Romani (*b*), ſpectabilis (*c*) memoriæ viri, qui in domo ſua quæ Neapoli ſita eſt, monaſterium ordinari conſtituit, habitare in Sicilia perhibentur. Et quia monaſterium ipſum juxta voluntatem ejus, Deo auctore, noſcitur ordinatum, experientia tua præſentium portitoribus, qui ad recolligenda mancipia ipſa illuc directi ſunt, omni ſtudio ſolatiari feſtinet, & recollectis eis, poſſeſſiones illis ubi laborare debeant, te ſolatiante, conducat. Et quidquid eorum labore acceſſerit, reſervato unde ipſi poſſint ſubſiſtere, reliquum ad prædictum monaſterium experientiæ tuæ cura annis ſingulis, auxiliante Domino tranſmittatur.

Anno III. Ind. 599. & 600.

Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 3. alias lib. 8. Ind. III. ep. 4.

DIPLOMA CLXXXIV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Baſilio Capuano antiſtiti, pro Cethego, & Flora, auri libras decem per Maximum ſolvat.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*d*).

GLorioſi filii noſtri Cethegus, atque Flora jugales, pro certis cauſſis Maximum virum clariſſimum palatinum (*e*) privatarum ad Siciliam tranſmittentes, decem libras auri reverendiſſimo fratri noſtro Baſilio (*f*) Capuanæ civitatis epiſcopo, qui illic jam eſſe di-

Eod. anno.

Ex cit. lib. 10. Ind. III. ep. 9. alias lib. 8. Ind. III. epiſt. 10.

(*a*) Eumdem eſſe putamus, ac Fantinum defenſorem Panormitanum, cui inſcribitur epiſtola ſub n. CLXX. exhibita.

(*b*) Hic diverſus fuit a Romano Siciliæ defenſore, de quo agitur in Dipl. CLVI. & alibi paſſim. Is enim ut plane liquet ex Dipl. CLXXX. & aliis ſane quam multis infra exſcribendis non dum per hæc tempora mortem obierat, ſicuti Romanum hunc obiiſſe putat S. Gregorius.

(*c*) Spectabilis titulus non omnibus pro arbitrio tribuebatur, ſed iis ſolummodo qui magiſtratum medii honoris geſſerant. Vide ſupra in monitis ad Dipl. LVIII.

(*d*) De eo actum a nobis eſt in admonitionibus ad Dipl. CXV. & CXXV.

(*e*) Aliqua de palatinis annotavit Guſſanvillæus; ſed Monachi Benedictini palatinum hic eumdem eſſe credunt, ac comitem privatarum, cujus dignitas & officia explicantur apud Caſſiodorum lib. 6. form. 8. quem vide, & ulterius conſule epiſtolam Theodorici *ad Senarium, virum illuſtrem, comitem privatarum*, hic Dipl. XXXIX.

(*f*) S. Gregorius diſciplinæ epiſcopalis reſidentiæ ſtudioſiſſimus, epiſcopum hunc ad eccleſiam ſuam extemplo reſtitui jubet, data ad Romanum defenſorem eccleſiæ ſuæ in Sicilia epiſtola proxime exſcribenda.

gnoſcitur, ſuis utilitatibus præfuturas dari depentionibus eccleſiaſtici patrimonii voluerunt. In quarum reſtitutione, ne qua mora fieret, aut difficultas forte contingeret, quantitatem ipſi dilectiſſimo filio noſtro Bonifacio diacono tradiderunt. Et ideo quia noſtros nos filios, & præſertim ubi damnum minime ſentit eccleſia, non convenit contriſtare: his fraternitati tuæ mandamus apicibus, ut ſupraſcripto fratri coepiſcopoque noſtro Baſilio, & Maximo viro clariſſimo, ſecundum voluntatem prædictorum filiorum noſtrorum Cethegi, atque Floræ glorioſarum perſonarum, decem libras auri ſine tarditate poſt ſubditam de ſuſcepto paginam dare debeatis: quatenus dum nulla in accipiendo eis mora provenerit, & illi mandata ſibi, ut noverint, utiliter exſequantur, & pars eccleſiæ rationabiliter ſit munita.

DIPLOMA CLXXXV.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii PP. ad Romanum defenſorem. Baſilium epiſcopum forenſes cauſſas actitantem, ultra quatuor dies in Sicilia morari non ſinat.

Gregorius Romano defenſori noſtro Siciliæ (*a*).

Anno 599. menſe Dec.

Ex eod. lib. 10. Ind. III. ep. 10. alias lib. 8. Ind. III. ep. 11.

PErlatum ad nos eſt reverendiſſimum fratrem noſtrum Baſilium (*b*) epiſcopum velut unum de ultimis in cauſſis occupari, & prætoriis inutiliter obſervare. Quæ res quoniam & ipſum vilem reddit, & reverentiam ſacerdotalem annihilat, ſtatim ut experientia tua hoc præceptum ſuſceperit, eum ita ad revertendum diſtricta exſecutione compellat: quatenus ei illic te inſiſtente quinque diebus ſub qualibet excuſatione immorari non liceat; ne ſi quolibet modo eum ibidem moram habere permiſeris, cum ipſo apud nos graviter incipias eſſe culpabilis. Datum menſe Decembis, Indict. III.

DI-

(*a*) De eo ſupra in admonitionibus ad Dipl. CLVI.

(*b*) Scilicet, Capuanum antiſtitem, ut manifeſtiſſime conſtat ex præcedente epiſtola, quam quod non legit Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 1. lib. 2. cap. 98. ſub n. 3. in errorem prolapſus, epiſcopum hunc Siculum fuiſſe putavit. Conſulendus nihilominus eſt auctor iſte pro diſciplina reſidentiæ hic memorata, quam per hæc ferme tempora S. Gregorii diſerte ſatis ac erudite illuſtrat par. 2. lib. 3. cap. 32. Porro nobis ſat eſſe videtur exſcribere teſtimonium quod de hac re perhibet Johannes Diaconus, vitam ejuſdem S. Gregorii illuſtrans lib. 3. cap. 36. *Neminem ſane pontificum a parochia ſua ſaltem parumper abſque inevitabili prorſus neceſſitate diſcedere Gregorius permittebat; quos nimirum in cauſſis mundialibus occupari vehementiſſime prohibebat.*

DIPLOMA CLXXXVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Romanum defenſorem. Fuſcum abbatem juvet, ut abſque mora quæ monaſterii ſui ſunt recipiat.

Gregorius Romano defenſori.

An. III. Ind. 599. & 600.

Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 13. alias lib. 8. Ind. III. ep. 14.

FUſcus (*a*) abbas monaſterii ſanctorum Eraſmi, Maximi, atque Julianæ, quod Neapoli ab Alexandra, clariſſimæ memoriæ femina, ſicut noſti, fundatum eſt, quæ etiam & heredem inſtituit: maſſam (*b*) Papyrianenſem, quæ illic in Sicilia ſita eſt, cum xenodochio ſancti Theodori (*c*), ſupraſcriptum monaſterium ſuum aſſerit habere communem. Sed ut ad dividendam eam, cum his quorum intereſt, dilationem non debeat ſuſtinere, experientiæ tuæ ſibi petit adeſſe ſolatium. Proinde hujus tibi ſerie præceptionis injungimus, ut ei concurrere, atque in omnibus ſolatiari feſtines: quatenus maſſa ipſa ſecundum portiones competentes ſine mora aliqua dividatur. Sed ne forte dicatur, quia a prædicto monaſterio poſſeſſiones quæ hic communes ſunt, detinentur, eſſe ex hoc excuſatio non debet, quia & ipſas paratus eſt, ſine difficultate dividere. Quia vero legatum quod prædictæ Alexandræ a Pompejo relictum dicitur, ab eodem quippe xenodochio, quod ei in octo unciis jure perhibetur hereditario ſucceſſiſſe, memoratus abbas ſuo inquit monaſterio redhiberi: & ſi ita eſt, agere ſtudeat ut quod relictum eſt, modis omnibus exſolvatur. Ita ergo ſolicitudo tua in hac ſe re exhibeat, ut ſuffragante juſtitia, prædicti abbatis labor, quem ad nos veniendo aſſumpſit, vacuus eſſe non debeat.

(*a*) Is abbas duorum monaſteriorum erat, illius ſcilicet ſanctorum Eraſmi, Maximi, atque Julianæ, & alterius S. Archangeli quod & *Macharis* dicebatur, ut patet ex hac epiſtola, & altera proxime exſcribenda.

(*b*) Quid maſſæ nomine venerit opportunius dicemus infra, Differt. v. n. 3.

(*c*) Hocce xenodochium Panormi a Petro quodam conſtitutum eſſe, diſcimus ex Dipl. CCXXXV. Sub invocatione ejuſdem S. Theodori duo præterea erant monaſteria in Sicilia, alterum Panormi, alterum Meſſanæ, ut oſtendimus in notis ad Dipl. LXIII, & dicemus infra, Differt. III. Cap. III. n. 21. & 22.

DIPLOMA CLXXXVII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Fantinum defenſorem Panormitanum. Fuſco abbati, monaſterii ſui codices & vela reſtitui faciat.

Gregorius Fantino defenſori Panormitano (*a*).

An. III. Ind. 599. & 600.
Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 14. alias lib. 8. Ind. III. ep. 15.

FUſcus (*b*) abbas monaſterii ſancti Archangeli quod Macharis dicitur, atque ſanctorum Maximi, Eraſmi, & Julianæ, aſſeruit Conſtantium cellæ (*c*) ſuæ presbyterum ob temporis qualitatem ſe in Siciliam (*d*) tranſmigraſſe, & codices monaſterii ſui atque vela ſecum pariter deportaſſe. Quem quoniam defunctum perhibet, & ea, quæ cellæ ſuæ eſſe commemorat, ſibi poſtulat debere reſtitui. Experientia tua veritatem curet addiſcere: & ſi ita eſt, omnia quæ monaſterii ipſius ſunt ſine aliqua faciat dilatione reſtitui. Nam contra rationem eſt, ut quod de monaſterio pro temporis, ſicut dictum eſt, qualitate ſublatum eſt, ab ejus debeat jure ſeparari. Ita ergo experientia tua agat, ut veritatem addiſcens, prædictum illic abbatem, vel quem vice ſua tranſmiſerit, dilationem fruſtra ſuſtinere minime patiatur.

DIPLOMA CLXXXVIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii Pont. Max. ad Leonem Catanenſem epiſcopum. S. Viti monaſterium tueatur a quorumdam moleſtiis: junctos vero mulieribus monachos digna emendatione corrigat.

Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſi (*e*).

Eod. anno.
Ex cit. lib. 10. Ind. III. epiſt. 22. alias lib. 8. Ind. III. ep. 21.

MArtianus monachus monaſterii (*f*) ſancti Viti, quod in Ætna monte eſt poſitum, conſenſu, ut ait, congregationis ejuſdem monaſterii ad nos veniens, queſtus eſt multas monaſterium ipſum a quibuſdam moleſtias ac præjudicia ſuſtinere. Inter quæ illud nos quoque vehementiſſima exacerbatione commovit, quod in tantum mo-

(*a*) Aliqua de eo dicemus infra, Differt. VI. Cap. III.
(*b*) De eo in notis ad præcedentem epiſtolam.
(*c*) Id eſt, monaſterii, ſupra Dipl. CLXII.
(*d*) De Italis in Siciliam confugientibus aliqua dedimus in notis ad Dipl. LXVII. pag. 108. & 109.
(*e*) Epiſtola hæc concordat cum altera proxime exſcribenda, quam ad Adrianum notarium dedit ipſemet S. Gregorius. Ceterum de Leone epiſcopo Catanenſi egimus jam in monitis ad Dipl. LXXXVII.
(*f*) De hoc monaſterio opportunius aliqua ſumus dicturi infra, Differt. III,

monaſterium ipſum innotuit calcari, ac deſpici, ut etiam monachis ibidem degentibus, mulieribus ſe jungere ſine metu ſit licitum. Quod ſi ita eſt, quam grave veſtram fraternitatem, & apud Deum peccatum, & apud homines culpa reſpiciat, ipſe poteris judicare: quippe quia nulla te prævales excuſatione defendere. Aut enim hæc fieri neſciſti, & culpa neglectus vehementer argueris: aut certe factum recognoviſti, & graviorem erga te videris indignationem exigere, cur tantum facinus ultione ſtrictiſſima non puniſti. Itaque ſcriptis fraternitatem veſtram præſentibus commonemus, ut cum omni hoc vigilantia inveſtigare feſtinet. Et ſi hujuſmodi iniquitatem a quibuſdam perpetratam invenerit, ita hujus perverſitatis facinus digna ſtudeat emendatione corrigere; quatenus & Deum placare, & aliis ne de cetero quid ſimile perpetretur, cuſtodiæ poſſit diſciplinam oſtendere. Moleſtias vero quas prædictum monaſterium pati, vel ea quæ ei perhibentur invaſa, ſanctitas veſtra cognoſcat, & ita ſe in quantum juſtum eſt, in protectione ejuſdem exhibeat, ut in nullo contra æquitatis ordinem valeat aliquo modo prægravari. Præceptum vero beatæ recordationis noſtri prædeceſſoris Pelagii datum ad Elpidium (*a*) prædeceſſorem veſtrum, cujus ſubtus exemplaria fecimus adſcribi, ſine aliqua volumus refragatione ſervari.

DIPLOMA CLXXXIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii PP. ad Adrianum notarium Siciliæ. Agat quoque, tum ut puniatur ſupradictorum monachorum ſcelus, tum ne quis illorum bona invadat.

Gregorius Adriano notario Siciliæ (*b*).

RES ad nos omnino deteſtabilis (*c*), & nefanda pervenit, & miramur cur, ſi veritate ſubſiſtit, eam minime cognoviſti. Veniens autem ad nos Martianus, monachus monaſterii ſancti Viti, quod in monte Ætna eſt poſitum, oblata nobis petitione queſtus eſt inter alia, ita monachos ejuſdem monaſterii perverſe ac nequiter vivere, ut mulieres ſibi ſociare, quod dici nefas eſt, audeant. De qua re quia fratri & coepiſcopo noſtro Leoni ſcripſimus, ut requiſita veritate, ſi ita repererit, diſtrictiſſima hoc ſtudeat ſeveritate corrige-

Eod. anno.

Ex cit. lib. 10. Ind. III. epiſt. 23. alias lib. 8. Ind. III. ep. 22.

(*a*) Conſule quæ de eo dedimus in notis ad Dipl. LIV. & LVII.

(*b*) Alibi, id eſt Dipl. CCXXVII. *Adriano notario Panormitano*. Agitur ulterius de eo in Dipl. CLXXIV. & CCXXX. Conſule quæ, Deo auſpice, ſumus dicturi in Differt. VI. Cap. *de Notariis Eccleſiæ*.

(*c*) Confer cum epiſtola proxime exhibita.

rigere: neceſſe quoque eſt ut in hac re tua ſe experientia ad inveſtigandam veritatem, & puniendum tantum ſcelus omnimodo ſolicite debeat exhibere, ut neque remiſſe, neque negligenter agi aliquid videatur. In aliis vero utilitatibus memorati monaſterii ſolatia tua in quantum ratio popoſcerit æquitatis, impende: quatenus & ſi quid ei, ſicut dicitur, invaſum eſt, ſecundum juſtitiam reformetur; & de cetero præjudicium illic aliquod contra Dei timorem, & legum ordinem, nullo modo generetur.

DIPLOMA CXC.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Zittanum magiſtrum militum. Fatetur perſolvenda etiam a religioſis tributa.

Gregorius Zittano magiſtro militum (*a*).

Anno 600. menſe Majo.

Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 27. alias lib. 8. Ind. III. epiſt. 28.

EPiſtolas veſtras Græco ſermone dictatas me indico ſuſcepiſſe, in quibus dicitis quod quædam religioſa loca reſponſum (*b*) juri publico de rebus ei competentibus reddere contemnant. Quæ res me omnino contriſtavit: quia noſtri eſt habitus non ſolum præjudicia minime facere, ſed etiam facta æquanimiter portare: niſi forte quod res pauperum defendere rationabiliter cogimur, ne apud omnipotentem Deum culpabiles inveniri valeamus. Proinde Fantino (*c*) defenſori quæ ſcripſerim gloriæ veſtræ tranſmiſi, ut ipſe religioſos quoſque in Panormitanis partibus apud electos judices venire compellat, & ſuorum actuum rationem reddant. Omnipotens Deus cæleſtis vobis miſericordiæ largitatem præbeat, ut per cuncta, quæ agitis, ejus gratiæ ſerviatis. Menſe Majo, indictione III.

DI-

(*a*) Conſule Differt. VII. Cap. *de Magiſtris Militum*.

(*b*) Reſponſum pro tributo hic accipi perhibet Guſſanvillæus, cui ſe ſubſcribunt Monachi Benedictini. Porro tributa a religioſis locis perſolvi præcipit S. Gregorius, non quod eccleſiarum Siciliæ bona ejuſmodi oneri fuerint ſubjecta; ſed ratione bonorum, quæ a laicis in eccleſiam tranſibant cum intrinſecis tributorum fiſcalium oneribus: hinc non caſu factum, ut ipſe S. Gregorius in nova dedicatione baſilicæ, oratorii, vel monaſterii juſſerit, ut quæ conſtitui debebat dos libera omnino eſſet *a tributis fiſcalibus*: ſic in Dipl. LXXX. CLXXIII. & CCIX. Et quidem tantum abeſt tributis fiſcalibus bona eccleſiæ S. Gregorium obnoxia voluiſſe, ut Talitano ſcriberet de patrimonio eccleſiæ defendendo a Vectigalariis, qui auctoritate principis tributa exigebant, ſupra Dipl. CXIII.

(*c*) De eo agemus infra, Differtat. VI. Cap. *de Defenſoribus*.

DIPLOMA CXCI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Fantinum defenſorem. Cauſſas Sabinianum inter & Theodorum epiſcopum, tum de impenſis in hoſpites, tum de aliis ſuo judicio definiat.

Gregorius Fantino defenſori (*a*).

SAbinianus vir clariſſimus (*b*), præſentium lator, nobis indicavit hanc olim ibi conſuetudinem conveniſſe, ut diverſis ſupervenientibus, cives (*c*) ejuſdem civitatis de proprio expenſas impenderent. De qua re dum ſe quererentur affligi, hoc illis cum Theodoro (*d*) Lilybœtano quondam epiſcopo conveniſſe, ut in eccleſia ejus certæ portiones ſubſtantiæ ſuæ donatione conſcriberentur, & hoc in ſe onus ſuſciperet, atque ſecuris eis redditis, ipſe de eccleſia quidquid eſſet neceſſarium, erogaret. Se vero per tertiamdecimam, & primam indictiones, quibus prædictæ civitati defenſoris officium tenuit, abſente epiſcopo, de proprio expendiſſe quod de eccleſia poterat erogari. Et quia ſibi quod expendit, poſtulat debere reſtitui: iccirco experientiæ tuæ præcipimus, ut reverendiſſimo fratri & coepiſcopo noſtro Decio (*e*) ſtudeat imminere: quatenus aut pacifica, ſi ita eſt, cum eo ordinatione decidat; aut certe ſi qua ſe ratione a reſtitutione expenſarum credit defendere poſſe, in judicio tuo aſſiſtat. Et exquiſita diligentius veritate, ita quidquid tibi æquitatis ordo ſuaſerit, mora poſtpoſita definito, ut & rationabiliter cauſſa finem accipiat, & partes apud te nulla fatiget in obſervatione dilatio. Si autem donationes, de quibus dictum eſt, eccleſiæ ſuæ eſſe oneroſas exiſtimat, & reddere eas donatoribus fortaſſe voluerit: ſi qui ex eis qui eos recipiunt, clerici ſunt, a te ſimiliter moneantur ut aut ſecundum portiones ſuas, quæ erant ſoliti dare perſolvant: aut certe ſi cauſari voluerint, contentiones partium tua neceſſe eſt cognitione diſtingui, ut nulla ſe pars inaudita queratur præjudicium ſuſtinere. Alias vero cauſſas quas cum memorato reverendiſſimo viro fratre noſtro ſupraſcriptus portitor habere præſentes ſe aſſerit tuo ſimiliter volumus, mediis ſacris Evangeliis judicio definiri.

An. III. Ind. 599. & 600.
Ex eod. lib. 10. Ind. III. ep. 28. alias lib. 8. Ind. III. epiſt. 29.

DI-

(*a*) Fantinum hunc commemorat præcedens epiſtola, quam conſule.

(*b*) Hic, ut ex contextu epiſtolæ liquet, per duas disjunctas indictiones, ſcilicet XIII. & I. defenſoris officio in civitate Lilybœtana functus fuerat. Clariſſimi nomen ei datur, veluti viro infimo magiſtratu jam prædito. Conſule quæ dedimus in notis ad Dipl. LVIII.

(*c*) Spectabilis eſt locus iſte ad intelligendum quod hoſpitalitas tunc temporis ne dum epiſcopum & clericos, ſed laicos quoque decebat. Conſule Thomaſinum *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 1. lib. 2. cap. 89. 90. & 91. & par. 3. lib. 3. cap. 47. 48. & 49.

(*d*) Ei epiſtolam inſcripſerat idem S. Gregorius, quæ eſt 50. lib. 3. hic Dipl. XCVI. Vide ibi.

(*e*) Theodoſio in Lilybœtano epiſcopatu Decius iſte ſucceſſerat, ut diſcimus ex Dipl. CXXIV.

DIPLOMA CXCII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii PP. ad Libertinum expraetorem. Hortatur ut adverſa patienter ſuſtineat, & veſtes ad ſuorum uſus ſuſcipiat lubens.

Gregorius Libertino expraetori (*a*).

Anno 600. menſe Junio.

Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 31. alias lib. 8. Ind. III. ep. 31.

QUanta vos ſaeculi hujus premat anguſtia, incognitum non habemus. Sed quia in ſumma tribulatione poſitis ſola eſt conſolatio miſericordia Creatoris, in eum ſpem veſtram ponite, ad ipſumque tota vos mente convertite, qui & juſte, quem vult permittit affligi, & confidentem in ſe miſericorditer liberabit. Ipſi ergo gratias agite, & patienter quaeque illata ſunt ſuſtinete. Nam rectae mentis eſt Deum non ſolum in proſperis benedicere, ſed etiam in adverſitatibus collaudare. In his igitur quae patimini, nullum contra Deum murmur cordi veſtro ſubrepat: quia ad quid hoc Creator noſter operetur, ignotum eſt. Forſitan enim, magnifice fili, aliquid illum in proſperis poſitus offendiſti, unde te clementi amaritudine vult purgare. Et ideo, nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna diſcrucient: quia ſi in adverſis gratias referens, Deum tibi patientia feceris eſſe placabilem: & quae amiſſa ſunt, multiplicata redduntur, & ſuper haec gaudia aeterna praeſtantur. Peto (*b*) autem ne injurioſum ducatis, quod viginti a nobis veſtitus ad pueros veſtros per Romanum defenſorem ſcripſimus praeberi: quia de beati Petri apoſtoli rebus quamvis parva ſint, quae offeruntur, pro magna ſemper benedictione ſuſcipienda ſunt: quoniam & hic vobis valebit majora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia aeterna praeſtare. Menſe Junio, indictione III.

DI-

(*a*) Libertinum praetura Siciliae privatum, ut adverſa patienter ſuſtineat, hortatur hic S. Gregorius ſcelerum illius inſcius; ſed aliter de eo ſenſit, ut delicta ejus intellexit. Conſule Dipl. CXCIX. & praeterea vide quae exhibuimus in notis ad Dipl. XCV. & CXXXVI.

(*b*) Afflictis ex corde compati ſolidus erat S. Gregorius, eoſdemque muneribus ex patrimonio eccleſiae ſuae adjuvabat: quare Libertinum Siciliae praefectura privatum eleemoſynis fovet. Vide Baronium *Ann. Eccl.* ad annum 600. Cap. 19. & quae dabimus in Differt. V. *de Patrimonio Eccl. Rom. in Sicilia* n. 6.

DIPLOMA CXCIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Secundinum epiſcopum Tauromenitanum. Benignius agendum erga Leonis uxorem, quæ, ob adulterii ſuſpicionem a marito diſcedens, quum religioſam veſtem induiſſet, ad ipſum, inconſulto Secundino redierat.

Gregorius Secundino epiſcopo Tauromenitano (*a*).

PRæſentium portitor Leo chartarius (*b*), ad nos veniens indicavit uxori ſuæ, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementius ſtimulatam ajebat, atque ob hoc religioſam veſtem (*c*) induerat, ſe culpabilem nullatenus exſtitiſſe: adeo ut, ſicut ait, requirente fraternitate veſtra, cui hujus rei cognitionem ante hoc fere triennium mandaveramus, in nullo claruerit eum poſt initum conjugium in fornicationis culpam collapſum: adjiciens quoque quod eidem uxori ſuæ diſtrictiſſima ſacramenta præbuerit, inſontem ſe ea de re, unde etiam illam mordebat ſuſpicio, permanſiſſe: & iccirco propria eam ſponte ad ſe reverſam. Sed quia communione illam cum familia ſua pro hoc ſolummodo a fraternitate veſtra privatam aſſerit, quod ad eum clam poſtpoſitis vobis redierit: volumus ut familia quidem ipſius ſacram communionem recipiat, & dominæ ea culpa in hujus afflictionis pœna familiam diu non teneat. De ipſa vero, hoc eſt, de uxore prædicti portitoris, hoc vos obſervare neceſſe eſt, ut ſi manifeſte conſtiterit quia contra conjugem ſuum dicere nihil potuit, ſed & inſuper ſuſpicio ipſius præſtito, ut edocti ſumus, ſacramento amputata eſt, & utique poſt hoc ſua ad eum ſponte reverſa eſt; in ea quoque temperanda eſt cenſura judicii, ut longo jam tempore minime communione privetur. Si autem aliter ſe veritas, quam nobis inſinuatum eſt, fortaſſis habuerit; fraternitatis veſtræ ſubtiliter ſcripta nos inſtruant, ut quidquid fiendum ſit, noſtris iterum diſcurrentibus epiſtolis agnoſcatis.

An. m. Ind. *599. & 600.* Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 32. alias lib. 8. Ind. III. epiſt. 32.

(*a*) Aliqua de eo exhibuimus in obſervationibus ad Dipl. LXXVIII. pag. 124. & 125.

(*b*) De Leone chartulario, & chartulariorum numero & officio agemus infra, Differt. VII. Cap. *de Chartulariis*.

(*c*) Ex hoc loco ſicuti & ex Dipl. CCXXVII. diſcimus qualis fuerit Siculorum diſciplina circa diſſolutionem matrimonii ob adulterium alterius conjugis. Non enim innocenti erat facultas ad novas nuptias convolandi, ſed monaſticum inſtitutum, invito reo, non tamen inconſulto epiſcopo, profitendi. Confer cum Dipl. CCXXVII.

DIPLOMA CXCIV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Secundinum. Si revera Dulcinus epiſcopus, ſubſtantiæ ſuæ ſex uncias eccleſiæ Locrenſi, & ſex monaſterio S. Chriſtophori reliquerit, nullam jam dicto monaſterio moleſtiam irrogari patiatur.

Gregorius Secundino epiſcopo Tauromenitano.

An. III. Ind. 599. & 600.
Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 33. alias lib. 8. Ind. III. ep. 33.

SCripta fraternitatis veſtræ ſuſcepimus, in quibus indicaſtis, reverendiſſimum fratrem noſtrum Marcianum, Locrenſis (*a*) civitatis epiſcopum, aliter nobis de cauſſa eccleſiæ contra monaſterium ſancti Chriſtophori (*b*), quod in veſtra diœceſi eſt conſtitutum, intimaſſe: non quidem fallendi voluntate, ſed quia a clericis ſuis non fuerat de veritatis natura diligenter inſtructus. Et quoniam ſcribitis Dulcinum (*c*) deceſſorem ipſius nihil de rebus eccleſiæ ſuæ fuiſſe teſtatum, ſed de propriis, ac magis quæ in prædicto monaſterio fidelium oblatione collata ſunt, elogium (*d*) condidiſſe, atque ſex uncias eccleſiæ & ſex idem monaſterio jure hereditario reliquiſſe: neceſſe eſt ut ſi ita etiam non ex opinione, ſed abſolute in veritate eſſe recolitis, nullam prædicto monaſterio ſinatis moleſtiam irrigari; præcipue dum eamdem cauſſam jam temporibus reverendæ memoriæ Maximiani (*e*) epiſcopi vos atque fratrem & coepiſcopum noſtrum Ruffinum ex ejus deputatione acceſſione audiſſe, ac decidiſſe teſtemini; adeo ut inter partes ea quæ inveniri poterant, partirentur, & quod eccleſiæ fuit intrinſecus redderetur. Volumus ergo ut pars utraque conticeat, & ea

(*a*) Civitas olim celebris in Calabria, de qua egimus in notis ad Dipl. CXXXIX.

(*b*) Hocce monaſterium ex hac epiſtola memorant, Baronius *in Not. ad Martyr. Rom.* die 25. Julii, Pyrrhus *in Not. Eccl. Taurom.* item in Diſquiſit. *de ſex Monaſt. S. Greg. in Sicilia*. Johannes Mabillonius *Annal. Bened.* tom. 1. lib. 7. cap. 63. & continuator Johannis Bollandi, Johannes Pinius *in Act. Sanctor.* die 25. Julii de S. Chriſtoph. Mar. §. 2. Qui idem monaſterium in Italia, ac in toto pene Catholicorum orbe omnibus ſacris ædibus ſub invocatione S. Chriſtophori erectis antiquius fuiſſe nullus dubitat. Quo ſignanter loco Tauromenitanæ diœceſis antedictum monaſterium ſitum fuerit, ſilente prorſus antiquitate, gratis divinare non audemus.

(*c*) Dulcinum Locrenſis eccleſiæ epiſcopum, qui mortem obiens, ſex uncias monaſterio S. Chriſtophori reliquit, unum ex iis epiſcopis fuiſſe putamus, qui Calabriam Saracenis invadentibus, in Siciliam declinandæ perſecutionis cauſſa tranſierant. Lege admonitiones noſtras ad Dipl. LXVII. pag. 108. & 109.

(*d*) Id eſt, teſtamentum.

(*e*) Nempe, *Syracuſani*, cui vices ſuas ſuper omnes Siciliæ eccleſias ipſemet S. Gregorius commiſerat ex Dipl. LXXXI.

ea quæ a fraternitate tua una cum prædicto Ruffino quondam epiſcopo ſtatuta ſunt, inconvulſa conſiſtant : quatenus nec pars eccleſiæ denuo injuſte quæſtionem inferre, nec monaſterium irrationabiliter videatur poſt veſtram maxime definitionem controverſiam ſuſtinere.

DIPLOMA CXCV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Johannem epiſcopum Syracuſanum. Agat ne apud Leontium exconſulem injuſtum aliquid patiatur Creſcentius vicarius.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

QUum lator præſentium Creſcentius vicarius noſter, quem ad ſe filius noſter glorioſiſſimus domnus Leontius (*b*) exconſul præcepit occurrere, exire de ſeptis (*c*) venerabilibus dubitaret : ne qua per eum excuſatio aliis fortaſſe naſceretur, aut publica diceretur utilitas impediri, ei ut egredi debuiſſet, æquitate ſervata, permitti fecimus. Et ideo quia hæc illi res, ſicut juſſus fuerat, illic ſuaſit occurrere, fraternitas veſtra ei ſalva ratione concurrat, atque apud prædictum glorioſiſſimum domnum veſtrum agere cum ea qua conſuevit caritate ſtudeat, ut in nullo eum contra leges, aut rationem patiatur aliquo modo prægravari : ſed juſtitiam ei, ſicut Chriſtianitati ejus convenit, in omnibus faciat cuſtodiri : quatenus & ipſe ad mercedem ſuam, quod æquitatis ordo exigit, videatur ſalubriter ſervaſſe, & hic ſe contra ea quæ promitti fecimus, gravari non ſentiat.

Eod. anno. Ex cit. lib. 10. Ind. III. epiſt. 46. alias lib. 8. Ind. III. ep. 47.

(*a*) Aliqua de eo expoſuimus ſupra in monitis ad Dipl. CXV. & CXXV.

(*b*) De Leontio exconſule, ac de exconſulum numero in Sicilia & officio opportunius agemus infra, Differt. VII. Cap. *de Exconſulibus*.

(*c*) Vel ex hoc tantum loco plane conſtat, aſyli honorem ſacris ædibus per hæc ferme tempora integre datum, fruſtra reclamantibus qui de eccleſiaſtica poteſtate & juriſdictione non bene merentur, quos rejicit & arguit Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. 3. cap. 95. & ſeqq.

DIPLOMA CXCVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pont. Max. ad eumdem Johannem. Apollonium magiſtrum militum commendat.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano.

An. III. Ind. 599. & 600. Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 47. alias lib 8. Ind. III. ep. 48.

QUamvis glorioſo Apollonio, magiſtro militum (*a*), communi filio, paternam vos pietatem noverimus impendere: quia tamen eumdem dilectionis modum, quem circa eum ſacerdotaliter exhibetis, noſtris credidit apicibus augmentandum: iccirco eum fraternitati veſtræ his epiſtolis commendamus, hortantes ut paternam in vobis, ſicut decet, conſolationem inveniat, & ſolatiis veſtris, ſicut uſus exegerit, comitante juſtitia potiatur: quatenus dum veſtram erga ſe amplius fuerit dilectionem expertus, & ipſe quod de vobis confidit, agnoſcat, & noſtram ſentiat epiſtolam profuiſſe.

DIPLOMA CXCVII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Leontium exconſulem. Apollonium commendat.

Gregorius Leontio exconſuli (*b*).

Eod. anno. Ex cit. lib. 10. Ind. III. epiſt. 48. alias lib. 8. Ind. III. ep. 49.

SCientes gratia paterna vos ſcripta ſuſcipere, ſi illud peragere ſtudeamus, gloriam veſtram ultro non eſt dubium operari: quia filiorum noſtrorum deſideria non patimur contriſtari. Et ideo quia glorioſus filius noſter Apollonius (*c*), magiſter militum, lator præſentium, noſtris ſe apud vos voluit apicibus commendari: ſalutantes gloriam veſtram paterna dilectione petimus, ut ſalva ratione gratiam veſtri favoris inveniat, & patrocinii opem in quocumque neceſſe fuerit, conſequatur: quatenus dum gloria veſtra ea quæ ſponte conſuevit impendere, noſtræ quoque commendationi præſtiterit, & ipſe ſe optatum in vobis gaudeat invenire ſubſidium, & nos uberes ſinceriſſimæ bonitati veſtræ gratias referamus.

DI-

(*a*) Qui & quot fuerint magiſtri militum in Sicilia, dicemus infra, Diſſert. VII. Cap. XII.

(*b*) Conſule quæ de eo ſumus dicturi in Diſſertat. VII. Cap. *de Exconſulibus*.

(*c*) Sicuti Johanni epiſcopo Syracuſano per præcedentem epiſtolam, ita & per hanc Leontio exconſuli venientem Apollonium in Siciliam commendat S. Gregorius.

DIPLOMA CXCVIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii PP. ad Adeodatam illuſtrem. Illius animum ad temporalium contemptum, æternorum vero amorem confirmat. Johanni, & Leontio commiſſam indicat Decii epiſcopi cauſſam.

Gregorius Adeodatæ illuſtri (*a*).

Magnam nobis lætitiam gloriæ veſtræ ingeſſit epiſtola, quæ æternæ vitæ deſiderium vos habere ſignavit: ſed quia hujuſmodi ſtudium fugitiva ſolet mundi gloria præpedire, hortamur ut mentis veſtræ ſaluberrimam deliberationem res quælibet tranſitoria non revocet, nec ab incepto eam tramite deviet. Sed magis ſupernæ patriæ amor accendat, præmia manſura ſolicitent, & ad venturi Judicis promiſſionem certa ſemper aſpiret, atque ex temporalibus æterna mercetur: ut ex hoc & in vera gloria eſſe, & inter matronas poſſitis cæleſtes aſcribi. Reducite ad animos proſperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, matronarum gloriam, divitiarum abundantiam. Attendite hæc omnia ubi vel quid facta ſunt, & ex hoc penſate quam nulla ſint, & quia qui iſta diligit, ſomnium vigilans videt. Hæc itaque recordatio magna vobis debet eſſe inſtructio, quoniam pro magno diligi non debet quidquid fine concluditur. Illa ergo appetenda, illa ſummopere diligenda ſunt, quæ nec inventa tranſeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia ad eorum deſiderium anhelare ſine divinæ miſericordiæ gratia nullus valet, oramus omnipotentem Dominum ut hæc vobis & eligendi velle, & poſſe tribuat obtinendi: quatenus & hic vos in ſuo vivere timore concedat, & poſtea in ſanctarum martyrum ſorte recipiat. Paterna itaque caritate gloriam veſtram ſalutantes, indicamus de cauſſa fratris & coepiſcopi noſtri Decii (*b*) hoc nobis viſum fuiſſe, ut eam audiendam fratri & coepiſcopo noſtro Johanni (*c*), & Leontio (*d*) glorioſo, quia bonus & juſtus vir dicitur, committere deberemus: ſecuri maxime quia ubi prædicti fratris & coepiſcopi noſtri in judicio caritas intereſt, nec eis ſurripiatur, nec pars eccleſiæ poſſit præjudicium ſuſtinere.

An. 111. Ind. 599. & 600.

Ex cod. lib. 10. Ind. 111. epiſt. 49. alias lib. 9. Ind. 11. ep. 55.

DI-

(*a*) Adeodata, cujus propoſitum de mundi contemptu, & amore æternorum confirmat hic S. Gregorius, monaſticum inde habitum induit, & religioſum inſtitutum profeſſa eſt in monaſterio a ſe Lilybœi ædificato. Conſule Dipl. CCVIII. & ſeqq.

(*b*) Scilicet, epiſcopi Lilybœtani, cujus fit mentio in Dipl. CXXIV. & CCIX.

(*c*) Eumdem eſſe putamus ac Syracuſanum antiſtitem, quem paullo antea, id eſt Dipl. CXCV. & CXCVI. commemoratum vidimus.

(*d*) Cui inſcripta eſt præcedens epiſtola, ſicut & proxime recudenda.

DIPLOMA CXCIX.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii magni ad Leontium exconſulem. Se nulli umquam protectionem, niſi favente juſtitia, poſtulaſſe. Et ſi in rebus publicis fraudem fecerit Libertinus, ſubſtantiam ejus cædi debuiſſe, non libertatem. Iram in vindictam malorum ſequi debere rationem animi non præire.

Gregorius Leontio exconſuli (*a*).

An. III. Ind. 599. & 600

Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 51. alias lib. 8. Ind. III. ep. 51.

CAutionis & exemplar Libertini (*b*) ad me ſtuduit gloria veſtra tranſmittere, quatenus mihi oſtenderet cum qua obligatione, vel mente ad præfecturæ (*c*) dignitatem idem Libertinus acceſſerit. Quæ a glorioſo fratre meo Palatino patricio, vel conſiliario meo viro magnifico Theodoro relecta, mihi ſubtiliter inſinuata eſt, atque execrabilis & mihi & cunctis apparuit, qui cognoſcere voluerunt. Sed debet gloria veſtra meminiſſe, quia numquam epiſtolas meas pro commendatione alicujus accepit, niſi ut protectionem veſtram, favente juſtitia, præſtaretis. Et quia de eodem Libertino tota ſimul provincia gratias referebat, indicavi. Nam vel quis eſſet, vel quales cauſſas (*d*) habuerit, neque umquam profeſſus ſum, nec hactenus ſubtiliter ſcio. Nam ſi in iſta cauſſa cautionis culpabilis invenitur, & de aliis cauſſis quid pro ſe alleget neſcio; unum hoc tamen bene atque conſtanter novi: quia & ſi quam in rebus publicis fraudem fecit, ſubſtantia ejus cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi cæduntur, ut taceam quod omnipotens Deus offenditur, ut taceam quod veſtra opinio vehementer gravatur: piiſſimi tamen imperatoris noſtri omnino tempora fuſcantur. Hoc enim inter reges (*e*) gentium & imperatores Romanorum diſtat: quia reges gentium domini ſervorum ſunt, imperator vero Romanorum dominus liberorum. Unde & vos quidquid agitis, prius quidem ſervata juſtitia, deinde cuſto-

---

(*a*) De Leontio exconſule fit quoque mentio in duabus præcedentibus epiſtolis.

(*b*) Ejus notitiam expoſuimus jam in notis ad Dipl. xcv. Libertino iſti dignitate privato ſufficitur Alexander, ut diſcimus ex inſcriptione Dipl. ccxi.

(*c*) Teſtibus Monachis Benedictinis, in quatuor Codd. M. SS. Vaticanis loco *ad præfecturæ*, legitur *ad præturæ*, quæ lectio ex his quæ exhibuimus in notis ad Dipl. xcv. verior nobis videtur.

(*d*) Excuſat ſe, quod ſupra, id eſt Dipl. cxcii. Libertinum injuſtæ accuſationis injuriam ſuſtinere dixerat.

(*e*) De regibus barbaris, qui ſubditos quaſi ſervos habent, loquitur hic S. Gregorius. Eadem habet lib. 13. ep. 31. alias lib. 11. ep. 38.

cuſtodita per omnia libertate agere debetis. Scriptum eſt: *Quod tibi non vis fieri, vide ne ipſe alteri feceris*. Et per ſemetipſam Veritas dicit: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Libertatem ergo eorum qui vobis in diſcuſſionem commiſſi ſunt, ut veſtram ſpecialiter attendere debetis: & ſi ipſi a majoribus veſtris injuriari libertatem veſtram non vultis, ſubjectorum veſtrorum honorando libertatem, cuſtodite. Scimus enim qui dixit: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*. Cujus quia verba non tranſeunt, ſed per omnia implentur, metuamus quod iterum dicit: *In qua menſura menſi fueritis, in ea metietur vobis*. Quid autem gloria veſtra exiſtimat, quia ſi ſuperbe, ſi crudeliter agimus, deſpecto Deo nobis hominem placamus? Nullo modo. Nam ipſe qui deſpicitur, eum contra nos quem deſpecto Deo placare volumus, irritat. Curemus ergo per omnia placare Deo, qui potens eſt etiam iratos homines ad manſuetudinem reducere. Nam, ſicut dixi, etiam manſueti homines indignante Deo ad iracundiam provocantur.

Tob. 4. 16. Matth. 7. 12. Matth. 24. 35. Matth. 7. 2.

Si autem dicitur, quia ſine verberibus atque terroribus fraudes publicæ inveniri non poſſunt, hoc admittere poteram, ſi in ratiociniorum cauſſa domnus Leontius non veniſſet. Nam verum eſt, quia illi ſolent manibus excedere, qui in ſenſu & lingua deficiunt: de qua re ſe mihi veſtra gloria non valet excuſare. Nam vel quæ auditis vel quid dicitis, ſubtiliter exquirens, inveni quia homines ſine cauſſa cæditis, qui auxiliante Deo verbis agere omnia poteſtis.

De cauſſis vero eorum quos diſcutitis, verum fateor, quia multa audiens quæ numquam ante cognovi, vehementer erubeſco. Unde & vobis, & piiſſimo domno imperatori taceo. Nam ſi mihi conſtare potuiſſet quia juſtas cauſſas de ſuis rationibus haberent, & prius per epiſtolas vos pulſare habui: & ſi auditus minime fuiſſem, ſereniſſimo domno imperatori ſuggererem. Sed quia mihi de eorum rationibus nihil conſtat: ideo, ſicut dixi, & vobis, & piiſſimo principi hactenus nihil dico. Turpe eſt enim me hoc defendere, quod prius mihi conſtiterit juſtum eſſe: quia ego homines propter juſtitiam diligo, non autem juſtitiam propter homines poſtpono.

Ita ergo age, glorioſe fili, ut in actione commiſſa prius illum habeas placatum, qui continet omnia, ac deinde ſereniſſimi principis utilitatem cum omni ſolicitudine impleas. Nam & in ejus actione, a quo tibi commiſſa eſt, eſſe negligentem, non ſine peccato exiſtimo. Sed quia omnipotente Deo largiente, idonea eſt veſtra ſapientia, & rationes vigilanter ac ſubtiliter exquirere, & Creatoris vobis judicium per manſuetudinem placare, quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince te ipſum. Differ tempus furoris, & quum tranquilla mens fuerit, quod placet judica. Ira enim in vindictam malorum ſequi debet rationem animi, non præire, ut quaſi ancilla juſtitiæ poſt tergum veniat, & non laſciva ante faciem prorumpat. Aliquando vero oſtendenda eſt, & non exhibenda: aliquando exhibenda eſt, ſed numquam ſequenda. Quando enim in exſecutione juſtitiæ placata mente iraſcimur, iracundiam & non ſequimur, & exhibemus. Ira enim quæ animum

mum perturbat, quanta conſideratione cavenda eſt, monſtratur. De
Jac. 1. 19. qua ſcriptum eſt: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri juſtitiam Dei non*
Prov. 18. 14. *operatur*. Hinc rurſum ſcriptum eſt: *Quis poteſt habitare cum homi-*
Prov. 22. 24. *ne, cujus ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum?* Hinc iterum dicitur: *Noli eſſe cum homine iracundo; neque ambules cum viro furioſo; ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ*. Contra hanc
Prov. 16. 32. in laude patientiæ ſcriptum eſt: *Melior eſt vir qui vincit iram, quam qui capit civitatem magnam*. Hinc David perſonam in ſe infirmorum
Pſal. 6. 8. ſumens, ait: *Turbatus eſt præ ira oculus meus*, atque ex ipſa turbatione quid ſequatur, adjunxit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos*. Ex ira (*a*) quippe quum turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos noſtros ad vetuſtatem deducimur: quia inter malignos ſpiritus ad vetuſti hominis ſimilitudinem revocamur. Quum igitur iram quæ cor permovet, ſacra eloquia tot teſtimoniis deteſtentur, perpendamus qua intentione debemus hoc vitium fugere, quod Deo judice in teſtimonio illius toties reprobatur.

Alia quoque occurrit opinio, quia alii præ aliis gravantur; & ex quibuſdam, quæ ex principali juſſione expenſa ſunt, minime reputantur. Quod ſi verum ſit, neſcio. Si tamen ita eſt, hoc omnino facere, & pro timore æterni Judicis, & pro ipſius humanæ conſiderationis ratione minime debetis.

Ecce, glorioſe fili, amore Dei tuoque provocatus, cuncta quæ ſenſi, cuncta quæ audivi, breviter indicavi. Sapientis autem viri eſt, & breviter audita latius penſare, & quæque Deo diſplicent, in celeritate corrigere. Omnipotens Deus cæleſti vos gratiæ protectione circumdet, ut hic vos & a pravis actibus, & a perverſis hominibus tueatur, & apud ſe poſtmodum in æterna patria pia remuneratione lætificet.

DI-

(*a*) Leontium, ut ſpreta ira juſtitiam exſequatur, vehementer hortatur hic S. Gregorius, utpote qui ſupra dixerat, inter ſævum gentium regem & piiſſimum imperatorem illud diſcrimen intercedere debere, quod hunc juſtitia facit eſſe patrem, illum ira dominum. Adi Themiſtium Orat. 5. ad finem.

DIPLOMA CC.

Epiſtola præfati S. Gregorii Pont. Max. ad Amandinum domeſticum. Se ad illius votum, & miſſa ſuſcepiſſe, & pro Johanne præfecto ſcripſiſſe ad Exarchum. Quæ vero ad ipſum de Libertino ſcripſit, non moleſte debuiſſe ſuſcipi, ſed ut candide ab amico ſcripta.

Gregorius Amandino (*a*) domeſtico (*b*).

EA quæ per Paulum latorem præſentium, & Timarchum excubitorem gloria veſtra tranſmiſit, eo quo voluiſtis modo ſuſcepta ſunt. Sed & excellentiſſimo filio noſtro Exarcho (*c*) per ſupraſcriptum excubitorem, qui ad eum profectus eſt, ſcripſimus, ut cautiones agentium vices Johannis præfecti ſimul, & palatini huc tranſmittere debeat: indicantes ei quia niſi illas direxerit, uſque ad adventus veſtros ea quæ a gloria veſtra tranſmiſſa ſunt, non tangantur, ſed vobis remeantibus conſerventur. *An. III. Ind. 599. & 600.* Ex eod. lib. 10. Ind. III. ep. 52. alias lib. 8. Ind. III. epiſt. 52.

De perſona autem glorioſi Libertini (*d*) quædam ad nos ante pervenerant; & neceſſe fuit ut ea vobis ſicut revera filiis quos diligimus, minime taceremus. Et quantum in gloriæ veſtræ epiſtolis invenimus, moleſte illa, quod non decuit, ſuſcepiſtis: quando nihil aſperum ſcripſiſſe meminimus, ſed hortati ſumus ut cum eo caritatem, & gratiam haberetis. Sed quia ad hæc aſpera vobis reſcribentibus, ne ipſam ad nos epiſtolam mitteretis, per ſomnium vos ſcripſiſtis eſſe prohibitos, omnipotenti Deo gratias agimus, qui ſic vos vigilantes cuſtodit, ut etiam dormientes admoneat. Sed quia in eodem ſomnio, & a me vos de eadem cauſſa reprehenſos ſcribitis, qualis ſim vel ex hoc colligite. Et quando vos paterna adhortatione commoneo, moleſte ſuſcipere non debetis: quia qui dormientibus purus ſum vigilantibus duplex eſſe non patior.

(*a*) Aliam ei epiſtolam dedit S. Gregorius, hic Dipl. CCIV.

(*b*) Pauca de hac voce dixit Guſſanvillæus hic, majora exhibet Du-Gan *in ſuo Gloſſar.*

(*c*) Exarchorum dignitatem prælibavit Cantellius *Metrop. Vrb. Hiſt.* tom. I. Diſſer. I. cap. 3. & erudite digeſſit Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccleſ. Diſcipl.* tom. I. lib. I. cap. 17. & ſeqq.

(*d*) Confer cum præcedente epiſtola de eodem Libertino ſcripta.

DIPLOMA CCI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Romanum defenſorem. Admoneat Leontium ne adverſus Neapolitanorum civium jura malorum hominum verbis aſſenſum præbeat.

Gregorius Romano defenſori (*a*).

An. III. Ind. 599. & 600.

Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 53. alias lib. 8. Ind. III. ep. 53.

PErvenit ad nos quod quidam pravæ voluntatis ſtudio contra ſeniores, & çives Neapolitanæ civitatis de inſulis (*b*) juris eorum Leontio (*c*) glorioſo filio noſtro nitantur ſurripere, ut eos injuſte damnis poſſint afficere atque affligere. Iccirco tibi hac præceptione injungimus ut debeas eſſe ſolicitus, quamvis apud eum nullus locus ſurreptionis hac de cauſſa inveniatur, ubi forte aliquid dictum fuerit, vel ipſum præjudicialiter quid, quod non credimus, facere forte cognoveris, ex noſtro illi mandato dicere te volumus ut malorum hominum verbis aſſenſum præbere, & in hoc peccato ſe immiſcere non debeat: quia licet retro principum juſſionibus omnino de eiſdem inſulis ſunt muniti, nobis tamen dum in regia urbe fuimus, ſuffragantibus: ita ſereniſſimi domni Mauritii principis elicita juſſione, eorum ſtricte jura munita ſunt, ut non habeant unde juſte debeant formidare. Pro qua re ut & tu diligentius informari, & antedicto glorioſo filio noſtro, ſi cauſſa ſe dederit, liquido ſatisfacere valeas, earum tibi juſſionum exemplaria prævidimus tranſmittenda. Sed ſi neceſſarium fuerit, ipſas facimus authenticas deſtinari. Tantum eſt, ut, ſicut diximus, ſtudeas eſſe ſolicitus, ut ſurripiendi cuiquam illic locus non pateat.

DI-

(*a*) De eo ſupra, in monitis ad Dipl. CLVI.

(*b*) Hujuſmodi Inſulas, Iſclam vel Iſchiam & quaſdam alias e regione Neapolitana fuiſſe veroſimile putat Guſſanvillæus, cui ſe ſubſcribunt Monachi Benedictini in hunc locum.

(*c*) Is erat exconſul Siciliæ ut patet ex epigraphe Diplomitis CXCIX.

DIPLOMA CCII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pont. Max. ad Donum Meſſanenſem epiſcopum. Gregorium expræfectum commendat.

Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi (*a*).

Licet glorioſus filius noſter Gregorius expræfecto magnam de fraternitate veſtra certitudinem habeat, ut ſacerdotalem ſibi a vobis impendi affectum non dubitet: quia tamen caritatis veſtræ modum noſtra rogante commendatione fidit augeri, his vos epiſtolis prævidimus adhortandos, ut utilitati ipſius concurrere, atque in ejus juvamine impendere, vos quæcumque ſuaſerit ratio, debeatis. Et quia aliqua apud fraternitatem veſtram pro ſua, ut ait, cautela agere deſiderat, locum apud vos, ſicut revera decet ſacerdotes, inveniat, & paterna ſibi compati dilectione vos cognoſcat; quatenus dum ſolicitudinis cura ipſius, veſtræ caritatis ſtudio fuerit revelata, & ipſe confidentiam quam de vobis gerit operibus valeat experiri, & fraternitas veſtra poſtulantium deſideriis ſe videatur ſalubriter impendiſſe.

Eod. anno. Ex cit. lib. 10. Ind. III. epiſt. 54. alias lib. 8. Ind. III. ep. 54.

DIPLOMA CCIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Leontium exconſulem. Eumdem Gregorium expræfectum commendat.

Gregorius Leontio exconſuli (*b*).

Quum juſtitiæ vigor in cognitione veſtra, & veritas juvare ſufficiat, quos tuetur, cujuſquam apud vos commendatione opus non fuerat: quippe qui ea quæ pro æquitate petenda ſunt, ex vobis impenditis. Sed ne poſtulantium deſideria, qui bonorum filiorum ſtudium paterna creſcere adhortatione confidunt, poſtponere videamur: iccirco illa apud gloriam veſtram agere, quæ ultro exhibetis, omnibus modis invitamur. Ea propter paterna dilectione vos ſalutantes, petimus ut

Eod. anno. Ex cit. lib. 10. Ind. III. ep. 55. alias lib. 8. Ind. III. epiſt. 55.

(*a*) Venientem Gregorium expræfectum in Siciliam Dono Meſſanenſi epiſcopo (de quo egimus in notis ad Dipl. CXXIII.) S. Pontifex commendat, ſicut & Leontio exconſuli, Amandino domeſtico, Secundino epiſcopo Tauromenitano, Johanni epiſcopo Syracuſano, & Azimarcho ſcriboni, ut patet ex quatuor proxime exſcribendis epiſtolis.

(*b*) Conſule Differt. VII. ad calcem hujus Voluminis edendam, Cap. *de Exconſulibus*.

ut glorioſo viro filio noſtro Gregorio expræfecto caritatis gratiam, qua eſtis præditi, largius tribuatis; quatenus ille & quidquid æquitatis in veſtra benignitate confidit, veris poſſit effectibus experiri, & nos bona quæ de vobis multipliciter prædicantur addiſcentes, aſſidue pro gloriæ veſtræ incolumitate omnipotentem valeamus Dominum deprecari.

DIPLOMA CCIV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Amandinum domeſticum. Eumdem Gregorium expræfectum commendat.

Gregorius Amandino domeſtico (*a*).

An. III. Ind. 599. & 600.

Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 56. alias lib. 8. Ind. III. ep. 56.

COnfidentes quod gloria veſtra ſe in amicorum ſuorum ſolatiis devotam ſemper exhibeat, eorum vobis cauſſas commendare, quos diligitis, ſtudemus. Atque ideo ſalutantes, petimus ut glorioſus filius noſter Gregorius, quales vos hic habuit, illic tales inveniat; & tam apud glorioſum filium noſtrum Leontium, quam alibi quocumque neceſſe fuerit, gloriæ veſtræ ſolatia conſequatur, ac magnam in vobis conſolationem inveniat: & quantum poſſibile eſt, ne cuiquam injuſtæ poſſit afflictioni vel gravamini ſubjacere, gloriæ veſtræ ſolicitudo ſtudio vigilanti provideat, ut tranquillo maturoque hoc ſtudeat conſilio declinare; quatenus dum vos, ſicut decet, adjutores habuerit, & ipſe & nos amplius cognoſcere valeamus quia ſicut de gloria veſtra præſumimus, non ad faciem, ſed, quod eſt valde laudabile, puras noſtis amicitias exhibere.

DIPLOMA CCV.

Epiſtola ejuſdem Romani pontificis ad Secundinum, & Johannem epiſcopos Siciliæ. Ipſum eumdem Gregorium expræfectum commendat.

Gregorius Secundino (*b*), & Johanni (*c*) epiſcopis Siciliæ.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 10. Ind. III. epiſt. 57. alias lib. 8. Ind. III. ep. 57.

BOnorum nos hortatur dilectio filiorum, utilitatibus eorum ſtudioſe concurrere, & eos in quantum ratio ſuppetit, adjuvare. Et ideo quia quantum ſe glorioſus filius noſter Gregorius expræfecto benigne cunctis exhibuit, tanto omnium debet uti ſolatiis; fraternitatem veſtram his hortamur affatibus, ut illic venienti tam apud Leontium

(*a*) Confer cum inſcriptione epiſt. 52. lib. 10. in hac collectione Dipl. CC.

(*b*) Scilicet, Tauromenitano, de quo in Dipl. LXXVIII. XCIV. & alibi paſſim.

(*c*) Syracuſanum intellige, cujus fit mentio in Dipl. CXCV. CXCVI. & in aliis ſane quam multis.

tium (a) glorioſum exconſulem in diſponendis rationibus ſuis, quam apud alios ubi cauſſa popoſcerit, opem ferre, & partes illius ſublevare favente juſtitia feſtinetis; ut vobis ſacerdotaliter concurrentibus, nullam moleſtiam vel diſpendium contra ordinem poſſit æquitatis incurrere. Quem ſi, quod non credimus, gravari fruſtra in aliquo ſenſeritis, apud prædictum glorioſum virum agere vos, epiſcopali modeſtia ſervata, neceſſe eſt, ut verbum quod ei per Azimarchum (b) virum magnificum ſcribonem præbuit, cuſtodire debeat ac ſervare, atque illum irrationabiliter affligi vel ſuſtinere diſpendium minime patiatur. Ita ergo fraternitas veſtra ſe erga eum ſolicitam curet oſtendere, & in ejus ſe cauſſis ſecundum Deum ſtudeat exhibere, ut & ſacerdotale in vobis ſubſidium & paternam inveniat caritatem.

DIPLOMA CCVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii PP. ad Azimarchum ſcribonem. Quod tardius ad Siciliam venerit idem Gregorius, non ſtudio factum, ſed corporis infirmitate.

Gregorius Azimarcho ſcriboni (c).

QUod præſentium portitor glorioſus filius noſter Gregorius tarde ad Siciliam venit, non voluntate diſtulit, ſed ita infirmitate corporis debilis factus eſt, ut vix in multis diebus reparari potuerit. Cujus debilitatis indicia etiam ipſi adhuc in eo cognoſcetis. Mox autem ut aliquantulum convaluit, venire illuc ſicut magnitudini veſtræ promiſerat, non neglexit. Quod ideo his apicibus ſcribendum prævidimus, ne eum diſtuliſſe ſponte credentes, hanc moram ejus forſitan ſtudio factam putaretis.

Eod. anno.
Ex cit. lib. 10. Ind. III. ep. 60. alias lib. 8. Ind. III. ep. 60.

DI-

(a) Cui eumdem Gregorium expræfectum commendaverat idem S. Gregorius, hic Dipl. CCIII.

(b) Ad quem proxime ſequentem epiſtolam ejuſdem argumenti dedit ipſe idem S. Gregorius.

(c) Ei alias quoque epiſtolas ſcripſit idem S. Gregorius, hic Dipl. CCXXXVII. & CCXXXIX. Conſule quæ, auſpice æterno Numine, dabimus infra, Diſſert. VII. Cap. *de Scribonibus*.

DIPLOMA CCVII.

Epiſtola præfati S. Gregorii Pont. Max. ad Romanum defenſorem. Scriboni quamvis bono non locandam eccleſiæ poſſeſſionem, ſed annis ſingulis id offerendum Gentioni quod ex locatione fuiſſet lucratus.

Gregorius Romano defenſori (*a*).

An. III. Ind. 599. & 600.
Ex eod. lib. 10. Ind. III. epiſt. 64. alias lib. 8. Ind. III. ep. 61.

QUoniam filius noſter Gentio vir magnificus ſcribo (*b*) tantæ Deo propitio, bonitatis eſt ut valde ſit diligendus, ſi quid ei potuiſſemus conferre, debuimus. Voluerat enim poſſeſſionem juris eccleſiaſtici ſub ſpecie libellorum (*c*) tenere. Sed propter malos ſcribones judicavimus in hac nos cauſſa, nec bono committere. Proinde excepta de poſſeſſione, quæ potuerunt in ejus utilitatem verti, eadem volumus ejus magnitudini ſingulis annis offerri: id eſt, porcos viginti, qualiter ipſe prævideris vervices viginti, & gallinas ſexaginta. Quæ omnia volumus in exceptis reputari.

DIPLOMA CCVIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Adeodatam. Excuſat moram in dandis reliquiis, quas tandem mittit.

Gregorius Adeodatæ illuſtri feminæ (*d*).

Eod. anno.
Ex cit. lib. 10 Ind. III. epiſt. 65. alias lib. 8. Ind. III. ep. 62.

UT moram in dandis reliquiis, quas gloria veſtra petiit, faceremus, non voluntate diſtulimus, ſed præcedentis rei nos caſus fecit ambigere. Deus autem omnipotens cordis veſtri devotionem intuens, miraculorum ſignis admonentibus, a veſtra vos intentione fraudari non pertulit. Sed ideo deſiderium veſtrum modica voluit dilatione differri, ut docentibus miraculis, & amor vobis creſceret in veneratione ſanctorum, & major fieret exultatio gaudiorum. Quia ergo in effectu poſtulatæ rei gloriæ veſtræ vota completa ſunt, hortamur, ut cujus prædicatores colitis, ejus ſolicite mandata ſervetis. Et

(*a*) De eo egimus jam in notis ad Dipl. CLVI.

(*b*) De Gentione ſcribone, & ſcribonum officio opportunius redibit ſermo in cit. Differt. VII. Cap. *de Scribonibus*.

(*c*) Id eſt locationis, quo ſenſu hæc vox accipitur in Dipl. LXIX.

(*d*) Confer cum Dipl. CXCVIII. & cum duabus epiſtolis quæ hanc proxime ſequuntur.

Et ſicut religioſa devotione terrena ſanctorum honoribus loca conſtruitis, ſic quoque cum eis manſionem vobis procurare in cœleſtibus feſtineris: quatenus & hic illos in omnibus adjutores, & in futura mereamini habere vita conſortes.

DIPLOMA CCIX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pont. Max. ad Decium Lilybœtanum epiſcopum. Solitis cautionibus adhibitis, conſtructum ab antedicta Adeodata monaſterium conſecret.

Gregorius Decio epiſcopo Lilybœtano (*a*).

Eod. anno.

Ex cit. lib. 10. Ind. III. epiſt. 66. alias lib. 8. Ind. III. ep. 63.

ADeodata glorioſa femina petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis: in domo ſiquidem juris ſui intra civitatem Lilybœtanam monaſterium ancillarum Dei a ſolo ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem beati Petri principis apoſtolorum, & ſanctorum Chriſti martyrum Laurentii, Hermetis, Pancratii (*b*), Sebaſtiani, & Agnetis deſiderat conſecrari. Et ideo, frater cariſſime, quia in tua civitate memorata conſtructio jure conſiſtit, ſi (*c*) nullum corpus ibidem conſtat humatum, percepta prius donatione legitima: id eſt, in reditu præſtantes liberos a tributis fiſcalibus ſolidos decem, pueros tres, boum paria tria, mancipia alia quæ ſerviant in ipſo monaſterio numero quinque, equas numero decem, vaccas decem, haſtulas vinearum numero quatuor, oves numero quadraginta, & cetera ſecundum morem.

DI-

(*a*) De eo ſupra, Dipl. CXXIV. & CXCVIII.

(*b*) Siculis uſus erat eccleſias ſub invocatione S. Pancratii conſecrare. Vide quæ dedimus in notis ad Dipl. LXXX.

(*c*) Conſecrationi eccleſiarum faciendæ duo erant neceſſaria, legitimæ nimirum dotis conſtitutio, & quod nullum in eo loco corpus fuerit humatum. Conſonant Dipl. LXXX. & CLXXVIII.

DIPLOMA CCX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii PP. ad Hilarium notarium. Miſſam pro ſuſtentatione monaſterii navem in cunctis tueri præcipit.

Gregorius Hilario notario (*a*).

An. III. Ind. 599. & 600.

Ex eod. lib. 10. Ind. III. ep. 67. alias lib. 8. Ind. III. ep. 64.

NAvem in qua Vitalis præſentium portitor navigat, ad dilectiſſimam filiam noſtram Adeodatam abbatiſſam (*b*) pro ſuſtentatione monaſterii ſui emiſſam cognoſcas. Qua illuc veniente, hac tibi auctoritate præcipimus, ut ita eam in cunctis tuearis, atque ab omni angaria, vel onere exuere, excuſareque feſtines, ac ſi ſpecialiter noſtra ſit. Nam noſtri cauſſa in monaſterio tanta congregatio, Deo propitio, degere comprobatur, ut plus illi ſolatiari atque concurrere quam noſtræ in omnibus feſtinemus eccleſiæ. Et ideo poſtquam voluntatem noſtram experientia tua circa prædictum monaſterium talem eſſe cognoſcit, ita ſe in tuitione ſupradictæ, ut diximus, navis impendat, ut te illic poſito, nullam moram, vel impedimentum ab aliquo valeat ſuſtinere. Nam ſi, quod non credimus, in aliquo negligens eſſe tentaveris, vehementer te noſtram noveris offenſam incurrere.

DIPLOMA CCXI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii ad Alexandrum Siciliæ prætorem. Johannem diaconum Ravennatis eccleſiæ patrimonii in Sicilia rectorem commendat.

Gregorius Alexandro prætori Siciliæ (*c*).

An. IV. Ind. 600. & 601.

S. Greg. lib. 11. Ind. IV. ep. 8. alias lib. 9. Ind. IV. epiſt. 4.

QUi de filii caritate non dubitat, commendare ei quos diligit, non recuſat. Et ideo quia patrimonium eccleſiæ Ravennatis (*d*), quod in Sicilia conſtitutum eſt, ita dicitur diminutum ac ſi nullus eſſet qui utilitates ipſius illic agere potuiſſet; neceſſe fuit reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Marinianum

(*a*) De Hilario notario, ac notariorum numero & officio in Sicilia aliqua opportunius dabimus infra, Differt. VI. Cap. *de Notariis Eccleſiæ*.

(*b*) Adeodata, quam ex duabus præcedentibus epiſtolis vitam ſæcularem duxiſſe cognovimus, abbatiſſa nunc appellatur: quod argumento eſt, tunc temporis non dum obtinuiſſe diſciplinam de interſtitiis inter profeſſionem & præfecturam ſanctimonialium obſervandis, de quibus egimus in notis ad Dipl. CIV. pag. 154. & 155.

(*c*) Libertino prætura Siciliæ, ob id quod fraudem in rebus publicis feciſſet ex Dipl. CXCIX. privato, in eadem dignitate Alexander ſucceſſit, de quo hic primum occurrit mentio, inde in Dipl. CCXIV.

(*d*) De patrimonio eccleſiæ Ravennatis in Sicilia agitur quoque in Dipl. XXVIII. & CCLXIX.

num de ordinando patrimonio ipſo, ne amplius decreſceret cogitare. Ad cujus quia gubernationem Johannem diaconum ſuum tranſmiſit, paterno ſalutantes affectu, petimus ut ei tamquam a nobis miſſo, ſicut de vobis confidimus, caritatem in omnibus impendatis.

DIPLOMA CCXII.

Epiſtola præfati S. Gregorii Pontif. Max. ad Leonem Catanenſem epiſcopum. Severum commendat.

Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſi (*a*).

Filius noſter Severus, vir magnificus, præſentium lator, ad Siciliam venire deſiderans, noſtris ſe apud fraternitatem veſtram petiit epiſtolis commendari. Venientem ergo eum, ſacerdotali, qua decet, caritate ſuſcipite, eique in quo uſus exegerit veſtra ſolatia miniſtrate: quatenus vobis coram poſitis in nullo ſe contra juſtitiam ſentiat laborare, ſed magis auxilii veſtri ope ſuffultus, quiete ſua, quam ſtudioſe diligit, ſecurus perfruatur, noſque de ejus tranquillitate quæ illic per vos fuerit procurata, lætificari poſſimus.

Eod. anno. Ex cit. lib. II. Ind. IV. epiſt. 9 alias lib. 9. Ind. IV. ep. 5.

DIPLOMA CCXIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pont. Max. ad Talitanum. Talitanum, publici patrimonii curatorem, hortatur ut a publicanorum moleſtiis Romanæ eccleſiæ patrimonium defendat.

Gregorius Talitano (*b*).

Cum tanta nos de vobis oporteat caritate præſumere, ut ſi eccleſiæ noſtræ utilitates apud alios agerentur, veſtram illic gloriam adhiberemus adjutricem: ſatis debemus quoniam in vobis eſt cauſſa, gaudere. Quia vos non oportet negligere quod amore beati Petri, apoſtolorum principis, præſtare ipſi apud alios poteratis. Quia igitur comperimus publici patrimonii curam veſtræ ordinationi eſſe commiſſam: iccirco paterna dulcedine ſalutantes, patrimo-

Eod. anno. Ex cit. lib. II. Ind. IV. epiſt. 10 alias lib. 9. Ind. IV. ep. 6.

(*a*) Aliqua de eo præfati ſumus in monitis ad Dipl. LXXXVII.

(*b*) Is in contextu epiſtolæ *publici patrimonii* curator dicitur, vel quod res ad imperatorem ſpectantes, de quibus fit mentio in Dipl. III. IV. & X. adminiſtraret, vel quod bona civibus communia, & hic Dipl. XIX. commemorata, procuraret.

monium (*a*) vobis, quod eſt noſtræ eccleſiæ, ſecundum juſtitiam commendamus. In quo ſi forte, ut fieri aſſolet, occaſione inventa homines publici (*b*) aliquam velint inferre moleſtiam, hoc magnitudinis veſtræ bonitas fieri non permittat (*c*), ſed ab omni illud hominum inquietitudine tueatur. Sicque ſalva ratione pauperum partes attendat, ut eleemoſynæ vicem impleat, ſervata juſtitia, & vobis ex hoc ante Dei oculos major merces accreſcat. Hortamur ergo, dilectiſſime fili, ut ſi vos benignos exhibere tam circa eccleſiæ noſtræ quam diligitis utilitates, quam etiam in omnibus curis eccleſiarum debeatis: quatenus & injuncta ſalubriter expleatis, & omnipotentem Deum vobis, quod ſummopere ſtudendum eſt, placabilem faciatis.

DIPLOMA CCXIV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Romanum defenſorem. Apud Alexandrum agat, ut cauſſa illius cum Tecla abbatiſſa abſque mora, & contentione finiatur.

Gregorius Romano defenſori (*d*).

An. IV. Ind. 600. & 601.

Ex eod. lib. 11. Ind. IV. epiſt. 11. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 7.

QUia Tecla, abbatiſſa monaſterii ſanctæ Mariæ quod Neapoli in domo quondam Felicis ſcholaſtici (*e*) conſtitutum eſt, contra Alexandrum (*f*) virum magnificum generum ipſius de quibuſdam rebus cauſſam habere dignoſcitur, & ad hoc præſentium portitorem tranſmiſit, ut cauſſa ipſa illic cum eo, ſi poteſt fieri, pacifice decidatur: hac experientiæ tuæ auctoritate præcipimus, ut ei quocumque uſus exegerit, ſalva ratione ſolatiari ac concurrere non omittat. Sed & prædictum virum magnificum hortari ſtudeat, ut omni contentione ceſſante, ad deciſionem cauſſæ ipſius, pacis & ipſe intentione perveniat; ne ſi negligendum putaverit, cum ſtrepitu poſtea & diſpendio cogatur efficere, quod bona voluntate implere poſtponit: quia ſicut edocti ſumus, frequenter jam prædictæ abbatiſſæ per epiſtolas ſuas promiſit ipſam decidere, & facere hoc hactenus ſuperſedit.

(*a*) De patrimonio eccleſiæ Romanæ in Sicilia particularem Diſſertationem ad calcem hujus Voluminis invenies.

(*b*) Scilicet, *qui auctoritate principis tributa exigunt*, ut obſervant hic, Guſſanvillæus, & Monachi Benedictini.

(*c*) Fallitur itaque ſimul ac fallit qui bona omnia eccleſiæ tunc temporis tributis fiſcalibus obnoxia fuiſſe putat. Conſule quæ dedimus in notis ad Dipl. CXC.

(*d*) De eo ſupra in monitis ad Dipl. CLVI.

(*e*) Scholaſtici vocem expoſuimus jam in monitis ad Dipl. LXII.

(*f*) Alexandrum hunc Monachi Benedictini eumdem eſſe putant, ac illum Siciliæ prætorem, cui inſcripta eſt epiſt. 8. lib. II. hic Dipl. CCXI.

ſedit. Tua ergo experientia ita agat, ut aut ipſa cauſſa, ſicut diximus, decidatur: aut ſi certe differre voluerit, & videris quia facere quæ pacis ſunt non volet, ſubtiliter nobis ea ipſe renuntia, ut quid pro utilitate monaſterii memorati agi debeat, ſciamus.

DIPLOMA CCXV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad eumdem Romanum defenſorem. Argentio, hoſpitali viro, terrulæ modiorum decem uſum & fructus ad liberaliorem hoſpitalitatem concedat.

Gregorius Romano defenſori.

QUia præſentium portitorem Argentium colonum (*a*) eccleſiæ noſtræ curam hoſpitalitatis habere cognovimus: neceſſe eſt ut in parte aliqua ejus ſtudium adjuvemus. Iccirco hujus tibi præceptionis auctoritate mandamus, ut terrulam modiorum plus minus, ſicut aſſerit, decem, poſſeſſionis Diſterianæ, quam tenuit, reddere ei ſine mora aliqua vel excuſatione feſtines; ut eam diebus vitæ ſuæ habeat, atque ex ipſa rationibus eccleſiaſticis nihil impendat, ſed in ea ille quam exhibet hoſpitalitate proficiat. Quia dignum eſt ut bono laudandoque operi concurrere ac ferre conſultum modis omnibus debeamus.

An.iv.Ind. 600.& 601.

Ex eod. lib. 11. Ind. iv. epiſt. 21. alias lib. 9. Ind. iv. ep. 16.

DIPLOMA CCXVI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Venantium exmonachum patricium Syracuſanum. Tum ſuæ, tum illius podagræ occaſione docet vitæ hujus pœnas eſſe Dei verbera peccatores ex miſericordia corrigentis. In illis proinde revocanda in memoriam delicta, agendas Deo gratias, prævertendum pœnitentia Dei judicium.

Gregorius Venantio exmonacho patricio Syracuſano (*b*).

DEbitum ſalutationis alloquium ſolvens, ea volui quæ patior. Sed incongruum puto narrare quæ noſtis. Podagræ enim doloribus torqueor, qui & mihi & vobis non diſpariliter nocivi, dum apud nos vehementer excreſcunt, nos decreſcere a vita fecerunt. Inter

Eod. anno.

Ex cit. lib. 11. Ind. iv. ep. 30. alias lib. 9. Ind. iv. ep. 25.

(*a*) De colonis patrimonii S. Petri in Sicilia agitur in Dipl. LXIX & præterea vide Diſſert. v. ad calcem Voluminis poſitam.

(*b*) Confer cum Dipl. LXV. CLXXXI. & cum duabus epiſtolis hanc proxime ſequentibus.

ter quos quid aliud debemus niſi ſemper delicta noſtra ad memoriam revocare, atque omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendum quoque eſt nobis quia pœna præſens, ſi animum afflicti convertit, finis eſt culpæ præcedentis; ſi autem ad timorem Domini minime convertit, initium eſt pœnæ ſequentis. Curandum igitur nobis eſt, & ſummmopere in fletibus tota mentis converſione vigilandum, ne de tormento ad tormenta tranſeamus. Conſiderandum quoque eſt quanta erga nos diſpenſatione pietatis agat Conditor noſter, quod morte dignos aſſidue percutit, & tamen adhuc minime occidit. Minatur enim quod facturus eſt, nec tamen facit; ut dolores nos præcurrentes terreant, & converſos ad timorem diſtricti Judicis ab ejus nos animadverſione in vitæ termino abſcondant. Quis enim dicat, quis enumeret quanti in ſua luxuria dimiſſi, in blaſphemiis quoque & ſuperbia proruentes, in rapinis & iniquitatibus permanentes uſque ad diem obitus ſui, ita in hoc ſæculo vixerunt, ut numquam dolorem vel capitis paterentur, ſed & ſubito percuſſi ignibus inferni ſunt traditi? Nos ergo habemus indicium, quia derelicti non ſumus,
Heb. 12. 6. qui aſſidue flagellamur, teſte Scriptura, quæ dicit: *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* In ipſis itaque verberibus Dei revocemus ad memoriam & ejus munera, & noſtri reatus damna. Penſemus quanta bona ſuper noſtram malitiam fecerit Dominus, & quanta mala ſub ejus bonitate commiſimus. Im-
Iſai. 43. 26. pleamus quod per Prophetam Dominus dicit: *Reduc me in memoriam, ut judicemur ſimul.* Judicemur modo in noſtra cogitatione cum Deo, ne diſtricte poſtmodum judicemur a Deo. Quid etenim Paulus dicit?
1. Cor. 11. 31. *Si nos metipſos judicaremus, non utique a Domino judicaremur.* Quiſquis ergo feſtinat evadere diſtrictionem ſententiæ judicii ſequentis, per amaritudinem pœnitentiæ omnem ſibi dulcedinem interimat vitæ præſentis. Quæcumque autem hujuſmodi bona ſunt, cujus dona ſunt, niſi Conditoris? Sed libere nobis non debet donum Dei, quod per delectationem ſui ſeparat ab amore Dei; ne data danti præferamus; & dum bona percipimus, etiam mali, unde creſcere in ejus timore debuimus, inde a timore illius disjungamur. Creator autem omnium, id eſt omnipotens Deus, hæc quæ vobis in epiſtolis loquimur, menti veſtræ aſpiratione ſui ſpiritus infundat, voſque ab omnibus culpæ inquinationibus tergat, & hic vobis conſolationis ſuæ gaudium apud ſe quandoque præmia æterna concedat. Dulciſſimas filias meas domnam (*a*) Barbaram, & domnam Antoniam (*b*) mea peto vice ſalutari.

DI-

(*a*) Domna, & domnus voces ſunt barbaræ pro domina, & domino a ſcriptoribus mediæ ætatis uſurpatæ. Vide Scalig. *ad Euſeb.* pag. 211. & præterea conſule admonitiones noſtras ad Dipl. CXLVII.

(*b*) De hiſce ſororibus mox agemus.

DIPLOMA CCXVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Barbaram, & Antoniam. De imminente patris morte vehementer afflictas conſolatur.

Gregorius Barbaræ, & Antoniæ (*a*).

SUſceptis gloriæ veſtræ epiſtolis, quæ pro verbis lacrymis loquebantur, non minor nos, dilectiſſimæ filiæ noſtræ, quam vos de patris ægritudine mæror afficit. Nec enim extraneam poſſumus reputare triſtitiam, quippe quæ nobis caritatis lege fit propria. Sed quia in nulla deſperatione de Redemptoris noſtri eſt miſericordia diffidendum, animos veſtros ad conſolationem patris erigite, ſpem veſtram in omnipotentis Dei manu ponite; & in ipſius protectione confidimus, quia & ab omni vos adverſitate cuſtodit, atque tribulationem veſtram exhilarat, & ſecundum paterna deſideria propitius vos ordinari concedit. Si vero debitum humanæ ſortis impleverit, nec tunc deſperatio aliqua vos comprimat, vel quorumdam vobis verba terrorem incutiant. Nam poſt Deum, qui orphanorum gubernator ac protector eſt, ſic de dulciſſima gloria veſtra erimus ſoliciti, atque utilitati veſtræ providere ut poſſumus adjuvante Domino feſtinabimus, ut nec vos injuſtorum hominum concuſſio ulla perturbet, & nos debitum quod de parentum veſtrorum bonitate contraximus, vobis per omnia repenſemus. Gratia itaque cæleſtis vos ſuo favore nutriat, ſua protectione a malis omnibus defendat, ut vitæ veſtræ incolumitas gaudium noſtrum fiat.

An. IV. Ind. 600. & 601.
Ex eod. lib. II. Ind. IV. ep. 35. alias lib. 9. Ind. IV. epiſt. 30.

DI-

(*a*) Venantius patricius Syracuſanus, abjecto, quod profeſſus fuerat monaſticum inſtitutum, Italicam duxit uxorem: ex qua duas ſuſcepit filias, Barbaram & Antoniam hic commemoratas, ut liquido patet ex Dipl. CLXXXI. De eis agitur ulterius in epiſtola præcedente ſicut & in ſequente, necnon in Dipl. CCXXXII. Conſule quæ dedimus in notis ad Dipl. LXV.

DIPLOMA CCXVIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii PP. ad Johannem Syracuſanum epiſcopum. Suum de Venantii deſperato morbo dolorem teſtatur. Agendum in primis, ut ad monaſticum habitum vel in extremis redeat. Se, quod imperatori ipſi filias ſuas jam commendet Venantius, plurimum impediri. Illas quoad ejus facere poterit tueatur Johannes. Huic Romam congruo tempore venire amice permittit.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

An. IV. Ind. 600. & 601
Ex eod. lib. II. Ind. IV. epiſt. 36. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 31.

FRaternitatis veſtræ ſcripta ſuſcepi, quæ mihi de dulciſſimi filii mei domni Venantii (*b*) ægritudine loquebantur, & cuncta circa eum qualiter acta ſunt enarrabant. Sed uno tempore auditis & illum deſperate; ac graviter ægrotare, & in rebus orphanorum homines iniquos inſiſtere, vix ſe dolor in corde meo capere poterat. Sed in hoc fuit ſolatium, quod lacrymæ mihi per gemitus erumpebant. Veſtra igitur ſanctitas, primam quam debet curam negligere non debet; ut de anima ejus cogitare debeat, exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus miſericordiam promittendo, ut ad habitum (*c*) ſuum redire vel in extremis debeat; ne ei tantæ culpæ reatus in æterno judicio obſiſtat: ac deinde veſtrum eſt cogitare, quomodo filiæ (*d*) ejus domna Barbara, & Antonia debeant ordinari, ut nulla occaſio malis hominibus præbeatur. Nam poſtquam me de eis ſolicitudinis curam gerere conjuravit, addens ut earum debeam ordinationi proſpicere, aliud in epiſtola ſua ſecutus eſt, quod hoc mihi ſtudenti dubium non eſt quia poſſit obſiſtere. Ait enim ut piiſſimo domno imperatori (*e*) ſæpius ſupplicem; quatenus ipſe eas faciat, ut præviderit, ordinari. Quod quam ſit diverſum priori voluntati perpenditis. Ex qua re dubito ne hominibus in Sicilia poſitis, & quærentibus occaſionem in rebus ipſius apta detur occaſio

(*a*) Plures illi S. Gregorius inſcripſit epiſtolas, quas indicatas reperies in elencho Diplomatum.

(*b*) Haud dubie is eſt Venantius, exmonachus, patricius Syracuſanus, vir Italicæ, & pater Barbaræ, & Antoniæ. Conſule quæ dedimus in notis ad Dipl. LXV.

(*c*) Id eſt, ad monaſticum ſtatum, a quo diſceſſerat, ut conſtat ex cit. Dipl. LXV.

(*d*) De Venantii filiabus aliqua præfati ſumus in monitis ad præcedentem epiſtolam.

(*e*) Imperatori Mauritio filias ſuas Barbaram, & Antoniam commendavit Venantius, ea forte ratione, quod eſſent neptes Ruſticianæ patriciæ, Conſtantinopoli degentis, & in præſente epiſtola atque in CCXXIV. commemoratæ, quemadmodum advertit Baronius Annal. Eccl. ad annum 601. cap. 48.

caſio. Nam hoc cognito, quid facturi ſunt, qui nulla exiſtente cauſſa, jam ſigillum (*a*) in ſubſtantia ipſius quantum dicitur nitebantur imponere. Numquid non illos videtur ratio ad faciem adjuvare, & ad hoc illis juſtam quaſi præbere materiam? Si dixerint; domno imperatori commendatæ ſunt, negligere non poſſumus, periculi noſtri intereſt, res in tutum facimus, quouſque domnus imperator Conſtantinopolim duci præceperit. Dic, rogo, quid ad hæc facturus ſum, quando homini habenti poteſtatem paterna videtur commendatio concordare? Me enim conjurat ut ita eas ordinari provideam, quatenus aut in Romana civitate ſint, aut de Sicilia non tollantur, & ille id agit ut eas nulla nec huc deducendi, nec illis ſit ratio retinendi. Vos autem in quantum poteſtis, malis hominibus obviate. Earum ſubſtantiam propter Deum omnipotentem, velut propriam, defendite; & ſi adhuc licet, quomodo omnis occaſio removeatur violentiæ, in prædicti viri domni Venantii teſtamento providete. Si autem ita placet ut palatio commendentur, mihi non debet imponere pondus ut in anima mea curam ordinationis earum velit impingere de quarum ordinatione qualiter cogitem, omnipotentem Deum ſufficiat ſcire. Unde ſtatim dilectiſſimo filio meo Anatolio diacono, ut cum glorioſa Ruſticiana patricia loqui ſtudeat, & qualiter de perſonis quarum mihi nomina tranſmiſſa ſunt, debeat exquirere & indicare, ſcribere curavi; ut nobis omnia ſub celeritate indicet, & quæ fienda ſunt, Deo ordinante, diſponantur.

Præterea in ſcriptis quæ ad nos miſiſtis, fraternitatem veſtram contriſtatam invenimus, eo quod huc eam quaſi pro ingratitudine aliqua venire voluiſſemus, quando non illud ob aliud niſi ſola utilitatis cauſſa fecimus, ſcientes propter perſonas ibidem conſiſtentes valde neceſſariam illic veſtram fuiſſe præſentiam. Sed ne forte ex hoc ingratum erga vos animum noſtrum credatis, quod abſit, exſiſtere: ſi veniendi vobis voluntas eſt, apto vos tempore apoſtolorum liminibus præſentate. Nam quantum ad nos pertinet, ita caritatem veſtram diligimus, ut videre vos ſæpius cupiamus.

DI-

(*a*) Ritum imponendi ſigillum principis in bonis ſubditorum erudite illuſtrat doctiſſimus Alteſerra hic. Rebus Venantii apponitur, vel quod publico aliquo officio is functus fuerat: vel quod filias ſuas, ut diximus, imperatori commendarat.

DIPLOMA CCXIX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii papæ I. ad Romanum defenſorem. Deferendas ad epiſcopos clericorum cauſſas, ne epiſcopalis juriſdictio violetur.

Gregorius Romano defenſori Siciliæ (*a*).

An. iv. Ind. 600. & 601.

Ex eod. lib. 11. Ind. iv. epiſt. 37. alias lib. 9. Ind. iv. ep. 32.

PErvenit ad nos quod ſi quis contra clericos quoslibet cauſſam habeat, deſpectis eorum epiſcopis, eoſdem clericos in tuo facias judicio exhiberi. Quod ſi ita eſt, quia valde conſtat eſſe incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus ut hoc denuo facere non præſumas. Sed ſi quis contra quemlibet clericum cauſſam habuerit, epiſcopum ipſius adeat, ut aut ipſe cognoſcat, aut certe ab eo judices deputentur: aut ſi forte ad arbitros eundum eſt, partes ad eligendum judicem ab ipſo executio deputata compellat. Si quis vero clericus vel laicus contra epiſcopum cauſſam habuerit: tunc te interponere debes ut inter eos aut ipſe cognoſcas, aut certe te admonente ſibi judices eligant. Nam ſi ſua unicuique epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur?

Item nuntiatum eſt nobis quia quoſdam clericos, qui a reverendiſſimo fratre noſtro Johanne (*b*) epiſcopo, exigente culpa, in pœnitentiam miſſi ſunt, neſciente illo, tua illos exinde auctoritate ejeceris: quod ſi verum eſt, rem te omnino inhoneſtam & non leviter increpandam feciſſe cognoſcas. Eoſdem ergo clericos epiſcopo ſuo ſine mora reſtitue, & hoc de cetero cave committere: quia ſi neglexeris, noſtros te noveris non mediocriter motus incurrere.

DI-

(*a*) Quod is terminos indultæ ſibi poteſtatis tranſcendere attentaverat, clericorum cauſſas, poſthabitis eorum epiſcopis, coram ſe examinari faciens, ſanctus pontifex eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtos fideliſſimus, hanc ei dedit epiſtolam, de epiſcopali juriſdictione tum in propriis, tum in clericorum cauſſis non violanda, quam indicat & laudat Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. 3. cap. 104. n. 9. Ceterum de eodem Romano defenſore aliqua prægustavimus ſupra in notis ad Dipl. CLVI.

(*b*) Scilicet, Syracuſani cui data eſt præcedens epiſtola.

DIPLOMA CCXX.

Epiſtola ejuſdem Romani pontificis ad Vitum defenſorem. Illum eccleſiæ defenſorem inſtituit.

Gregorius Vito defenſori (*a*).

SI nulli conditioni vel corpori teneris obnoxius, nec fuiſti clericus alterius civitatis (*b*), aut in nullo tibi canonum obviant ſtatuta: eccleſiaſticæ utilitatis intuitu id noſtro ſedit arbitrio, ut officium eccleſiæ defenſoris accipias, & quidquid pro pauperum commodis tibi a nobis injunctum fuerit, incorrupte & graviter exſequaris; uſurus hoc privilegio, quod in te habita deliberatione contulimus, ut omnibus quæ tibi a nobis injuncta fuerint, complendis, operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis ſub Dei noſtri judicio rationem. Hanc autem epiſtolam Paterio Secundicerio notario eccleſiæ noſtræ ſcribendam dictavimus, cuique ſubſcripſimus.

An. iv. Ind. 600. & 601.

Ex eod. lib. 11. Ind. iv. ep. 38. alias lib. 9. Ind. iv. epiſt. 33.

DIPLOMA CCXXI.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii magni ad Romanum defenſorem. Eumdem Vitum defenſorem conſtitutum commendat.

Gregorius Romano defenſori (*c*).

VItum præſentium portitorem, experientia tua olim noſtrum fuiſſe cognoſcat. Cujus quoniam bene fidem & ſolertiam novimus, in defenſorum illum Schola, data ei ſollemniter epiſtola, militandum eſſe prævidimus. Et ideo ſi quid ei pro eccleſiaſticis utilitatibus injungere forte volueris, nullam de eo dubietatem habeas: ſed omnino de puritate ipſius certus eſto, nec eum fraudulenter vel dupliciter aliquid acturum exiſtimes. Unum eſt ut ei caritatem, quæ fidelibus debetur, impendas.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 11. Ind. iv. epiſt. 39. alias lib. 9. Ind. iv. ep. 34.

(*a*) De Vito defenſore, & defenſorum numero & officio in Sicilia opportunius agemus infra, Differt. VI. Cap. *de Defenſoribus Eccl.*

(*b*) Hanc diſciplinam de non promovendis in una civitate clericis alterius loci indicavimus ſupra in notis ad Dipl. CXV. & CCXX.

(*c*) Aliqua de eo dedimus ſupra, Dipl. CCXIX. illuſtrantes.

DIPLOMA CCXXII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad eumdem Romanum defenſorem. De poſſeſſionum Fauſti finibus injuſte pervaſis.

Gregorius Romano defenſori.

An. IV. Ind. 600. & 601. Ex eod. lib. 11. Ind. IV. epiſt. 41. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 35.

GLorioſiſſimus filius noſter Fauſtus epiſtola directa nos petiit, aſſerens ab actionariis (*a*) Syracuſanæ eccleſiæ fines poſſeſſionis ſuæ illic intra Siciliam poſitos nuper violenter ablatos. Unde quia a cognitione fratris & coepiſcopi noſtri Johannis (*b*) hoc omnino credimus alienum, eum videre te volumus. Et ſi quidem res nuper, ut aſſerit, a poſſidente ſublata eſt, & hoc apud te manifeſta ſatisfactione claruerit: ejus cui ſubtracta eſt dominio reformetur. Et tunc ſi quid actores prædictæ eccleſiæ rationabiliter ſibi in finibus ſuis credunt poſſe competere, electorum ſubeant ſine dilatione judicium: ut cujus ſit proprietas, judicantium ſententia decernatur; quatenus per hoc epiſcopalis de illicita, quæ prætenditur, invaſione, auferatur invidia; & cauſſa legali valeat ordine finiri.

DIPLOMA CCXXIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Johannem Syracuſanum epiſcopum. De eodem argumento præcedentis epiſtolæ.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*c*).

Eod. anno. Ex cit. lib. 11. Ind. IV. epiſt. 42. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 36.

GLorioſiſſimus filius noſter Fauſtus directa petitione nos adiit, aſſerens fines poſſeſſionis ſuæ illic intra Siciliam poſitos a veſtris nuper hominibus occupatos, atque ob hoc rem violenter ablatam ſibi per præceptionis noſtræ ſeriem debere petiit reformari. Quod quia, ſi ita, ut aſſerit, factum eſt, a fraternitatis veſtræ cognitione omnino credimus alienum, diligenter inquirite. Etſi, ut aſſerit, contra juris ordinem fines ipſius a poſſidente ſublati ſunt, in poſſeſſoris redeat res pervaſa dominium. Et tunc ſi quid eſt quod a veſtra eccleſia proprietatis jure utiliter apponatur, electorum debet judicium provenire, eorumque judicio terminari, dummodo indecenter poſſeſſoris jus minime perturbetur. Sed cauſſa judiciali termino definita, ſine ſacerdotali invidia dominum atque juſtitiam res manifeſta cognoſcat.

DI-

(*a*) Qui fuerint actionarii hic commemorati, dicemus infra, Differt. VI. Cap. *de Actionariis, ſeu Actoribus Eccleſiæ*.

(*b*) Nempe Syracuſani antiſtitis, ad quem ſequens ejuſdem argumenti epiſtola ſcripta fuit.

(*c*) Confer cum ſuperiore epiſtola.

DIPLOMA CCXXIV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad eumdem Johannem Syracuſanum epiſcopum. Dilatam diu Ruſticianæ cauſſam de invaſis poſſeſſionis ſuæ finibus tandem finiat.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano.

PEtrus vir clariſſimus (*a*), vicedominus glorioſæ filiæ noſtræ Ruſticianæ (*b*) patriciæ, ſuis nobis epiſtolis queſtus eſt, aſſerens poſtquam fraternitas veſtra de Romana civitate reverſa eſt fines cujuſdam poſſeſſionis prædictæ patriciæ ab hominibus eccleſiæ veſtræ vi eſſe pervaſos. De qua re ſæpius ſe vobis querelam depoſuiſſe ſignificavit, & aliquando ad dicendam vos cauſſam Martianum tabularium (*c*) deputaſse, quem aſserit, diverſis dilationibus diſtuliſse, ut nuncuſque ad cauſsæ dictionem partes accedere minime potuiſsent. Et quia quanto fraterna vos caritate diligimus, tanto audire aliquid quod ad veſtram pertineat invidiam contriſtamur; iccirco ſcriptis vos præſentibus adhortamur, ut omni mora vel excuſatione ceſsante, de finibus qui dicuntur invaſi, ſubire homines veſtros judicium cum parte altera faciatis: quatenus & pervaſionis quæſtio, & ſi qua eſt proprietatis contenſio finiatur. Hæc igitur fraternitas veſtra fieri ſine dilatione provideat; ut nec vos invidia tangere, nec nos denuo exinde valeat querela pulſare.

An. IV. Ind. 600. & 601.
Ex cod. lib. II. Ind. IV. ep. 43. alias lib. 9. Ind. IV. epiſt. 37.

(*a*) Quinam clariſſimatus nomenclatura gaudebant, expoſuimus ſupra in monitis ad Dipl. LVIII.

(*b*) Eamdem eſſe putamus, de qua egimus in notis ad Dipl. CCXVIII. Conſule Diſſert. VII. Cap. XIII. ubi vel ex hac epiſtola manifeſtum eſſe diximus, patriciatus dignitatem feminis quoque fuiſſe tributam.

(*c*) De tabulariis adeſt ſpecialis titulus in Codice Theodoſiano, ubi multa pro more ſuo erudite exhibet Gothofredus.

DIPLOMA CCXXV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii Pont. Max. ad Urbicum abbatem. Inconſtantiam ac temeritatem illius increpat. Quis in Lucuſiano monaſterio abbas, quis præpoſitus eſſe debeat, ipſe præcipit.

Gregorius Urbico abbati (*a*).

An. iv. Ind. 600. & 601.
Ex eod. lib. II. Ind. IV epiſt. 48. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 42.

VAlde me contriſtatum dilectio tua cognoſcat, quod tantam in congregatione monaſterii noſtri (*b*) confuſionem eveniſſe cognovi, quod dum de ordinando abbate aliquid in Lucuſiano (*c*) monaſterio diſponeres, non unum ſed pene duos abbates feciſti: mane, ſicut audio, Domitium presbyterum, veſpere vero latorem præſentium Bonum ſervum Dei. Ex qua re aſpicio quam diſſoluta ſit regula monaſterii, dum nec monachi ejuſdem monaſterii tibi ad obediendum parati exſtiterint, nec tu conſtanter aliquid diſponere potuiſti. Unde vehementer ingemiſco, quia aliter eſſe monaſterium noſtrum quam putabam invenio. Quod ex nulla alia re evenire valuit, niſi quia tua dilectio in regimine ſuo inordinata eſt, nec cum gravitate aliquid valet diſponere: ſed modo ſtudet peccantibus enerviter blandiri, modo inorditate, & extra modum nimie iraſci. Nam ſi ſemetipſam in mentis ſuæ ratione tenere potuiſſet, & ipſa ejus maturitas haberi in reverentia potuit, & diſciplinæ in monaſterio ordo ſervari. Hoc autem factum deterius puto, quod prædictum Bonum monachum, de monaſterio quod conſtruxit, ſine juſſione mea tollere præſumpſiſti: maxime, quia nec ætati ejus expedire ſuſpicor, ut poſſit in regimine præeſſe. Ideoque volumus ut Domitius presbyter abbas eſſe Lucuſiani monaſterii debeat, eique præpoſitus Lucifer monachus fiat, in cujus requieſcere ſolatio valeat. Ex noſtra itaque auctoritate hæc te diſponere, Deo adjuvante præcipimus. Cui diſpoſitioni ſi quis præſumpſerit ingratus exſiſtere ad nos ſine dubio tranſmittatur. Acceptis ergo ſcriptis noſtris, fratrem & coepiſcopum noſtrum Victorem (*d*) ad Lucuſianum monaſterium dilectio tua

---

(*a*) Alibi, id eſt Dipl. CXXXI. & CXXXIV. abbas Panormitani monaſterii S. Hermæ, vel Hermetis dicitur.

(*b*) Monaſterium, cui præerat Urbicus, ſuum vocat S. Gregorius. Conſonat Dipl. CXII. ibi: *Urbicus monaſterii mei præpoſitus*.

(*c*) In pleriſque M. SS. legitur. *Lucuſcano*, ut referunt hic Monachi Benedictini, quæ lectio confirmari videtur ex Dipl. CLXV. ibi: *Præpoſitos monaſterii ſanctorum Maximi, & Agathæ, quod Lucuſcanum dicitur.* At in ſequente epiſtola *Lucuſiani* nomen retinet. Utut res ſe habeat, variatio levior eſt, quam ut majori obſervatione indigeat.

(*d*) Scilicet *Panormitanum antiſtitem*, cui datæ ſunt aliæ ſane quam multæ ejuſdem S. Gregorii epiſtolæ, quas in noſtro indice Diplomatum facile eſt invenire.

tua invitet: quatenus ipſe illic Miſſarum ſollemnia celebrare, & prædictum Domitium auctore Deo, abbatem ordinare debeat; ne dum tuum conſilium ſequimur, in errorem ſicut cæci ducamur. Nam Catellum monachum in Lucuſiano monaſterio præpoſitum dilectio tua fieri voluerat. Quod poſtquam fieri mandavimus, quia monachus non ſit agnovimus. Ex parva enim eulogia, quam Bonus monachus accepit, partem petendo contentionem facere in itinere minime timuit. Quod ex quanta amaritudine cordis deſcenderit, tua poterat dilectio ſcire, ſi regulam monachorum noſſe voluiſſet. Ex diſcipulo autem tuo cognovimus, quia qui abbas diceris, eſſe adhuc monachus neſcis. Et credo quod non diſparis mentis ſit in hac diviſione cellerarius etiam Lucifer, quem præpoſitum fieri diximus. Sed tolerabilius eſt antiquiorem fratrem, quam novum & puerum tolerare.

DIPLOMA CCXXVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad eumdem Urbicum abbatem. De juſdem Lucuſiani monaſterii pecunia Petro Tricalitano epiſcopo det ſolidos XL.

Gregorius Urbico abbati.

Dilectio tua præſentia ſcripta ſuſcipiens. De ſolidis Lucuſiani monaſterii, quos apud eum Salerius (*a*) notarius noſter eſſe renuntiavit, ſine mora vel excuſatione aliqua XL. ſolidos fratri noſtro Petro Tricalitano epiſcopo (*b*) dare ſtudeat. Sed & monachis, quos apud ſe pro eorum ſalute de eodem monaſterio præfatus frater noſter abſtulit, ſtudii tui ſit abbati antefati Lucuſiani monaſterii diſtrictius imminere, ut alimoniam, & veſtimenta annis ſingulis exinde præbere modis omnibus debeat.

Eod. anno.
Ex cit. lib. II. Ind. IV. ep. 49. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 43.

DI-

(*a*) De Salario notario, ac notariorum numero & officio in Sicilia opportunius agemus infra, Diſſert. VI. Cap. IV.

(*b*) Cui ipſemet S. Gregorius ſcripſit epiſtolam 12. lib. 5. hic Dipl CXIV.

DIPLOMA CCXXVII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii Pont. Max. ad Adrianum notarium. Agathoſæ maritum ſuum, nolente ipſa tonſuratum, & monachum, reddi jubet.

Gregorius Adriano notario Panormitano (*a*).

An. IV. Ind. 600. & 601.

Ex eod. lib. 11. Ind. IV. epiſt. 50. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 44.

AGathoſa latrix præſentium queſta eſt, maritum ſuum contra voluntatem ſuam in monaſterio (*b*) Urbici abbatis eſſe converſum. Quod quia ad ejuſdem abbatis culpam & invidiam non eſt dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus ut diligenti inquiſitione diſcutiat ne forte cum ejus voluntate converſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit. Et ſi hoc repererit, & illum in monaſterio permanere provideat, & hanc ſicut promiſit, mutare compellat. Si vero nihil horum eſt, nec quoddam fornicationis (*c*) crimen, propter quod viro licet relinquere uxorem, prædictam mulierem commiſiſſe cognoveris: ne illius converſio uxori relictæ in ſæculo fieri poſſit perditionis occaſio, volumus ut maritum ſuum illi, vel ſi jam tonſuratus eſt, reddere omni debeas excuſatione ceſſante. Quia & ſi mundana lex (*d*) præcipit, converſionis gratia, utrolibet invito, poſſe ſolvi conjugium: divina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis cauſſa, vir uxorem dimittere nulla ratione conceditur: quia poſtquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non poteſt ex parte converti, & ex parte in ſæculo remanere.

DI-

(*a*) De eo egimus jam in notis ad Dipl. CLXXXIX.

(*b*) Scilicet, *S. Hermæ*, vel *Hermetis* de Panormo, ſupra Dipl. CXXXI. & CXXXIV.

(*c*) Adulterii pœna erat, ut innocens conjux, invito delinquente, monaſterium ingredi potuerit. Conſonat Dipl. CXCIII.

(*d*) Id eſt Novell. Juſtin. 123. Cap. 40.

DIPLOMA CCXXVIII.

Epiſtola præfati S. Gregorii magni ad univerſos Siciliæ epiſcopos. Adverſus imminentem hoſtium invaſionem binas per hebdomadam litanias indicant, & fideles a ſæculari perverſitate dehortentur.

Gregorius univerſis epiſcopis Siciliæ.

SUper afflictiones (*a*) & gemitus quos annoſa hic continuatione de hoſtibus ſuſtinemus, major nos metus excruciat, quod inimicos noſtros omni anniſu ad Siciliæ invaſionem cognoſcimus feſtinare. Sed ne hæc illis molientibus proſperitatem multitudo noſtrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad Redemptoris noſtri remedia conferamus, & quibus reſiſtere virtute non poſſumus, lacrymis obviemus. Nam quid vobis cavendum, quidve ſit vehementius formidandum, ex iſtius provinciæ debetis deſolatione colligere. Itaque hortor, fratres cariſſimi, ut omni hebdomada quarta & ſexta feria litaniam inexcuſabiliter indicatis, & contra barbaricæ crudelitatis incurſus ſupernæ protectionis auxilium imploretis. Sed ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius ſtudendum eſt ut voces actibus adjuventur: nam inanis fit oratio, ubi prava eſt actio. Quia igitur quanto immane cernitis imminere periculum, tanto ſimul omnes in fletu debetis & gemitu occupari, filios veſtros a ſæculari perverſitate, ſacerdotali quamprimum adhortatione compeſcite. Diſcant injuſta contemnere, & quæ Deo placita ſunt amare; ut illos poſſitis habere ad impetrandam divinæ miſericordiæ gratiam adjutores: ne ſi neglexeritis, actio eorum preces orationum ſuperet, & ſævientis inimici gladius, quod abſit, reſecet, quos monentis verba non corrigunt. Deus autem noſter juſtus, & pius eſt; & ſicut perſeverantibus in pravitate diſtrictus eſt, ita converſis miſericors. Ad ipſum ergo tota mente contriti cordis ejulatione curramus, ab ipſo ereptionis noſtræ ſolatia poſtulemus. Qui quoniam benignus & mitis eſt, ſi nos a malis noſtris emendatos ſua viderit mandata diligere: & hic nos potens eſt ab hoſte defendere, & in futuro æterna nobis gaudia præparare.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 11. Ind. IV. ep. 51. alias lib. 9. Ind. IV. epiſt. 45.

DI-

(*a*) Siciliæ afflictionem hanc præſago jam ſpiritu prædixerat S. Gregorius, ut plane liquet ex Dipl. CV. & præterea refert Johannes Diac. *in Vit. S. Greg.* lib. 4. cap. 54. publicam pœnitentiam fieri, & bis in hebdomoda Litanias celebrari decernit S. Gregorius: ut quibus reſiſtere virtute non poterant Siculi, lacrymis obviarent. *Et quidem profuiſſe remedia iſta* (exſcribo verba Baronii ad ann. 601. Cap. 42.) *declaravit eventus: quum certum ſit, nullam hoſtium paſſam eſſe incurſionem Siciliam, & inacceſſam Sclavinis remanſiſſe Italiam.*

DIPLOMA CCXXIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad Donum Meſſanenſem epiſcopum. Id compleatur quod Placidum inter & Meſſanenſis eccleſiæ actores judicatum eſt.

Gregorius Dono epiſcopo Meſſanenſi (*a*).

Anno 601. *menſe Junii*

Ex eod. lib. 11. Ind. IV. epiſt. 52. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 46.

NUllus umquam contentionibus finis imponitur, ſi impleri ea quæ judicata fuerint differantur. Filius itaque noſter Placidus vir magnificus queſtus eſt nobis ea quæ inter eum & actores (*b*) eccleſiæ veſtræ Dei judicio definita ſunt, fraternitatem veſtram nolle complere. Quod ſi ita eſt miramur, ut dum quieti veſtræ vos deceat ſtudere, contentionis vobis ſcrupulum reſervetis. Proinde ſcriptis vos præſentibus adhortamur, ut ſubtiliter requirere debeatis. Et ſi quid minus impletum eſt, ſi tamen nihil eſt quod juſte poſſit obſiſtere, ſine diſcordia compleatur: quatenus nec ſupradictus magnificus vir ſe queratur irrationabiliter fatigari, nec vos contra ordinis veſtri propoſitum videamini deſpexiſſe quod juſtum eſt. Datum menſe Junii, indictione IV.

DIPLOMA CCXXX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii ad Adrianum notarium. Incantatores & ſortilegos inſequi pergat.

Gregorius Adriano notario (*c*).

An. IV. Ind. 600. & 601.

Ex cit. lib. 11. Ind. IV. ep. 53. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 47.

PErvenit ad nos quod quoſdam incantatores (*d*) atque ſortilegos fueris inſecutus. Et omnino nobis ſolicitudinem zelumque tuum gratum fuiſſe cognoſcas: ſed moleſte tulimus quod te dubitare ne ab eis nobis contra experientiam tuam ſurripi potuiſſet didicimus, quum certus eſſe, ac ſcire debueris, hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam aſcribi. Et ideo ſtudii tui ſit ſoli-

(*a*) De eo aliqua dedimus ſupra in monitis ad Dipl. CXXIII.

(*b*) De actoribus eccleſiæ agemus infra, Differt. VI. Cap. II.

(*c*) Supra Dipl. CCXXVII. *Adriano notario Panormitano*.

(*d*) Circa hæc tempora magnum fuiſſe numerum ſortilegorum ex decretis conciliorum, Venetici, Agathenſis I. Autiſſiodorenſis, Narbon. Lipticenſis obſervat in hunc locum Guſſanvilæus. Et quidem hoc genus hominum Siciliam quoque infeſtaſſe, conſtat ulterius ex Dipl. CXXVIII. & CCLXII.

ſolicite quærere, & quoſcumque hujuſmodi inimicos Chriſti inveneris, ita diſtricta ultione corrigere, ut & nos de experientia tua, melius debeamus habere judicium, & Deo noſtro te, quod maxime ſtudendum eſt, valeas commendare.

DIPLOMA CCXXXI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii I. Pont. Max. ad Marinianum abbatem. Eccleſiæ S. Georgii curam Mariniano, ejuſque ſucceſſoribus committit.

Gregorius Mariniano abbati (*a*).

QUia eccleſiam ſancti Georgii (*b*) poſitam in loco, qui *ad-ſedem* dicitur, minorem, quam oportet, diligentiam habere cognovimus, utile eſſe proſpeximus, quoniam monaſterium tuum eidem eccleſiæ noſcitur eſſe conjunctum, ejus tibi curam committere: hortantes, ut & ſolicitudinem illic congruam ſtudeas adhibere, & pſalmodiæ officium ſollemniter exhibere facias. Et quia eccleſiam ipſam reparatione, certum eſt, indigere: volumus ut quidquid illuc accedere potuerit, ipſe accipere, atque in ejus reparationem, ut prævideris, debeas erogare. Hanc vero ſolicitudinis curam, quam tibi hujus pagina præcepti mandavimus, tam te, quam etiam ſucceſſores tuos, qui monaſterii regimen, Deo auctore, ſuſceperint, exhibere & quæ conſtituimus per omnia volumus obſervare.

Eod. anno.

Excit. lib. II. Ind. IV. ep. 73. alias lib. 9. Ind. IV. ep. 68.

(*a*) Alibi, id eſt Dipl. XCIII. appellatur Marinianus abbas de Panormo. Vide ibi, & præterea conſule Dipl. LXXI.

(*b*) Hanc eccleſiam præter Pyrrhum, Invegem, Mongitorium, alioſque ſcriptores noſtrales, laudant & memorant, Monachi Benedictini hic, Johannes Mabillonius *Annal. Bened.* tom. I. lib. 8. cap. 35. & Socii Bollandiani ad diem 23. Aprilis *de S. Georgio Megalo-martyre* §. 4. n. 37. Qui & obſervant, quod quum eccleſia & derelicta & prope conſumpta dicatur, jam datur intelligi, eam antiquam ſatis fuiſſe, atque ita ipſo, quo S. Georgius martyrium ſubiit, ſæculo, ſcilicet quarto ineunte, ædificatam eſſe.

DIPLOMA CCXXXII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii papæ I. ad Barbaram, & Antoniam. Divinam protectionem eis adprecatur. Quod Romam venire cupiant, gaudet. Commendatas Johanni epiſcopo, ac Romano defenſori illarum cauſſas. Accepta libenter xenia.

Gregorius Barbaræ, & Antoniæ (*a*).

An. iv. Ind. 600. & 601.

Ex eod. lib. 11. Ind. iv. epiſt. 78. alias lib. 9. Ind. iv. ep. 75.

SUſceptis epiſtolis veſtris, omnimodo cognita veſtra ſoſpitate lætatus ſum, atque omnipotentem Deum deprecor, qui vos & a malignis ſpiritibus in cogitatione, & a perverſis hominibus atque ab omni contrarietate, ſua protectione cuſtodiat: ſicque vos cum timoris ſui gratia dignis conjunctionibus ordinet, ut omnes nos in veſtra ordinatione lætificet. Vos autem, dulciſſimæ filiæ, in ejus adjutorio ſpem veſtram ponite, & ſub umbra defenſionis illius ſemper, & orando, & bene agendo, malorum hominum inſidias declinate. Quæcumque enim humana ſolatia vel adverſitates fuerint, nulla ſunt, niſi aut ejus gratia protegat, aut ejus offenſa perturbet. In nullo igitur hominum ſpem ponatis, ſed totam mentem in fiducia Dei omnipotentis aſtringite. Nobis ergo dormientibus, ille vos proteget; de quo ſcriptum eſt: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.*

Quod quum autem ad beati Petri apoſtolorum principis limina feſtinare vos dicitis, opto nimis, & æſtuanti deſiderio expecto, ut dignis meritis junctas vos in ejus eccleſia videam: quatenus & vos de me ſolamen aliquantulum, & ego de veſtri præſentia non parvam lætitiam acquiram. Viro autem reverendiſſimo fratri meo Johanni epiſcopo (*b*), & Romano defenſori (*c*) cauſſas veſtras ſtudui commendare: ut quæ cœperunt, Deo auctore debeant perficere.

Xenium autem veſtrum, duas racanas (*d*), quas de labore veſtro eſſe mandaſtis, libenter accepi. Sed tamen cognoſcite, quia non mihi

(*a*) Quemadmodum eas de imminente patris morte vehementer afflictas conſolatus eſt ſanctus pontifex, hic Dipl. ccxvii. ſic conſolatur nunc de ejus obitu. Utpote qui agnoſceret, eas ſibi affinitatis vinculo conjunctas eſſe, ut advertit Baronius ad annum 601. cap. 49.

(*b*) Scilicet, Syracuſano cui data eſt ejuſdem negotii epiſtola, hic ccxviii.

(*c*) De eo aliqua exhibuimus in monitis ad Dipl. clvi.

(*d*) Racana, teſte Guſſanvillæo hic, genus vilis veſtimenti ſonat, quo uti ſolebant monachi & ſanctimoniales. Idem ſentiunt, Dominicus Magri *in Herolex.* & Nicolaus Mortier *Etymol. Sacr.* Conſule ulterius Johannem Gaſparem Svicerum *Theſaur. Eccleſiaſt. e Patribus Græc.* tom. 2. verbo Ῥακοδυτέω.

mihi mandatum credidi. Nam vos de labore alieno laudem quæritis, quia fortaſſe adhuc ad fuſum manum numquam miſiſtis. Nec tamen me res iſta contriſtat: quia opto ut ſanctam Scripturam legere ametis; ut quamdiu vos omnipotens Deus viris conjunxerit, ſciatis qualiter vivere, & domum veſtram quomodo diſponere debeatis.

DIPLOMA CCXXXIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii I. Pont. Max. ad Anthemium ſubdiaconum. De puero quodam e Sicilia Miſenum ducto, ubi monachi habitum ſuſceperat.

Gregorius Anthemio ſubdiacono.

Lator præſentium Gallus nauclerus oblata nobis petitione noſcitur intimaſſe, aſſerens puerum ſe quemdam de Siciliæ partibus venientem orationis gratia ad Campaniæ partes perduxiſſe, qui in Meſſenati portu conjungens, illic in monaſterio converſionis cauſſa ſeſe retinuit. Quem quum hic de conditione ſua pro ſui periculo diligenter inquireret, quantum aſtruit, jurisjurandi interveniente vinculo, liberum ſe, nullique conditioni obnoxium, publica voce profeſſus eſt. Pro quo ab actionariis (*a*) publicis ſe remeantem queritur eſſe conſtrictum impetentibus, cur ſervum (*b*) juris publici furtim de illis partibus auferre præſumpſerit. Qui poſt illata ſibi damna cautione ſe quoque oſtendit obſtrictum, eumdem puerum ad partes illas, quibus valeret viribus revocare. Unde pietatis cauſſa permoti, hoc experientia tua nos decreviſſe cognoſcat, ut ad Panormitanas partes, ubi res agitur ipſum mancipium, licet jam monachi habitum ſumpſerit, debeat revocare, eumque Fantino defenſori (*c*) noſtro contradere: ut ipſe quid de eo fieri debeat ſecundum præceptionis noſtræ ſeriem, cujus & te quoque textus poterit informare, ſalubriter exſequatur. A latore ergo præſentium experientiam tuam volumus fidejuſſionem accipere, qui mancipium ipſum in ſua a te manu ſuſcipiens, illic tibi in Neapolitana civitate pro eo ſcriptis evidenter ſpondeat, quod illum Fantino defenſori noſtro ſine aliqua excuſatione contradat: ut hac præveniente cautela, & precator liber a cautionis ſuæ reddatur vinculo, & cauſſa mancipii, ſicut conſtituimus auxiliante Domino, diſponatur.

An. v. Ind. 601. & 602.

S. Greg. lib. 12. Ind. v. epiſt. 3. alias lib. 10. Ind. v. ep. 3.

(*a*) De iis infra, Differt. VI. Cap. II.

(*b*) Servorum irregularitatem longe ante hæc tempora agnoverunt, S. Leo magnus, ex Dipl. XXVII. Cap. I. & Gelaſius, ex Dipl. XXXII. Cap. II. & XIV.

(*c*) Servum juris publici e monaſterio, ubi monaſticum habitum aſſumpſerat, extrahi, & Panormum reduci, atque Fantino præſentari præcipit S. Gregorius. Erat enim Fantinus defenſor Panormitanus, ut hic, atque etiam ſupra, Dipl. CLXX. & CXCIV.

DIPLOMA CCXXXIV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Fantinum defenſorem. De finienda Maurentii contra Panormitanam eccleſiam cauſſa moneat Victorem epiſcopum.

Gregorius Fantino defenſori (*a*).

An. v. Ind. 601. & 602.

Ex eod. lib. 12. Ind. v. ep. 4. alias lib. 10. Ind. v. epiſt. 4.

GLorioſiſſimus filius noſter Maurentius (*b*) magiſter militum, cauſſam de maſſa (*c*) Gentina contra Panormitanam eccleſiam habere ſe queritur; & ad hoc latorem præſentium facto mandato tranſmiſit, quod debeat ſine excuſatione aliqua terminari. Ideoque experientia tua reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Victorem (*d*) ſervato honore commoneat, ut aut pacifice cauſſam ipſam ſine dilatione ſtudeat terminare, aut certe ſi utilius ſibi eſſe crediderit, eam judicio definiri, omni mora ceſſante, vice ſua perſonam legaliter inſtituat quæ de eadem maſſa apud glorioſiſſimum filium noſtrum domnum Venantium patricium (*e*), & experientiam tuam debeat ſubire judicium: ut cauſſa ipſa poſſit cognita veritate diſtingui, aut certe alios ſibi, ſi partes voluerint, te imminente eligant cognitores. Et quidquid mediis ſacroſanctis Evangeliis ab eis fuerit ſtatutum, ita lege ſervata, tua volumus ad effectum exſecutione perduci, ut nihil inter partes remaneat, unde poſt hæc redivivo poſſint litigio fatigari.

DI-

(*a*) De eo jam diximus modo.
(*b*) Confer cum epigraphe Dipl. CXLIV. & CXLV.
(*c*) Quid maſſæ nomine venerit, exponemus infra, Diſſert. V. n. 3.
(*d*) Scilicet, Panormitano cui inſcripta eſt epiſtola CLXXIX.
(*e*) Alibi, id eſt Dipl. CCXLIV. & CCLIII. nominatur *Venantius patricius Panormitanus*. Sane Venantius iſte diverſus plane fuit a Venantio exmonacho patricio Syracuſano, de quo egimus in notis ad Dipl. LXV. Unde a vero abhorret Guſſanvillæus, qui duos hos Venantios in unum confundens, epiſtolam hanc tranſpoſitam putat, atque ad ſuperiora tempora, ante ſcilicet Dipl. CCXXXII. ubi agitur de obitu Venantii Syracuſani, ſubſtollere conatur; quod & ante nos obſervarunt hic Monachi Benedictini.

DIPLOMA CCXXXV.

Epiſtola præfati S. Gregorii papæ I. ad eumdem Fantinum defenſorem. Iſidori heredibus inſtet ut xenodochium conſtruant, aut jam conſtructo tribuant legatum.

Gregorius Fantino defenſori.

EA quæ fienda mandat piæ voluntatis intentio, ut ad effectum valeant pervenire, curæ debet ſacerdotalis exſiſtere. Proinde experientiæ tuæ præcipimus ut heredibus Iſidori, illuſtris memoriæ viri, aſſidue & fortius debeat imminere, ut xenodochium quod auctor eorum per ultimæ voluntatis arbitrium in Panormitana fieri civitate conſtituit, ſine aliqua difficultate ſecundum ea quæ ſunt diſpoſita, implere feſtinent; ne ſi amplius hoc adhuc negligendum putaverint, tam noſtram quam Dei iram de legibus venientem, quam hujuſmodi diſpoſitionem implere differentes merentur, incurrant. Si vero deputata in eorum xenodochio, quod fiendum eſt, quantitas videtur forte non poſſe ſufficere; locus in quo xenodochium ipſum fuerat conſtituendum, vel quidquid ibi relictum eſt, xenodochio ſancti Theodori (*a*), quod in prædicta civitate a Petro quondam conſtitutum eſt, applicetur: quatenus & heredes a ſolicitudine vel labore conſtituendi xenodochii valeant exui, & voluntas defuncti ſalubriter ſumat effectum: dum etſi in loco alio, ipſi tamen rei quidquid a teſtatore deputatum eſt, erogetur. Ita ergo experientia tua ſolicitudinem gerat, ut unum e duobus ſine aliqua debeat fieri tarditate.

Eod. anno. Ex cit. lib. 12. Ind. v. epiſt. 10. alias lib. 10. Ind. v. ep. 11.

DIPLOMA CCXXXVI.

Epiſtola ipſius S. Gregorii ad eumdem Fantinum defenſorem. Defuncti Primogeniti notarii res abſque mora in tuto collocet, ne Romanæ eccleſiæ, aliiſve heredibus pereant.

Gregorius Fantino defenſori.

COgnoſcat experientia tua Primogenitum (*b*) notarium noſtrum de hac pro peccatis luce tranſiſſe. Et quoniam ſanctam Romanam, cui auctore Deo deſervimus, eccleſiam, & conjugem ſuam, quæ ſe tuitioni eccleſiaſticæ poſtea commendavit, heredes, necnon &

Eod. anno. Ex cit. lib. 12. Ind. v. ep. 13. alias lib. 10. Ind. v. ep. 15.

(*a*) De hoc xenodochio agitur quoque in Dipl. CLXXXVI. Vide ibi.

(*b*) De Primogenito notario, ac notariorum numero & officio in Sicilia agemus infra, Differt. VI. Cap. IV.

& filium fratris ſui in unam unciam heredem idem noſcitur reliquiſſe: eapropter ſtatim ut hoc præceptum ſuſceperis, antequam eum quiſquam obiiſſe cognoſcat, & in ſubſtantia illius aliquid fraudis committat, ad locum in quo res ejus ſunt reconditæ ſine mora curabis accedere, & cum omni ſolicitudine ac diligentia ſtudii tui ſit præſente Conſentio puero, qui rerum ipſarum eſſe cuſtos aſſeritur, adhibitis teſtibus ſollemniter ac ſubtiliter facere, eaſque res in loco tutiſſimo, & utile prævideris collocare: quatenus apto tempore huc cum eodem puero, Deo auxiliante, valeant tranſmitti. Sed & cetera in quibuslibet rebus ſive corporibus, quæ de ſubſtantia ipſius eſſe didiceris, cum omni ſtrenuitate in unum congregare & conſtituere feſtina, ut nihil de ejus poſſit qualibet occaſione deperire ſubſtantia. Hæc igitur omnia ita ſolicita, & ſubtili ſtude cura peragere, ut te illic poſito nc diſpendium in rebus ipſis eveniat, & cujuslibet fraudis ſub qualibet occaſione ſive exquiſitione locus aliquis patere non valeat. Summa vero redituum ejus quæ ſit, nobis pariter tuis ſcriptis indicare feſtina.

DIPLOMA CCXXXVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii papæ I. ad Azimarchum ſcribonem. E maris periculo ereptum hortatur ut divinæ miſericordiæ numquam non meminerit.

Gregorius Azimarcho ſcriboni (*a*).

An. v. Ind. 601. & 602.

Ex eod. lib. 12. Ind. v. epiſt. 14. alias lib. 10. Ind. v. ep. 17.

QUanto nos cognitus caſus veſtri naufragii contriſtavit, tanto ſubſequens epiſtola revelavit, quod magnitudinem veſtram incolumem ad Siciliam perveniſſe cognovimus. Et Creatori noſtro gratias agimus, qui ſolita vos pietate protexit, & de maris periculo liberavit. Unde neceſſe eſt ut Dei miſericordiam, quam in vobis ſæpe collatam inſpicitis: ita ſemper in omni actu præ oculis habeatis, ut ejus in vobis gratia cumuletur; & ſicut ab exterioribus periculis, ita quoque ab interioribus eripiat. Paterna igitur dulcedine ſalutantes, petimus, ut de veſtra non incolumitate, quoties ſe occaſio dederit, relevetis.

DI-

(*a*) Duas alias epiſtolas in regiſtro ejuſdem S. Gregorii invenies eamdem inſcriptionem portantes, ſcilicet 60. lib. 10. & 16. lib. 12. hic Dipl. CCVI. & CCXXXIX.

DIPLOMA CCXXXVIII.

Epiſtola ejuſdem Romani pontificis ad Romanum defenſorem. Laurentium juvet in finiendis Bonifacii numerarii rationibus.

Gregorius Romano defenſori (*a*).

EXperientiam tuam non latet in rationibus Bonifacii numerarii (*b*), noſtrum ſecundum aliquid intereſſe propter quod partem aliquam ſubſtantiæ ſuæ xenodochio, quod ad beatum Petrum apoſtolorum principem conſtitutum eſt, dereliquit, & ſuam nobis conjugem commendavit. Et ideo quia Laurentius vir clariſſimus, præſentium portitor, pro rationibus ipſis, id eſt nonæ ac decimæ indictionis faciendis tranſmiſſus eſt: hujus tibi præceptionis ſerie injungimus ut ei hac in cauſſa quocumque neceſſe fuerit præbere ſolatia, atque eum æquitate ſervata juvare feſtines; quatenus dum te ſolicito rationes ipſæ ſalubriter fuerint terminatæ, & pauperum fiat utilitas, & mulieris quæ commendata eſt quies procuretur atque ſecuritas. Quia vero noſti quemadmodum cauſſæ & maxime tales agantur, ſi forſitan videris quia rationes ipſæ finiri ſine diſpendio non poſſunt, ad glorioſiſſimum Leontium (*c*) una cum reverendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Johanne (*d*) te ire neceſſe eſt, & communi cum eo conſilio agere, & ad quantum potueris eloqui, ei promittere quidquid vel ipſi, vel diverſis dandum ſuffragatoribus fuerit; dummodo per partes non eat, ſed celerius finem accipiat. Illud autem præ omnibus tractare vos convenit, utrum cum prædicto glorioſiſſimo viro antequam rationes incipiantur, aut certe loqui propterea debeatis; ne forte cauſſa in examinatione miſſa, nobis poſtea ad decidendum difficultatem adducat. Sed quia melius in præſenti quid oporteat, poteritis advertere, quod utilius viſum fuerit, agite. In hac tamen promiſſione ſolicitos vos eſſe neceſſe eſt, ut omnia inibi comprehenſa, pro totius cauſſæ deciſione plura ſolida nullo modo promittantur, indicantes ei, ſi cauſſa exegerit, quia pauper omnino defunctus eſt. Quod ut ita eſſe cognoſcat, exemplar rerum inventarum de ſubſtantia ipſius tibi prævidimus dirigendum. Quod ſi forte apud prædictam ſolidorum

Eod. anno.
Ex cit. lib. 12. Ind. v. epiſt. 15. alias lib. 10. Ind. v. ep. 16.

(*a*) De eo in notis ad Dipl. CLVI. & alibi paſſim.
(*b*) Id eſt, Tabularii, qui rationes ſupputat libroſque ſervat dati & accepti, ut advertit Guſſanvillæus hic, & poſt eum Monachi Benedictini. Vide ejuſdem argumenti epiſtolam hic proxime exſcribendam.
(*c*) Haud dubie is eſt Leontius exconſul, cui data eſt epiſtola 35. lib. 8. hic Dipl. CLII.
(*d*) Nempe, Syracuſano de quo aliqua expendimus in notis ad Dipl. CXV. & CXXV.

rum quantitatem conſentire noluerit, eligimus potius hoc quod pervenit ad xenodochium reddere, quam inanem invidiam ſuſtinere. Si vero conſenſerit, ſtudioſe agendum eſt, ut exinde ſecuritas remittatur: quatenus poſt datam ſecuritatem, & deciſionem, cauſſa recidiva exinde alterius nullo modo valeat quæſtionis ſuſcitari. Quod autem dederis, in tuis rationibus noveris imputandum.

DIPLOMA CCXXXIX.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Azimarchum ſcribonem. Eidem Laurentio Bonifacii quondam numerarii rationes apud Leontium exponenti faveat.

Gregorius Azimarcho ſcriboni (*a*).

An.v.Ind. 601. & 602.

Ex eod. lib 12. Ind. v. epiſt. 16. alias lib. 10. Ind. v. ep. 18.

MAgnitudinem veſtram, quo tempore hic in Romana urbe fuit, cognoviſſe recolimus Bonifacium (*b*) quondam numerarium condito teſtamento partem aliquam hereditatis ſuæ xenodochio, quod ad ſanctum Petrum apoſtolorum principem ſitum eſt, reliquiſſe. Et quoniam gerere nos ſolicitudinem diximus, ut ad glorioſum filium noſtrum Leontium perſona pro exponendis ratiociniis ipſius mitteretur, curam ut compleri debuiſſet, habuimus. Iccirco quia Laurentius vir clariſſimus præſentium portitor, ad hoc illuc noſcitur eſſe tranſmiſſus: magnitudinem veſtram paterna dilectione ſalutantes, petimus ut ei hac in cauſſa concurrere, atque veſtra, ſicut de vobis confidimus, ſalva juſtitia impendere patrocinia debeatis: quatenus dum ſinceriſſimæ bonitatis veſtræ fuerit ope ſuffultus, & de viduitate mulieris quondam Bonifacii, & de pauperibus quibus, ſicut dicimus, idem Bonifacius hereditatis ſuæ partem aliquam dereliquit, mercedem apud omnipotentem Deum acquiratis.

DI-

(*a*) Duas epiſtolas alias eidem Azimarcho ſcripſit S. Gregorius, hic Dipl. CCXVI. & CCXXXVII.

(*b*) Confer cum epiſtola modo exhibita.

DIPLOMA CCXL.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pontif. Max. ad Maurilionem expræfectum. Amice hortatur, ut ad ſe ſcribat ſæpius.

Gregorius Maurilioni expræfecto (*a*).

VAlde miramur quod nos diverſis de Sicilia venientibus, gloria veſtra incolumitatis ſuæ nuntio relevare poſtponit. Et utrum oblivioni caritatis, an occupationi debeat reputari, neſcimus. Et ideo ſalutantes paternæ caritatis affectu, petimus ut quoties ſcribendi ſe occaſio dederit, de veſtra nos ſalute, & qualiter circa vos agatur, refovete: quatenus dum ſecundum deſiderium noſtrum de proſperitate veſtra læti fuerimus effecti, Redemptori noſtro pro vobis agere gratias valeamus. Omnipotens Deus miſericordiæ ſuæ vos gratia tueatur, & ab omni adverſitate ſervet illæſos atque cuſtodiat.

Eod.anno. Ex cit. lib.12. Ind. v. epiſt. 17. alias lib. 10. Ind.v. ep. 19.

DIPLOMA CCXLI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I ad Romanum defenſorem. Non jungendos matrimonio extra maſſam in qua nati ſunt Petri defenſoris filios.

Gregorius Romano defenſori (*b*).

PEtrus (*c*) quem defenſorem fecimus, quia de maſſa juris eccleſiæ noſtræ nos Vitelas (*d*) dicitur oriundus ſit, experientiæ tuæ bene eſt cognitum. Et ideo quia ita circa eum benigni debemus exſiſtere, ut tamen eccleſiæ utilitas non lædatur; hac tibi præceptione mandamus, ut eum diſtricte debeas commonere, ne filios ſuos quolibet ingenio vel excuſatione foris (*e*) alicubi in conjugio ſociare præſumat, ſed in ea maſſa, cui lege, & conditione ligati ſunt, ſocientur. In qua re etiam & tuam omnino neceſſe eſt experientiam eſſe ſolicitam, atque eos terrere, ut qualibet occaſione de poſſeſſione, cui oriun-

Eod.anno. Ex cit.lib.12. Ind.v. ep.25. alias lib. 10. Ind.v. ep. 28.

(*a*) Conſule Differt. VII. Cap. XIII.
(*b*) Aliqua de eo dedimus ſupra in admonitionibus ad D pl. CLVI.
(*c*) De Petro defenſore, ac de numero defenſorum eorumque officio in Sicilia agemus infra, Differt. VI. Cap. III.
(*d*) Maſſa Vitelas una ex his erat quibus conſtabat patrimonium S. Petri in Sicilia. Vide Differt. V. ſub n. 2.
(*e*) Nulli licebat extra ſui originis maſſam matrimonium contrahere. Conſule quæ dedimus in notis ad Dipl. IV. quæque dabimus infra in cit. Differt. V. ſub n. 3.

oriundo ſubjecti ſunt, exire non debeant. Nam ſi quis eorum exinde, quod non credimus, exire præſumpſerit; certum illi ſit, quia noſter conſenſus numquam illi aderit, ut foris de maſſa, in qua nati ſunt aut habitare aut debeant ſociari, ſed & ſuperſcribi terram eorum. Atque tunc ſciatis vos non leve periculum ſuſtinere, ſi vobis negligentibus quiſquam ipſorum quidquam de iis quæ prohibemus, facere qualibet ſorte tentaverit.

DIPLOMA CCXLII.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii magni ad Ciridanum. Quum pro ſitonico id præſtitum ſit quod ipſe juſſerat, non perferendum jam ab eccleſia illius detrimentum.

Gregorius Ciridano (*a*).

An. v. Ind. 601. & 602. Ex cod. lib 12. Ind. v. ep. 34. alias lib. 10. Ind. v. ep. 38.

GLoriæ veſtræ dudum ſcripta ſuſcepimus, in quibus indicaſtis ſolicitudini veſtræ ſereniſſimorum principum juſſione curam ſitonici (*b*) fuiſſe mandatam, atque præceptum eſſe ut omnis tritici quantitas, quæ in horreis noſtræ eccleſiæ ſuſcepta fuerat, vobis tradi per omnia debuiſſet, & ſcripſiſtis ut hoc ipſum parari in ſpecie faceremus. Quod quidem quia veſtrum, cujus ad nos quidem bona tanta perlata ſunt, non fuerit, novimus: & ſcitis quam durum, quamque omnino difficile ſit, ut res quæ nec ſervari, nec eo tempore ad emendum poterat inveniri, in ſpecie reſtitui peteretur. Verumtamen, ut exui ab hujus rei ſolicitudine valeremus, ſtudii noſtri fuit ut etſi cum majori diſpendio, omnino frumenta ipſa, ſicut voluiſtis, in ſpecie faceremus præparari. Poſt vero per latorem præſentium Eutychium virum magnificum, qui ſe illuſtrem præfectum eſſe commemorat, aliam nobis epiſtolam tranſmiſiſtis, ut quæ ſumma ejuſdem ſitonici ab horreariis (*c*) eccleſiæ ſit ſuſcepta, prodi inter acta publica debuiſſet. Et ideo ne per occaſionem eccleſiæ quædam cuiquam naſci videatur occaſio, ſeu excuſatio, & quantitatem, ſicut ſcripſiſtis, defenſores eccleſiæ prodiderunt, & quæ putaverunt utilia, petiverunt. Quod gloria veſtra diligenter ſoliciteque pertractet, & verba eorum non negligat. Nam quidquid poſt hæc in prædicti ſitonici ſpecie damni contigerit, amplius jam ad eccleſiæ diſpendium ſciatis nullo modo pertinere: quia nec habitatores civitatis iſtius, afflicti revera homines, prædictum ſitonicum in ſuo ſe aſſerunt detrimento poſſe ſuſcipere. Hæc igitur omnia gloria veſtra cognoſcens, ita de his quæ ſibi ſunt commiſſa, ſtudeat cogitare, ut & utilitatem publicam faciat, & hujus operis pondus eccleſiæ noſtræ denuo ad gravamen pauperum non incumbat. DI-

(*a*) Confer cum inſcriptione Diplom. CLX.

(*b*) Scilicet, *horrei publici*. Conſonat Dipl. LXI. §. *De frumentis*.

(*c*) Horrearii dicebantur qui horreorum curam gerebant. Guſſanvillæus hic.

DIPLOMA CCXLIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Fantinum defenſorem. Ex Servi-Dei diaconi hereditate, xenodochio tradat equas decem, Luminoſæ ancillæ Dei quatuor.

Gregorius Fantino defenſori (*a*).

EXperientiam tuam jam credimus cognoviſſe dilectiſſimum filium noſtrum Servum-Dei diaconum (*b*), heredem ſanctam Romanam eccleſiam, cui, Deo auctore deſervimus, reliquiſſe. Et quia legati titulo quatuor equarum capita Luminoſæ ancillæ Dei proximæ ſuæ dari conſtituit, atque nos, petente dilectiſſimo filio noſtro Florentino diacono, xenodochio Anichiorum, cui præeſſe dignoſcitur, decem equarum capita cum emiſſario ſuo prævidimus largienda: hac tibi iccirco præceptione mandamus latori præſentium, qui ad hoc illic ex opere miſſus eſt, tam quatuor quæ legata ſunt, quam decem equarum capita, quas xenodochio conceſſimus, de equabus præfati quidem diaconi ſimul & emiſſarium ſine aliqua debeas excuſatione vel mora contradere.

An. v. Ind. 601. & 602.

Ex eod. lib. 12. Ind. v. epiſt. 39. alias lib. 10. Ind. v. ep. 43.

DIPLOMA CCXLIV.

Epiſtola antedicti Romani pontificis ad Venantium patricium Panormitanum. Spondet ſe, ubi convaluerit, facta quædam Samſonis allegorice expoſiturum.

Gregorius Venantio patricio Panormitano (*c*).

DEſideratiſſimæ excellentiæ veſtræ ſcripta ſuſcepi, in quibus tantum de abſentis collocutione gaviſus ſum, quantum ipſum qui locutus eſt ſemper mihi cupio eſſe præſentem. Vultis ergo ut quædam de Samſonis factis allegorice diſſerantur: ſed tanta mihi debilitas corporis accidit, ut ſi qua ſubire valuerim, exercere animus non aſſurgat. Bono autem deſiderio veſtro congaudeo: quia dum expoſitionem ſacrorum verborum (*d*) cupitis, quam ſtricte ipſum auctorem eorumdem

Eod. anno.

Ex cit. lib. 12. Ind. v. ep. 40. alias lib. 10. Ind. v. ep. 45.

(*a*) Supra, Dipl. CLXX. & alibi paſſim appellatur defenſor Panormitanus.

(*b*) De eo ſupra, Dipl. CVIII.

(*c*) Error irrepſit in notam Guſſanvillæi, ubi Venantius iſte cum illo exmonacho patricio Syracuſano perperam confunditur. Conſule quæ dedimus in monitis ad Dipl. CCXXXIV.

(*d*) Ex hoc loco diſcimus, Siculis ſacræ Scripturæ lectionem uſui fuiſſe. Vide quæ expendimus in obſervationibus ad Dipl. CXLIV.

dem verborum quæritis, demonſtratis. Si igitur vires ſalutis recepero, auctore omnipotente Domino veſtris deſideriis parebo. Oro autem ut in cunctis actibus veſtris gratia vos ſuperna cuſtodiat: quatenus in bono opere, & aſpirando vos repleat, & adjuvando confortet.

DIPLOMA CCXLV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Romanum defenſorem. Saluſtium admoneat ne poſthac Luminoſo eccleſiæ ſervo ſit moleſtus.

Gregorius Romano defenſori (*a*).

An. v. Ind. 601. & 602.

Ex eod. lib. 12. Ind. v. epiſt. 42. alias lib. 10. Ind. v. ep. 48.

LUminoſus præſentium lator violentiam ſe uxoremque ſuam a Saluſtio viro clariſſimo aſſerens ſuſtinere, huc neceſſitate eadem facien te venire compulſus eſt. Unde quia ſervum ſanctæ Mariæ quod eſt parochiæ Grumentinæ (*b*), ſe eſſe aſſerit, neceſſe eſt ut eccleſiaſtica tuitione valletur. Experientia itaque tua præfato ſupplici eccleſiaſtica non deſiſtat impertiri ſolatia, eumque de quo queritur admonere, quatenus ſe ab eorum inquietitudine compeſcat. Si vero eſt quod ſibi in eis rationabiliter dicat poſſe competere, electorum judicio terminetur, tuaque quidquid definitum fuerit exſecutione, modis omnibus impleatur.

DIPLOMA CCXLVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Johannem Syracuſanum epiſcopum. Sic exigendos ait reditus, ut neque contriſtentur debitores, neque Romana eccleſia damnum ſuſtineat.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*c*).

Eod. anno.

Ex cit. lib. 12. Ind. v. ep. 43. alias lib. 10. Ind. v. ep. 49.

FIlii noſtri Paſchaſius vir magnificus, & Plancho vir clariſſimus conqueſti ſunt nobis ſanctitatem veſtram reditus, qui ſanctæ Romanæ eccleſiæ debentur, non alibi niſi aut in ſuburbano civitatis, aut in maſſa quæ dicitur Gelas (*d*), velle percipere. Quod ego non ita actum intelligo, ſicut hi qui murmurant, putant. Scio enim ſapientiam

(*a*) De eo in notis ad Dipl. CLVI.

(*b*) Grumentum civitas Lucaniæ. Incertum quidem eſt cur Romano, & non potius Savino ejuſdem loci defenſori, quem memorat ipſemet S. Gregorius lib. 12. epiſt. 21. cauſſa commiſſa ſit.

(*c*) De exactione reditus patrimonii S. Petri Johanni Syracuſano epiſcopo datur hæc epiſtola, utpote qui eſſet rector ejuſdem patrimonii pro Syracuſana ſtatione. Vide Dipl. CLXXV. ſicut & Diſſert. VI. Cap. I.

(*d*) De maſſa *Gelas*, & aliis, quibus conſtabat Siculum patrimonium S. Petri

tiam fraternitatis veſtræ: & iccirco vos arbitror ſic talia propoſuiſſe, ut per eamdem propoſitionem quocumque in loco reditus utiles potuiſſetis accipere. Laudo, frater cariſſime, intentionem caritatis tantæ, & vehementer amplector; quia ſicut curam eccleſiæ noſtræ agitis, quæ profecto veſtra eſt, ſicut & veſtræ quæ noſtra eſt: tamen nec in ſuburbano, nec de maſſa Gelas filii mei excellentiſſimi Italici, & domus Venantii reditus, quos promiſerunt, ſunt petendi. Sed ſive in Syracuſana (*a*), ſive in Panormitana parte dare voluerint, ad hoc ſolum veſtra ſanctitas ſit intenta, ut utiles per omnia reditus accipiat, ſecundum promiſſionem pacti vel cautionis quam miſimus. Ita ergo ſanctitas veſtra provideat, ut neque dilecti filii mei prædicti de relictis ſuburbanis ſibi neceſſariis contriſtentur, nec noſtra Romana eccleſia damnum aliquod vel minorem utilitatem in eorum redituum perceptione ſuſtineat. Stationes patrimonii S. Petri in Sicilia.

DIPLOMA CCXLVII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pontif. Max. ad Lucidum Leontinum epiſcopum. Quem e congregatione ſua Johannes abbas delegerit, ordinet pro monaſterio presbyterum.

Gregorius Lucido epiſcopo Leontino (*b*).

Filius noſter Johannes abbas, presbyterum (*c*) ſibi in monaſterio ſuo, ex congregatione eadem petiit ordinandum. Ideoque fraternitatem veſtram præſenti auctoritate duximus adhortandam: quatenus virum, quem vobis de congregatione ſua ad ordinationem preſbyteri obtulerit conſecrandum, de eo, ſicut eſt conſuetudinis, quæque ſunt diſcutienda ſubtiliter perquiratis; & ſi nihil in eo repertum fuerit, quod ei poſſit obviare, canonice ſicut moris eſt, conſecretis. Nihil ei aliud privilegii concedentes, niſi ut in congregatione ſua quoties opportunum fuerit, ſacra Miſſarum debeat tantummodo celebrare myſteria. Menſe Auguſto, indictione v. *Anno 602. menſe Aug.* Ex eod. lib. 12. Ind. v. ep. 48. alias lib. 10. Ind. v. ep. 54.

DI-

---

tri, opportunius agemus infra, Diſſert. v. n. 2. & 3.

(*a*) Vel ex hoc tantum loco plane liquet duas fuiſse antedicti patrimonii Siculi ſtationes, in quibus cenſus penſioneſque exigi ſolebant, altera Syracuſis, altera Panormi. Conſule quæ dabimus infra, Diſsert. VI. Cap. I.

(*b*) De eo in inſcriptione quoque Dipl. CCLIV. Lucidum hunc undecimo poſt S. Neophytum loco poſuit Pyrrhus catalogum epiſcoporum Leontinorum texens. Verum pro decem retro epiſcopis notitiam ſinceriorem illa nanciſci optamus, quæ exhauritur ex corruptis actis *SS. Alph. Phil. & Cyr.*

(*c*) Huic loco illuſtrando, de ordinandis monachorum presbyteris, ſat eſse videntur quæ expendimus ſupra in obſervationibus ad Dipl. CXXXI. & CLXXIX. & præterea conſule quæ dabimus in Diſsert. III. ad calcem hujus Voluminis edenda.

DIPLOMA CCXLVIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Romanum defenſorem. Palatii urbis Romæ miniſtris, annonam ab imperatore conceſſam poſtulantibus, apud Leontium ſaveat.

Gregorius Romano defenſori (*a*).

An. v. Ind. 601. & 602. Ex cit. lib 12. Ind. v. ep. 49. alias lib. 12. Ind. vii. ep. 29.

QUalem neceſſitatem diverſa officia palatii urbis Romæ de annonis ſuis ſuſtineant, experientiam tuam credimus non latere. Et ideo quia latores præſentium vice ſua illuc omnes elegerunt tranſmittere, ut apud filium noſtrum glorioſum Leontium (*b*) agere debeant, qualiter ipſæ eis annonæ, ſicut a sereniſſimis principibus largitæ ſunt, deputentur impendi, & in hac re etiam ſibi petiverunt experientiam tuam debere concurrere: eapropter quia hoc & etiam illis non petentibus eorum exigit paupertas ac neceſſitas impertiri, dum aptum opportunumque eſſe conſpexeris, eis de quibus valueris, ſtudii tui ſit ita præbere ſolatia, quatenus hoc quod illis clementiſſimi principes pietate ſibi ingenita conceſſerunt, & illi conſequi valeant, & tu indiſertus non videaris exſiſtere.

DIPLOMA CCXLIX.

Epiſtola præfati ſummi pontificis ad Eulogium Alexandrinum patriarcham. A Monophyſitarum errore converſos commendat.

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino (*c*).

Eod. anno. Ex cit. lib. 12. Ind. v. epiſt. 50. alias lib. 10. Ind. v. ep. 55.

LAtores præſentium Siciliam venientes, a Monophyſitarum errore converſi ſunt, atque univerſali eccleſiæ ſemetipſos adunaverunt. Qui ad beati Petri apoſtolorum principis eccleſiam pertendentes, popoſcerunt a me, ut eos meis epiſtolis veſtræ beatitudini commendare debuiſſem: quatenus ab hæreticis qui juxta ipſos ſunt, nullam

---

(*a*) De eo egimus in monitis ad Dipl. CLVI. & alibi paſſim.

(*b*) Scilicet, exconſulem, cui ipſemet S. Gregorius duas inſcripſit epiſtolas ſupra exhibitas, id eſt, CLII. & CXCIX.

(*c*) Quæ ad illuſtrandam hanc epiſtolam neceſſaria ſunt, ne alienos labores nos ſumere velle videamur, fideliter exſcribimus ex Monachis Bened. *in Vit. S. Greg.* lib. 4. cap. 6. n. 3. Ubi hæc de eodem Eulogio: *In epiſtola huic inſcripta patriarchæ, quæ omnium hoc anno ſcriptarum eſt ultima, meminit papa Monophyſitarum, ſeu hæreticorum unicam in Chriſto naturam confitentium, qui errorem hunc nuper ejurarant. Hi quum in Siciliam veniſſent, fama ſanctiſſimi doctoris invitati, Romam perrexerant, ubi in fide confirmati, lit-*

lam jam violentiam perpeti permittantur. Et quia unus eorum dicit monaſterium in quo fuit, a parentibus ſuis fuiſſe conſtructum, auctoritatem deſiderat a ſanctitate veſtra percipere, ut hi, qui in eo ſunt hæretici, aut ad ſinum ſanctæ Eccleſiæ redeant, aut de eodem monaſterio repellantur. Hæc a nobis indicata vobis eſſe ſufficiant: nam de veſtra beatitudine novimus, quia quidquid ad zelum Dei omnipotentis pertinet, cum omni facere fervore feſtinet. Pro me vero ut oretis, peto: quia inter gladios Longobardorum, quos ſuſtineo, podagræ doloribus vehementer affligor.

DIPLOMA CCL.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Adeodatum monachum. Permittit donationem ante ſuſceptum monachatum verbo factam, ſcriptis conſignari, & firmam haberi.

Gregorius Adeodato ſervo Dei.

EFfectum juſta poſtulantibus indulgere, & vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præſertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Quia igitur priuſquam in monaſterio ſancti Adriani (*a*), ubi es converſus, intrares, rerumque tuarum illic donationem emitteres, & domos & hortos intra civitatem, ſeu terras ſationales, vel vineas in fundo ſicut nos docuiſti, Carſiniano, pariter & portiones tuas in fundo Fulloniaco (*b*), vel ex aliquibus mancipiis tuis quibus a te conceſſa libertas eſt, verbo largitus eſt; ipſaque donatio licet poſſit jure ſubſiſtere, præcipue in hoc quod ab illis tribuitur, qui cum pompis ſuis ſæculum relinquentes, ad Dei ſe eligunt conferre ſervitium: quoniam tamen, ne quid futurum tempus oblivionis nubilo huic derogare quidquam valeat largitati, ſcripturæ hoc deſideras tradere monumentis; quod ut queat robuſtum exſiſtere, a nobis tibi poſcis dari licentiam. Iccirco hujus præcepti noſtri pagina, liberam tibi hoc faciendi concedimus facultatem: quatenus dum omnia a te fuerint diligenter expreſſa, & deſignatione tua noverint eſſe quod ſuum eſt, quod cunctis modo commune eſt, & ipſi ſine contentione donata poſſideant; & voluntas tua

An. VI. Ind. 602. & 603.
S. Greg. lib. 13. Ind. VI. ep. 3. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 5.

litteras a ſummo pontifice teſtimoniales petierunt. Eos commendat ſanctiſſimus pater amico Eulogio, ipſiſque reſtitui monaſterium ab hæreticis occupatum petit, niſi forte maluerint ipſius invaſores ad eccleſiæ redire ſinum.

(*a*) Hocce monaſterium in urbe Panormi ſitum fuiſſe, dubitare non ſinit epiſt. 18. lib. I. ejuſdem S. Gregorii, hic Dipl. LXIV.

(*b*) Fundus Fulloniacus erat *juris ſanctæ eccleſiæ Romanæ*, ut patet ex Dipl. LXIII.

tua quid ad quem pertinere voluerit, eſſe non poſſit ambigua. Quidquid enim hujuſmodi ſcriptura interveniente feceris, firmum ſtabileque & ex rei ipſius veritate, & hac noſtra auctoritate non dubites: quippe qui non novum aliquid facere quod lege eſt vetitum, ſed dudum factum videris exprimere, & ſalubriter amputandi cauſſa litigii litterarum memoriæ ſervanda deponere.

DIPLOMA CCLI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii Pontif. Max. ad Barbarum Beneventanum epiſcopum. Ipſum Panormitanæ eccleſiæ viſitatorem ſub conſueta formula inſtituit.

Gregorius Barbaro epiſcopo Beneventano (*a*).

An. vi. Ind. 602. & 603

Ex eod. lib. 13. Ind. vi. epiſt. 13 alias lib. 11. Ind. vi. ep. 16.

OBitum Victoris (*b*) Panormitanæ civitatis antiſtitis directa relatio patefecit. Quapropter viſitationis deſtitutæ eccleſiæ fraternitati tuæ operam ſollemniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud eſt in patrimonio ejuſdem, a quoquam præſumatur eccleſiæ. Et ideo dilectio tua ad prædictam eccleſiam ire properabit, & aſſiduis adhortationibus clerum, plebemque (*c*) ejuſdem eccleſiæ admonere feſtinet, ut remoto ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant ſacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſollemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio litterarum ad nos ſacrandus occurrat. Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas eccleſia (*d*), niſi forte inter clericos ipſius civitatis, in qua viſitationis impendis officium, nul-

(*a*) In antiquis editionibus legebatur: *Barbaro epiſcopo Carinenſi*; in Romana autem: *Barbaro epiſcopo Beneventano*. Rocchus Pyrrhus *poſtremam hanc editionem eſſe omnium accuratiſſimam*, nullus dubitat, lib. 2. Not. 10. pag. 462. Idem poſt Guſſanvillæum, viſis pluribus M. SS. Codd. ſentiunt Monachi Benedictini in notis ad hanc epiſtolam. Sane munus viſitandi Panormitanam eccleſiam ob mortem Victoris ſuo viduatam paſtore, Barbaro Beneventano injungit S. Gregorius, vel quia is in Sicilia, aliis forte negotiis intentus, detinebatur, aut etiam quia ejuſmodi viſitationes ei S. Gregorius committere ſolitus erat. Vide ejus epiſt. 41. lib. 4. alias epiſt. 39. lib. 3.

(*b*) De eo egimus jam in admonitionibus ad Dipl. XCIII. & CXII.

(*c*) Conſule epiſtolam mox edendam.

(*d*) De hac diſciplina non eligendi clericos alterius eccleſiæ, fit quoque mentio in Dipl. LIV. & LXIV.

nullus ad epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri; proviſurus ante omnia, ne ad hoc cujuslibet converſationis vel meriti laicam perſonam aſpirare permittas; ne & conatus eorum habeatur inefficax, & periculum ordinis tui, quod abſit, incurras. Monaſteria autem ſi qua ſunt (*a*) in ipſius conſtituta parochia, ſub tua cura, diſpoſitioneque, quouſque illic proprius fuerit ordinatus epiſcopus, eſſe concedimus.

DIPLOMA CCLII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad clerum, ordinem, & plebem Panormi. Eidem Barbaro epiſcopo viſitatori obediant.

Gregorius clero, ordini, & plebi conſiſtenti Panormi (*b*).

VEſtri antiſtitis obitum (*c*) cognoſcentes, curæ nobis fuit deſtitutæ eccleſiæ viſitationem fratri & coepiſcopo noſtro Barbaro ſollemniter delegare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de proveƈtionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque a quoquam uſurpari patiatur. Cujus vos aſſiduis adhortationibus convenit obedire, & remoto ſtrepitu, uno eodemque conſenſu talem vobis præficiendum expetere ſacerdotem, qui & a venerandis canonibus nulla diſcrepet ratione, & tanto miniſterio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſollemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris pagina proſequente ad nos veniat ordinandus: proviſuri ante omnia, ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam perſonam præſumatis eligere, & non ſolum ille ad eiſcopatus apicem nulla ratione promoveatur, verum etiam vos nullis interceſſionibus veniam promereri poſſe cognoſcite: ſed & omnes quos ex vobis de laica perſona aſpiraſſe conſtiterit, ab officio & a communione alienos faciendos proculdubio noveritis.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 13. Ind. VI. ep. 14. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 19.

(*a*) Additur hæc clauſula juxta conſuetam formulam, non quod Panormi revera monaſteria eſſe S. Gregorius neſciret, qui plura antea commemoraverat, illud ſcilicet *S. Theodori*, ex Dipl. LXIII. & CXII. illud *S. Adriani*, ex Dipl. LXIV. & CCL. illud *Prætorianum* ſeu *Præcoritanum*, ex Dipl. LXXXVI. & CLXXIX. illud *S. Hermæ* vel *Hermetis*, ex Dipl. CXII. CXXXI. CXXXIV. & CCXXV. illud *S. Martini*, ex Dipl. CXII. illud *Lucuſcanum* ſeu *Lucuſianum*, ex Dipl. CLXV. & CCXXV. & illud *Cellæ-fratrum*, vel aliter appellatum, ex Dipl. LXXI. XCIII. & CCXXXI.

(*b*) Ad eos tunc temporis ſpeƈtabat præſulum Sicilienſium eleƈtio, ut manifeſte oſtendimus ſupra in obſervationibus ad Dipl. CXVI.

(*c*) Confer cum epiſtola præcedente, ſicut & cum proxime exſcribenda.

DIPLOMA CCLIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii PP. ad Venantium patricium Panormitanum. Urbicum abbatem electum merito in epiſcopum, ſed reluctantem non cogendum. Creſcentis diaconi ſcrutandos mores. Si neque in hoc, neque in alio conſentiant, mittendos Romam legatos.

Gregorius Venantio patricio Panormitano (*a*).

An. VI. Ind. 602. & 603.

Ex eod. lib. 13. Ind. VI. epiſt. 15. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 14.

EXcellentiæ veſtræ electio in perſona Urbici abbatis, quia valde nobis placuit, indicamus: quoniam ſicut judicii veſtri diſcretione oportuit, ad eccleſiæ gubernationem virum quæſiſtis vigilantem atque ſolicitum, & divinæ Scripturæ ſcientia, quod maxime in ſacerdotibus eligendum eſt, inſtitutum. Sed quia ceteris ſic eſt aliquis præponendus, ut dum ipſe exterius proficit, interius non decreſcat, quietem ipſius turbare non poſſumus: ne quum eum ad altiora producimus, minorem illum ſeipſo fieri miſſum in fluctibus compellamus.. Perſona vero Creſcentis diaconi, propter quod omnino nobis ignota eſt, prima nobis cura fuit requirere quemadmodum xenodochium cui profuerat, gubernaſſet; ut ex minimis, qualis eſſe poſſit in maximis noſceremus. Sed quid nobis portitores ſcriptorum veſtrorum reſponderint, ab ipſis addiſcetis. Hinc autem presbyterum dare omnino nobis excellentia veſtra ſciat eſſe difficile: quia perſonarum nos neceſſitas ad orninanda alia loca paſtoribus deſtituta non levis anguſtat. Et ideo quia Deum timere, & animæ veſtræ novimus vos habere reſpectum, paterna caritate ſalutationis alloquium permittentes, hortamur ut, ſicut decet, cauta diligentique inveſtigatione ſcrutari interius de vita, moribus, actuque præfati diaconi debeatis. Et ſi eum ad eccleſiæ aſſurgere regimen agnoſcatis, veſtra adhortatione omnes in eo ſe uniant. Si autem aliter veſtri ſentit ſolicitudo judicii, & eum paſtoralem curam efficaciter adminiſtrare non poſſe conſiderat: agendum eſt cum omnibus concorditer, ut alterum qui aptus viſus fuerit, de eccleſia ipſa poſſint eligere, ut venientes ad nos

(*a*) Victore epiſcopo Panormitano vita functo, Venantius ejuſdem urbis patricius, de quo ſupra in notis ad Dipl. CCXXXIV. apud S. Gregorium ſatis egit, ut ſubſtitueretur Urbicus abbas, aut ſaltem Creſcens diaconus. Sed effectu caruit poſtulatio, Urbico præ humilitate recuſante, & Creſcente mores qui eccleſiæ paſtorem decent, non præſeferente: atque ita Johannes ſuffectus eſt, cui ipſemet S. Gregorius uſum pallii dedit, hic Dipl. CCLIX. Conſule Johannem Mabillonium *Annal. Bened.* tom. I. lib. 10. cap. 23. & Monachos Benedictinos *in Vit. S. Greg.* lib. 4. cap. 7. n. 13.

nos tam diaconus, qui jam electus eſt, quam etiam qui adhuc eligendus eſt, is qui Deo placuerit, ordinetur. Enim vero ſi in eccleſia illa neque de presbyteris vel diaconis, ſive reliquo clero hujuſmodi inveniri potuerit, de alia ſibi eccleſia talem ordinandum eligere feſtinent antiſtitem, qui vigilanti ſolicitudine exterioribus eorum utilitatibus, & ſacerdotali adhortatione animabus valeat, Deo miſerante, utilis reperiri. Præterea ne qua hac in cauſſa poſſit eſſe dilatio, & peccata ſic faciant ut nullus de electis aptus exſiſtat: hortandus eſt clerus, & populus, ut eis qui ad nos venerint, ſua debeant vice mandare: quatenus hic habeant eligendi licentiam, nobiſque hoc ipſum apicibus ſuis roboratis propriis ſubſcriptionibus innoteſcant, ut ſi vel hic inveniri potuerit, ſine difficultate aliqua, Chriſti cooperante gratia, conſecretur. Quod tamen nos non voluntate impulſi loquimur, ſed neceſſitate compulſi: quia quantum eſt ad noſtræ auctoritatis judicium, de ſuis volumus ut debeant habere paſtorem.

DIPLOMA CCLIV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii magni ad quoſdam Siciliæ epiſcopos. Adrianum patrimonii rectorem commendat. Epiſcopos admonet ne, quum ad infantes conſignandos egrediuntur, ſubjectos ſuos ultra modum gravent.

Gregorius Leoni (*a*), Secundino (*b*), Johanni (*c*), Dono (*d*), Lucido (*e*), Trajano (*f*), epiſcopis Siciliæ.

SIcut nos nobis invicem ſpiritalia per apoſtolorum orationem admonemur impertiri ſuffragia; ita in his quæ neceſſitate injuncti regiminis pro diſpenſatione rerum pauperum, Deo per nos fuerint auctore diſpoſita, ſacerdotalia dignum eſt ſolatia non deeſſe. Latorem ſiquidem præſentium Adrianum (*g*), chartularium noſtrum ad re-

Eod. anno.
Ex cit. lib. 13. Ind. VI. ep. 18. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 22.

(*a*) Scilicet, Catanenſi, ſupra Dipl. CCXII.

(*b*) Nempe, Tauromenitano, ut ex Dipl. CXCIV. & aliis ſane quam multis datur intelligi.

(*c*) Per hæc ferme tempora Sicilia duplicem habuit epiſcopum Johannis nomine, alterum Syracuſanum, alterum Panormitanum. Quem hic memorat S. Gregorius Syracuſanum fuiſſe putamus, quum Panormitanus ex tribus præcedentibus epiſtolis nondum per hæc tempora electus videatur, & tunc forſitan epiſcopatum iniit, quando ei ſanctus pontifex de uſu pallii poteſtatem fecit, infra Dipl. CCLIX.

(*d*) Id eſt, Meſſanenſi, ut plane liquet ex epigraphe Dipl. CXXIII. & aliorum.

(*e*) Nimirum, Leontino, quemadmodum erudit nos inſcriptio Dipl. CCXLVII.

(*f*) Trajanum hunc Melitenſem epiſcopum fuiſſe, lecto Dipl. CLXXXII. nemo ibit inficias.

(*g*) De Adriano chartulario eccleſiæ, & rectore patrimonii S. Petri in ſtatio-

regendum eccleſiæ noſtræ patrimonium, Syracuſarum videlicet partium dirigentes, fraternitati veſtræ neceſſario duximus commendandum; ut in quo uſus exegerit, veſtra ei ſolatia conferatis: quatenus dum & ad agendum per vos corporalibus, & ad facilitatem explendi quæ cœperit, ſpiritualibus orationum fuerit fultus auxiliis, proſpere ea quæ a nobis ei injuncta ſunt, Deo quoque valeat cooperante perficere. Voſmetipſos autem ita ante conſpectum omnipotentis Dei in bonis operibus debetis exhibere, ut inveniri in veſtra actione nequeat quod vel Deo judice percuti, vel quolibet homine inſidiante valeat accuſari. Nam eidem præfato chartulario noſtro injunximus, ut ſi qua de reverendiſſimis fratribus noſtris epiſcopis inordinate acta cognoverit, prius quidem ſecreta ac modeſta adhortatione ipſe corripiat: quæ ſi ita emendata non fuerint, nobis celeriter innoteſcat.

Præterea relatum eſt nobis, ſanctæ memoriæ deceſſoris mei temporibus per Servum-Dei diaconum (*a*), qui jam tunc eccleſiaſtici patrimonii curam geſſit, fuiſſe diſpoſitum ut ſacerdotes (*b*) per diverſas veſtras diœceſes conſtituti, quoties ad conſignandos infantes egredimini, ultra modum gravari minime debuiſſent. Summa enim præfixa fuerat, vobis, ut audio, conſentientibus, quæ ab eiſdem ſacerdotibus pro labore clericorum dari debuiſſet. Atque hoc quod tunc placuit, nunc ſicut dicitur, minime cuſtoditur. Unde fraternitatem veſtram admoneo ut ſubjectis veſtris graves non ſtudeatis exſiſtere: ſed ſi qua ſunt gravamina temperetis; quia nec ab eo quod ſemel definitum eſt, deflectere debuiſtis. Etenim in futura & in præſenti vobis vita proſpicitis, ſi eos qui vobis commiſſi ſunt, ſine gravamine conſervetis.

DI-

---

tione Syracuſana fit quoque mentio in duabus epiſtolis hanc proxime ſequentibus, & nos opportunius agemus infra, Diſſert. vi. Cap. i.

(*a*) De eo in monitis ad Dipl. cviii.

(*b*) Quamvis ſacerdotum nomine epiſcopi paſſim veniant; aſt hoc tamen loco presbyteri intelliguntur, ſive parochi per diœceſes conſtituti; ut ex propoſito probant Monachi Benedictini hic. Ceterum ejuſmodi ſacerdotes per epiſcopos ad conſignandos infantes egredientes, ultra modum aggravari prohibet S. Gregorius. Conſule Diſſert. iv. Cap. iii.

DIPLOMA CCLV.

Epiſtola præfati S. Gregorii papæ I. ad Julianum. Diſſimulatam ab illo ex verecundia inopiam queritur. Conſtructo Catanæ monaſterio dat ſolidos annuos decem.

Gregorius Juliano (*a*).

Gloriæ veſtræ ſcripta ſuſcipiens, legenda lætus aperui: ſed triſtis perlecta replicavi. In eis quippe dicebatur quod pudoris cauſſa fuerit, mihi vos ea quæ dicenda erant tempore longo tacuiſſe. Et certum eſt quia minus amatur qui adhuc erubeſcitur. Atque omnimodo contriſtatus ſum, quia me a vobis comperi minus quam æſtimaverim amari. In hoc autem valde me continetis, ſi mercedis cauſſas mihi aſſidue providendas ſtudioſe requiritis. Nec vobis debet eſſe verecundiæ ei aliquid de eleemoſynis importune dicere, quem conſtat non res ſuas, ſed ad diſpenſandum res pauperum habere. De cauſſis itaque mercedis apud epiſcopum libere agere debuiſtis, etiamſi meum animum qualis in amore veſtro exſiſteret neſciretis. Poſtquam enim & nos omnino gloriam veſtram diligimus, & diſpenſatoris locum in rebus, ſicut ſcitis, pauperum tenemus; veſtra, fateor, verecundia valde accuſabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando inſequor, ut hanc a corde veſtro funditus repellam, & in mercedis cauſſis magnum ſolatium veſtræ proviſionis habeant. Monaſterio itaque veſtro, quod a vobis in Catanenſi urbe conſtructum eſt, per Adrianum (*b*) notarium & rectorem patrimonii emiſſa præcepti pagina decem annuos ſolidos dari deputavimus, quos petimus ſine injuria ſuſcipi: quia non hæc vobis noſtra oblatio, ſed S. Petri apoſtolorum principis benedictio offertur.

An. vi. Ind. 602. & 603.

Ex eod. lib. 13. Ind. vi. ep. 19. alias lib. 11. Ind. vi. ep. 23.

DI-

(*a*) Eumdem eſſe putamus, de quo fit mentio in Dipl. CCLVIII. Ibi: *Filius noſter domnus Julianus*. Porro eum præ verecundia inopiam diſſimulantem compatitur, atque eleemoſynis ex patrimonio eccleſiæ adjuvare feſtinat S. Gregorius. Lege quæ dabimus infra, Diſſert. v. n. 6.

(*b*) De eo in epiſtola proxime exſcripta, & in altera mox exhibenda, necnon in Dipl. CCLVIII.

DIPLOMA CCLVI.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Paſchalem, & Conſolantiam. Datas reſtituendæ pecuniæ inducias prorogat. In adverſis poſitos conſolatur.

Gregorius Paſchali, & Conſolantiæ (*a*).

An. vt. Ind. 602.& 603.

Ex eod.lib.13. Ind. VI. epiſt. 21.alias lib.11. Ind.VI.ep.25.

EPiſtolam magnitudinis veſtræ latore præſentium deferente ſuſcepimus. Et licet tempora reſtituendæ pecuniæ in induciis data defluxerint; petitionem tamen veſtram nullo modo duximus contriſtandam. Adriano (*b*) itaque chartulario noſtro, quem illuc ad regendum eccleſiæ noſtræ patrimonium direximus, de præſenti injunximus quæ vobiſcum exinde loqui debeat; ut nec eccleſiaſtica in aliquo negligatur utilitas, & poſtulatio veſtra ſortiatur effectum. Quia ergo plus de animæ veſtræ ſalute quam de terrenarum rerum utilitate debetis eſſe ſoliciti, ſalutantes paterno affectu, hortamur ut mens onere tribulationis oppreſſa, contra Deum non murmuret; ne poſt amiſſionem rerum, etiam animæ ſequantur diſpendia. Nihil de pravis actibus, nil cum peccato, neceſſitate quaſi faciente, feſtinetis acquirere; ſed ſpem in Redemptoris noſtri miſericordia habentes, qui confidentes, in ſe non deſerit, tolerabiliter quæ pertuliſtis incommoda ſuſtinete. Erigite animos. Tribulatio vires non opprimat. Adverſa ſæculi patientia ſuperet; pompam mundi mens ſecura deſpiciat. Actio veſtra ſe ad ea quæ Dei ſunt occupet. Conſiderantes quam nullum ſit quidquid caſibus ſubjacet, quidquid fine concluditur. Et ut ſe veſtrum ultra quam convenit, non affligat, ſed ſtudeat quatenus in omnipotentis Dei protectione jure confidat: qui & non habita donat, amiſſa reparat, & reparata cuſtodit. Potens eſt enim ſi vos in mandatorum ſuorum via ambulare cognoverit, & ſic illata damna multiplici compenſatione ſarcire, & vitam vobis quæ toto magis adniſu petenda eſt, æternam concedere.

DI-

(*a*) In pluribus M. SS. Codicibus poſt vocem *Conſolantiæ*, additur *Siciliæ*, ut perhibent Monachi Benedictini hic. Et quidem ad Siciliam hocce antiquitatis monumentum pertinere, valde nobis perſuaſum eſt, quum in eo ſiat mentio Adriani chartularii, & rectoris patrimonii eccleſiæ Romanæ, quem in Sicilia revera claruiſſe, dubitare non ſinunt duæ proximæ præcedentes epiſtolæ.

DIPLOMA CCLVII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ ad Johannem Syracuſanum epiſcopum. Coſmam presbyterum ex qualitate loci, ad quem aſſumptus fuerat, afflictum, reſtituat priori loco.

Gregorius Johanni epiſcopo Syracuſano (*a*).

QUorumdam ad nos relatione pervenit, Coſmam, qui exmonacho monaſterii (*b*) ſanctæ Luciæ a deceſſore veſtro venerandæ memoriæ Maximiano (*c*) in eccleſia Syracuſana factus ſubdiaconus atque a vobis poſtea in poſſeſſione, quæ Juliana vocatur, presbyter dicitur ordinatus, ita nimia triſtitia & loci qualitate vehementer afflictum, ut vitam ſibi pœnam exiſtimet, & contritionis ſuæ fuga quærat auxilium. Et ideo quia tales erga ſubjectos noſtros debemus exſiſtere, quales nobis, ſi ſubjecti fuiſſemus, noſtros valueramus eſſe præpoſitos; magnæ beatitudinis eſt, ſi eum in eccleſia ubi ſubdiaconi eſt functus officio, ſanctitas veſtra reducere, atque illic presbyterum voluerit conſtituere cardinalem. Quod & facere quantum arbitramur debetis: ſi tamen nihil eſt quod juſte contra ipſum animos veſtros exaſperet. Si vero aliqua culpa eſt, ſuis nobis hoc epiſtolis fraternitas veſtra ut ſcire poſſimus inſinuet. Data menſe Aprilis, indictione VI.

Anno 603. menſe Apr. Ex cit. lib. 13. Ind. VI. epiſt. 28. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 36.

DIPLOMA CCLVIII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Pantaleonem notarium. Quod ad juſtam menſuram modium quo eccleſiæ coloni frumenta dabant redegerit, laudat. Jubet perceptam ex injuſto modio pecuniam colonis pauperioribus ſecreto diſtribui.

Gregorius Pantaleoni notario (*d*).

EXperientia tua, quod vel quale apud ſacratiſſimum corpus (*e*) beati Petri apoſtoli jusjurandum præbuerit, memor eſt. Unde nos quoque ſecuri, diſcuſſionis tibi cauſſam in patrimonio partis Syracuſanæ commiſimus. Oportet ergo te fidem tuam, & ejuſdem beati Petri apoſtoli timorem ſemper ante oculos habere, atque ita agere,

An. VI. Ind. 602. & 603. Ex cit. lib. 13. Ind. VI. ep. 34. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 41.

(*a*) Ad eum alias numero plures S. Gregorius dedit epiſtolas, in elencho Diplomatum indicatas.

(*b*) Idem monaſterium rurſum memorat S. Gregorius in altera epiſtola ad eumdem Johannem, hic Dipl. CXXXVIII. Conſule præterea admonitiones noſtras in Dipl. LXXIV.

(*c*) De Maximiano egimus ſupra in notis ad Dipl. LXXXI.

(*d*) De eo aptius redibit ſermo infra, Diſſert. VI. Cap. I. & IV.

(*e*) Ex hoc loco plane liquet ritus, quo aliquis ad rectoris officium provehe-

re, ut neque ab hominibus in præſenti vita, neque ab omnipotente Deo in extremo judicio valeas reprehendi. Salerio (*a*) ſiquidem chartulario noſtro narrante, cognovimus quia modium (*b*) quo coloni eccleſiæ frumenta dare compellebantur, viginti quinque ſextariorum inveneris. Quod omnino execrati ſumus, atque eamdem diſcuſſionis cauſſam ne tarde feciſſe doluimus. Quia ergo eumdem modium te fregiſſe, & juſtum feciſſe commemoras, gaviſi ſumus. Sed quia prædictus chartularius ſummam nobis quoque indicare ſtuduit, quæ de fraudibus conductorum apud experientiam tuam jam de duobus territoriis eſt collecta; ſicut te ſtudioſe feciſſe fracto injuſto modo gaudemus, quia in futuro nobis proſpicimus, ita etiam de peccatis prætcritis cogitamus: ne ſi ea quæ fraudulenter conductores a ruſticis abſtulerunt, ad nos perveniunt, peccata quæ ab ipſis perpetrata ſunt, ad nos trahantur. Et ideo volumus cum omni fide, omni puritate, conſiderato timore omnipotentis Dei, reducta ad memoriam diſtrictione beati Petri apoſtoli, per unamquamque maſſam (*c*) colonos pauperes & indigentes experientiam tuam diſcribere, atque ex eis pecuniis, quæ in fraudibus ſunt inventæ, vaccas, oves, porcoſque comparare, & ſingulis colonis pauperibus ea diſtribuere. Quod facere te cum conſilio viri reverendiſſimi domni Johannis epiſcopi (*d*), atque Adriani (*e*) chartularii noſtri, & rectoris volumus. Si autem neceſſe propter conſilium fuerit, etiam filius noſter domnus Julianus (*f*) debet adhiberi, ita ut nullus alius agnoſcat, ſed omnino ſecretum ſit. Vos ergo inter vos pertractate utrum in auro aut certe in pecuniis eiſdem colonis pauperibus dari eadem continentia debeat. Quidquid vero communiter ſteterit, prius deſcriptionem, ſicut dixi, facito, & poſtmodum ſingulis juxta qualitatem ſuæ paupertatis diſtribuere ſtude. Ego enim, ſicut Magiſter gentium teſtatur, habeo omnia, & abundo: nec pecunias, ſed mercedem quæro. Ita ergo age, ut in die judicii de cauſſa mercedis quæ experientiæ tuæ commiſſa eſt, mihi fructum quem feceris, oſtendas. Quod ſi pure, fideliter, & ſtrenue egeris, & hic illud in filiis tuis recipies, & poſtmodum retributionem plenariam in æterni Judicis examine habebis.

Phil. 4. 18.

DI-

vehebatur, accepto nimirum juramento ante corpus S. Petri, ne quid faceret vel omitteret, quod eccleſiæ & pauperum utilitatibus adverſaretur. Confer cum Dipl. LXXVII. pag. 124.

(*a*) Alibi, id eſt Dipl. CLXX. & CCXXVI. ei non chartularii ſed notarii nomen tribuitur: nam chartularios inter & notarios nil interceſſiſſe diſcriminis, oſtendemus infra, Differt. VI. Cap. IV.

(*b*) De modio, quo coloni eccleſiæ frumenta dare conſueverant, egimus in monitis ad Dipl. LXIX. lit. *e*.

(*c*) Quid maſſæ nomine venerit, dicemus infra, Diſſert. V. n. 3.

(*d*) Scilicet, Syracuſanæ civitatis, ubi Pantaleon munus rectoris exercebat.

(*e*) De quo ſupra in Dipl. CCLIV. & in duobus ſequentibus.

(*f*) Cui ipſemet S. Gregorius ſingularem dederat epiſtolam, hic Dipl. CCLV.

DIPLOMA CCLIX.

Epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii Pontif. Max. ad Johannem Panormitanum epiſcopum. Pallii uſum concedit.

Gregorius Johanni epiſcopo Panormitano (*a*).

APoſtolicæ Sedis benevolentia provocati, fraternitati tuæ, quam Panormitanæ eccleſiæ ſpeculatoris conſtat ſuſcepiſſe officium, pallii uſum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, ut alioſque quoque inſulæ Siciliæ ſacerdotes (*b*) vel deceſſores tuos uſos eſſe non ambigis. Illud autem admonemus, ut apoſtolicæ Sedis reverentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi caput (*c*) fidei nulla pulſet injuria, & canonum maneat incolumis atque intemerata ſemper auctoritas: ut ſicut a nobis hujuſcemodi decoris uſum ad ſacerdotalis officii honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum, atque actuum probitate ſuſceptum adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris invicem decore conſpicuus, ſi ad hujuſcemodi corporis habitum, mentis quoque tuæ bona concordent.

An. vi. Ind. 602. & 603.

Ex eod. lib. 13. Ind. vi. ep. 37. alias lib. 11. Ind. vi. ep. 44.

DIPLOMA CCLX.

Epiſtola antedicti S. Gregorii papæ I. ad eumdem Johannem. Quem videre peroptabat, manere in Sicilia, ob navigii periculum.

Gregorius Johanni Panormitano.

AMorem circa nos veſtrum, quem corporali, nobis viſione voluimus exhibere, ſcriptis & operibus aſſidue demonſtratis. Sed quid aliud hæc exhibendo agitis, niſi ut plus quæramus videre, quem docemur amplius amare? Et paullo minus jam etiam murmur accepimus, quia non poſſumus videre quem amamus. Sed adfuit qui

Eod. anno.

Ex cit. lib. 13. Ind. vi. ep. 43. alias lib. 11. Ind. vi. ep. 50.

 mihi

(*a*) Conſule quæ expendimus ſupra in obſervationibus ad Dipl. CCLIII.

(*b*) Johanni Panormitano non ſingulari quadam prærogativa uſus pallii tribuitur; ſed ad exemplar deceſſorum ſuorum, & prout alii Siciliæ epiſcopi gaudebant, quemadmodum teſtatur hic ſanctus pontifex. Et ſane Meſſanenſem, ac Syracuſanum epiſcopos pallii uſum ab eodem S. Gregorio obtinuiſse, dubitare non ſinunt Dipl. CXXIII. & CXXV.

(*c*) Sedem hic apoſtolicam intellige, cui præſidet Romanus pontifex, caput viſibile Eccleſiæ, & S. Petri ſucceſſor.

mihi impoſſibilitatem navigii de veſtra gloria narraret, atque ideo quod amavi retinui, & quod iratus fueram peperci (*a*). Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, & a malis omnibus gratia continua defendat.

DIPLOMA CCLXI.

Epiſtola præfati S. Gregorii magni ad eumdem Johannem. Quæ clericis ſuis juſta petentibus promiſit, exhibeat.

Gregorius Johanni epiſcopo Panormitano.

Anno 603. menſe Aug. Ex eod. lib. 13. Ind. VI. epiſt. 44. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 51.

IMplenda ſunt ſemper poſtulantium deſideria, quoties illa poſcuntur quæ a ratione non deviant. Et ideo quia quædam capitula, quæ ſervaturum te clericis tuis petentibus promiſiſti, noſtra ab eis poſtulamur auctoritate firmare, fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut ea quæ præſentia ſcripta continent, ſine aliqua debeat refragatione ſervare. Primum ut de reditibus eccleſiæ, quartam (*b*) in integro portionem eccleſiæ tuæ clericis ſecundum meritum vel officium, ſive laborem ſuum, ut ipſe unicuique dare proſpexeris, ſine aliqua præbere debeas tarditate. De hoc vero quod ex fidelium oblatione acceſſerit, quartam partem in ſolidis, vel cellario, eis juxta priſtinam conſuetudinem dare non differas. Reliqua autem omnia mobilia in tua (*c*) retineas poteſtate. Immobilia enim eccleſiaſticis reditibus aggregentur, ut multiplicata quantitate clericorum tuorum quarta Deo largiente, proficiant.

Tabularium (*d*) autem una cum conſenſu ſeniorum & cleri memineris ordinandum, qui annis ſingulis ad amputandam fraudis ſuſpicionem ſollemniter ſuas debeat rationes exponere. Vindemiarum autem tempore idem clerus emendi vinum de poſſeſſionibus eccleſiæ tuæ ad juſta pretia, inquantum vendendum eſt, remedium conſequatur. Nam ſatis contra rationem eſt, ut quod poteſt extraneis venundari, clericis dato pretio denegetur. Poſſeſſiones igitur, vel ſi qua ſunt alia eccle-

(*a*) S. Gregorius caritati in proximum ſedulo incumbens, ſicut antea Dipl. LXXII. præceperat ne Meſſanenſis epiſcopus Romam veniret, ita & nunc Panormitanum ejuſmodi iter ob navigii periculum aggredi non patitur.

(*b*) De eccleſiaſticis reditibus in quatuor æque portiones dividendis, deque quarta parte clericis ſpectante egimus ſupra pag. 73.

(*c*) Vel ex hoc tantum loco plane liquet, veritati obſiſtere qui antiquos epiſcopos temporalia prorſus negligere putat: quum ii de temporalibus ſimul & ſpiritalibus cuſtodiendis magnopere fuerint ſoliciti. Conſule Thomaſinum *de Vet. & Nov. Eccl. Diſc.* par. 3. lib. 2. cap. 6. n. 3.

(*d*) Id eſt, diſpenſatorem quartæ partis clericorum, qui iis portiones diſtribuebat juxta ipſorum matriculam, quæ teſte S. Auguſtino ſerm. 356. tabula dicebatur, ut obſervant hic Monachi Benedictini.

cleſiaſtico juri competentia, & ab extraneis indebite detinentur, cum omni ſtudio ſervata civilitate, in jus eccleſiæ tuæ reparare feſtina, ut negligens in aliquo videri non valeas. Si quid igitur de quocumque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juſte poſſit offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita; ſed præſentibus ſenioribus eccleſiæ tuæ diligenter eſt veritas perſcrutanda: & tunc ſi qualitas rei popoſcerit, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis. Hæc itaque omnia ſic ſolicite, ac manſuete ſtudii tui ſit cuſtodire: quatenus nec tu promiſſionis tuæ videaris immemor exſtitiſſe, nec illi contra te juſtam occaſionem invenire valeant murmurandi. Datum menſe Auguſti, indictione VI.

DIPLOMA CCLXII.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad Paulum ſcholaſticum. Gratulatur tum de illius cum Leone epiſcopo reconciliatione, tum de zelo in maleficos.

Gregorius Paulo ſcholaſtico Siciliæ (*a*).

QUanto nos gloria veſtra triſtes dudum effecerat, propter quod ſe adverſus reverendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Leonem (*b*) querelas habere aliquas perhibebat; tanto eodem fratre noſtro ad nos modo veniente, cor noſtrum gaviſum eſt: quia in priſtinam vos concordiam, Deo propitio ad invicem rediiſſe teſtatus eſt. Quia etiam inter alia bona, quæ in veſtris laudibus referebat, adjecit omnino vos in ultione maleficorum (*c*) ſolicitos ac diſtrictos, ſicut revera nobiles & Chriſtianos oportuit, exſtitiſſe. Unde valde in nobis lætitia quam de vobis ſumpſeramus, excrevit: quia illum vobis per hoc placabilem redditis, contra cujus inimicos zeli veſtri rectitudinem exercetis. Præterea gloriam veſtram paterna dulcedine ſalutantes, hortamur ut quia ſatis eſt moribus veſtris accommodum pacem diligere, raparatam inter vos gratiam nullius lingua perturbet: ſed ſic in vobis erga paternum amorem caritas ardeat, ut eam adverſi flatus more flammæ non extinguant, ſed augeant. Nam & eumdem antedictum fratrem noſtrum hortati ſumus, ut ita paternam vobis dilectionem impendat: quatenus reciprocum gloriæ veſtræ affectum, non otioſe, ſed velut mutuum tamquam fœnerator ſemper poſſit exigere.

An.VII.Ind. 603. & 604.
S.Greg.lib.14. Ind.VII. epiſt. I. alias lib. II.Ind.VI. ep. 58.

(*a*) Confer cum inſcriptione Dipl. LXII.
(*b*) Nempe Catanenſem, cujus meminimus in notis ad Dipl. CCLIV.
(*c*) Maleficos tunc temporis in Sicilia fuiſſe, diſcimus ulterius ex Dipl. CXVIII. & CCXXX. necnon ex Baronio *Annal. Eccl.* ad annum 604. cap. 12.

DIPLOMA CCLXIII.

Epiſtola antedicti S. Gregorii PP. ad Johannem Panormitanum epiſcopum. Poſitam Romæ domum cum Epiphanio Romanæ eccleſiæ diacono permutare concedit.

Gregorius Johanni epiſcopo Panormitano (*a*).

An. vii. Ind. 603. & 604.

Ex eod. lib. 14. Ind. VII. epiſt. 3. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 60.

SIcut rationi contraria procul eſt abjicienda petitio; ita in his quæ bene deſiderantur effectum negare non convenit. Quia igitur, ut fraternitatis tuæ petitio, quæ tenetur in ſubditis, continet, in qua tecum una presbyteri, & diaconi, ceteraque eccleſiaſtica officia ſubſcribentes (*b*) præbuere conſenſum, domum cum horto, & balneo ſuo, atque omnibus ad eam pertinentibus, in hac urbe Roma poſitam, quæ ad jus Panormitanæ eccleſiæ ex hereditate quondam Flori viri magnifici perveniſſe dignoſcitur, cum dilectiſſimo filio noſtro Epiphanio diacono permutare deſideras: propter hoc quod domus ipſa, ita parte detecta, parte diruta, parte igne probatur eſſe conſumpta, ut nihil exinde commodi, ſicut teſtaris ante multos jam annos tunc uſque eccleſiaſticis utilitatibus potuiſſet accedere, atque hac in re noſtra tibi dari poſtulas auctoritate licentiam; proviſionis tuæ intentionem diligentius intuentes, poſtquam & nobis cognitum eſt domum ipſam in eo eſſe ſtatu quo aſſeris, atque ita minante ruina quotidie deteriorem fieri, ut non ſolum eccleſiæ tuæ non utilis, ſed potius ſubinde damnoſa poſſe videatur exſiſtere: iccirco permutandi tibi eam cum balneo, & horto ſuo, omnibuſque generaliter ad eam pertinentibus, juxta petitionem tuam, quam veritatis & rationis apud nos ordo ſuffulcit, hujus auctoritatis noſtræ ſerie liberam per omnia concedimus facultatem: quatenus hujuſmodi accepta licentia, nec te culpa de temeritate, vel in cautela reſpiciat, nec ille aliquid dubietatis incurrat. Nam providum ſalubreque eſt aliquid compendii procurare, unde nulla ſpes eſt lucri, ſed magis damni formido.

DI-

(*a*) De eo egimus in monitis ad Dipl. CCLIII.

(*b*) Spectabilis eſt locus iſte, quo nobis innoteſcit, qualis fuerit eccleſiæ Siculæ diſciplina in rebus eccleſiæ alienandis. Porro alienare nil poterat epiſcopus, niſi conſentiente & ſubſcribente clero, ac inde confirmante Romano pontifice, qui erat Siciliæ immediatus metropolita. Ceterum diſciplina hæc de rebus eccleſiæ non alienandis quando & quo auctore inceperit, erudite ſatis atque diſerte tractant, Gonzalez Tellez Comment. in Decret. Gregorii IX. lib. 3. tit. 10. Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* tom. 3. lib. 2. cap. 51. n. 4. Van-Eſpen *Jus Eccl. Univer.* par. 2. tit. 36. cap. 3.

DIPLOMA CCLXIV.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I ad Fantinum defenſorem Panormitanum. Exhilarati epiſcopi actibus invigilet: tum ut ille clero ſuo caritatem, tum ut obedientiam illi clerus exhibeat.

Gregorius Fantino defenſori Panormitano (*a*).

TAlia ad nos de fratre & coepiſcopo noſtro Exhilarato (*b*), ſicut & ipſe noſti, pervenerunt, quæ diſtricta omnino eſſent ultione plectenda: ſed quoniam bis eam reverendiſſimus frater & coepiſcopus noſter Leo (*c*), qui etiam in cauſſa ipſius judicem ſe fuiſſe teſtatus eſt, levigavit, ad eccleſiam ſuam illum retransmittendum eſſe prævidimus, judicantes ſufficere illi hoc quod eum hic diutius retinentes afflíximus. Itaque experientiæ tuæ præcipimus, ut erga mores actuſque illius curam habeat, atque eum frequenter admoneat; quatenus ſe ad impendendam clericis ſuis caritatem benignum, & ſi res exegerit, ad corrigendas culpas debeat ſe exhibere ſolicitum. Sed & clerum ejus admonere te volumus, ut humilitatem illi, ac obedientiam quam Dominus mandat, exhibeat, nec in aliquo illi ſuperbus præſumat exſiſtere. Quod ſi quis eorum, id eſt ſive epiſcopus, ſive clericus, admonitionem tuam neglexerit, ex hac noſtra auctoritate canonica coerctione inobedientiæ culpam aut tu, ſicut prævideris, corrige, aut nobis renuntiare feſtina · ut diſponere valeamus qualiter diſciplinæ frenum extra iter ſuum eos pergere non permittat, quos ad exceſſum aculeus pravæ mentis irritat.

Eod. anno.

Ex cit. lib. 14. Ind. VII. ep. 4. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 61.

DI-

(*a*) Confer cum inſcriptione Dipl. CLXX. & cum aliis ſane quam multis.

(*b*) Is non Siciliæ, ſed alterius provinciæ epiſcopus erat, hic ad pœnitentiam deputatus, ut ex contextu epiſtolæ plane liquet.

(*c*) Catanenſem intellige, de quo ſupra, Dipl. CXLIII.

DIPLOMA CCLXV.

Epiſtola antedicti S. Gregorii magni ad Johannem Panormitanum epiſcopum. Cauſſam Petri cum Fantino defenſore perquirat diligenter, faciatque judicium.

Gregorius Johanni epiſcopo Panormitano (*a*).

An. VII. Ind. 603. & 604.

Ex eod. lib. 14. Ind. VII. epiſt. 5. alias lib. 11. Ind. VI. ep. 62.

QUia ſunt culpæ in quibus culpa eſt relaxare vindictam, quærenda ſemper eſt veritas: ut inquiri debeat utrum accuſatum noxa condemnet, an a pœna innocentia patefacta ſubducat. Itaque pervenit ad nos Fantinum defenſorem (*b*) ultionem exercere in Petrum latorem præſentium voluiſſe, pro eo quod quantum dicitur, relictam (*c*) cujuſdam diaconi, tempore quo conductor fuerat, marito tradiderit. Sed quoniam iſte conjugem diaconi aſſerit non fuiſſe, dicens nec virginem illam ad eum veniſſe, denique ut nec religioſam mutare veſtem præſumeret, poſt quam ille in ordine ſacro promotus eſt: adjiciens etiam priuſquam ad diaconatum perveniret, & poſtea, prava illam opinione vixiſſe: ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut cum Dei, ſicut decet, timore, cauſſam hanc ſubtili omnino inveſtigatione perquirat; & ſi ita in conjugio diaconi mulier fuiſſe conſtiterit, & ſupraſcriptus lator memorato defenſori & rectori patrimonii ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione ii, qui male ſociati ſunt, disjungantur. Si vero in ejus conjugio non fuit, memoratum Fantinum ex noſtro mandato commonere te volumus, ut eis facere nil præſumat, nec falſa illum accuſatio apud eum in aliquo prægravet. Quia vero res ſuas antedictus Petrus apud eccleſiæ colonos perhibet retineri, volumus ut ſine cujuſquam impedimento eas habeat, ſi tamen ita eſt exigendi licentia. Nam & ſi inventus fuerit eſſe culpabilis, non res ſuas amittere, ſed in ſe debet dignam ultionem ſuſcipere.

DI-

(*a*) De eo egimus jam in monitis ad Dipl. CCLIII.

(*b*) Scilicet Panormitanum, cui inſcripta eſt præcedens epiſtola.

(*c*) Vel ex hoc loco eruitur antiqua illa diſciplina, qua clericorum viduæ aliis nubere nequibant. Confer cum Dipl. CVIII.

DIPLOMA CCLXVI.

Epiſtola ejuſdem S. Gregorii papæ I. ad eumdem Johannem Panormitanum epiſcopum. Baſilicæ conſecrandæ dat facultatem.

Gregorius Johanni epiſcopo Panormitano.

BAſilicam (*a*) quam a dilectione tua in honorem beatæ ſemperque virginis Mariæ per Savinum (*b*) ſubdiaconum noſtrum, & rectorem patrimonii, ſuggeris eſſe perfectam, conſecrandi tibi præceptionis noſtræ ſerie noveris facultatem attributam; quatenus, frater cariſſime, devotionis tuæ deſiderium complens, celebritatis perfectione gratuleris (*c*). Data menſe Decembri, indictione VII.

Anno 603. menſe Dec.

Ex cit. lib. 14. Ind. VII. ep. 9. alias lib. 12. Ind. VII. ep. 4.

DIPLOMA CCLXVII.

Epiſtola Johannis papæ IV. ad Iſaac Syracuſanum epiſcopum. Ut monachis ſuarum eccleſiarum ſacerdotes inſtituere liceat.

Johannes papa Iſaac Syracuſano epiſcopo (*d*).

VIſis litteris caritatis veſtræ, quibus ſatis perpenditur quanto ſtudio huic ſanctæ Sedi reverentiam exhibetis, non modice gaviſi ſumus. Nunc itaque ſuper ea quæ conſuluiſtis, ut cariſſimo fratri, benigne conſilium damus. Delegavit enim nobis pia manſuetudo veſtra, utrum eccleſiæ pro quiete monachorum a ſanctis catholiciſque epiſcopis eis traditæ per ſacerdotes ab eis ordinandos & inveſtitos debeant inſtitui. Addidit quoque fraternitas tua litem & ſeditionem inter

Anno 640. circiter.

Labbe tom. 6. Cōc. col. 1525.

(*a*) Hanc baſilicam princeps illud templum fuiſſe dicunt, quod Gualterius archiepiſcopus, conſtructa elegantiore ac magnificentiore eccleſia, diruit: ejuſque ſacellum fuiſſe putant Ædiculam Deiparæ *Incoronatæ*, ex regum coronatione in ea poſtea fieri ſolita ſic appellatam. Vide, ſis, Pyrrhum *Not. Eccl. Panor.* Mongitorium *Palermo divoto di Maria*. Amatum *de principe Templo Panor.*

(*b*) Eumdem eſſe putamus, ac Sabinum ſubdiaconum, cujus fit mentio in epigraphe Dipl. CLXXIV.

(*c*) Deſunt clauſulæ in hiſce facultatibus conſecrandi eccleſias apponi ſolitæ, ſcilicet ut nullum corpus ibidem conſtet humatum, & ut legitima prius & ſecura dos conſtituatur. Conſule Dipl. LXXX. CLXXVIII. & CCIX.

(*d*) Rocchus Pyrrhus rerum eccleſiaſticarum Siciliæ indagator diligentiſſimus, epiſcoporum Syracuſanorum catalogum texens, Iſaac hunc non memoravit. Levis culpa, & benigna excuſatione digna: nam merentur qui præſtruunt hanc veniam, ut menti ſuæ aliquid excidat. Ceterum epi-

inter clericos & monachos ex hac cauſſa non modicam eſſe ortam, quod inſtigatione verſuti hoſtis eſſe factum nemo ambigat, habet enim mille nocendi modos, nec ignoramus aſtutias ejus. Conatur namque a principio ruinæ ſuæ unitatem eccleſiæ reſcindere, caritatem vulnerare, ſanctorum operum dulcedinem felle invidiæ inficere. Dolet enim ſatis & erubeſcit, caritatem, quam in cælo nequivit habere, homines conſtantes ex lutea materia in terra tenere. Unde oportet, quantum fragilitati noſtræ conceditur, ut omnis aditus nocendi ejus verſutiæ diligentiſſime muniamus, ne mors ingrediatur portas noſtras. Conſilio itaque multorum fratrum diligentiſſime exquiſito, decrevimus, ut amodo eccleſiæ monachis traditæ per ſuos ſacerdotes inſtituantur. Divinæ enim leges habent, & ſæculares, ut cujus eſt poſſeſſio, ejus fiat inſtitutio (*a*). Et ſi in dando quod majus eſt, facilius fuit caritas, ſit facilior in concedendo, quod minus eſt, ſancta largitas. Majus enim fuit poſſeſſionem dare, quam ſit veſtituram concedere. Quomodo autem poſſeſſoris jura cognoſcentur, & ſuorum ſibi tributa reddentur, ubi quod ſuum eſt per alterum datur, & quum voluerit aufertur? Humani moris eſt illum vereri, cujus judicio & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur. Unde fit ut qui in parte ſunt epiſcopis ad ſerviendum proclivior ſacerdos fiat; & ſic epiſcopus qui ſancte & religioſe dederat, quadam ſimulata auctoritate ad ſe retrahat. Sic itaque privatur mercede, quam conſecuturus fuerat: tum quia ficta caritate aufert quod dederat, tum quia pravorum ſacerdotum diſcordias, & ſciſſuras amantium, lites & diſſenſiones inter epiſcopos ſeminantium verbis nimis factus credulus quod prius fucate moliebatur lucrari, poſt detecta fraude conatur quadam uſurpatione ex toto auferre. Quorum advertentes calliditatem & hoſtis verſuti ſuaſiones, deinceps omnino licentiam monachis damus ſuarum eccleſiarum inveſtitores fieri: ita tamen ut judicio ſynodi, ſi contra ſacerdotium agere præſumpſerint, mulctentur, & felici mucrone epiſcopi ſacerdotum piacula reſecentur.

DI-

epiſtolam hanc laudat & commentatur Ludovicus Thomaſinus *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 2. lib. I. cap. 30. n. 7. quem conſule; & præterea vide ſupra, Dipl. CXXXI. CLXXIX. & CCXLVII. necnon & Diſſertationem III. ad calcem Voluminis edendam: *De monachiſmo Siciliæ per decem priora ſæcula*. Cap. II.

(*a*) Spectabilis locus ad argumentum patronatus ſeu præſentationis illuſtrandum.

DIPLOMA CCLXVIII.

Epiſtola S. Maximi martyris ad ſanctos patres, præpoſitos, atque monachos, necnon catholicos populos regni Siciliæ. Se illis catholicæ doctrinæ cultorem longa defenſione oſtendere conatur.

Sanctis patribus, præpoſitis, atque monachis, necnon catholicis populis, Chriſti amantem hanc (*a*) Siciliæ inſulam incolentibus, Maximus humilis atque peccator indignus ſervus.

P*Ax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*, ait ad Deum Dei parens David *; inde cunctis ſalutis deſiderio incenſis declarans ac vero denuntians, ut ſupremi natura appetibilis diviniſſimæ dilectioni, omni conatu animum attendentes, per eam ingenti gaudio tum ſecum ipſi, tum cum omnibus, quoad ejus licet, pacis bonum indiſſolubili conſertum nexu perſequantur; quidquid in omnibus ſcandali eſt, pia aliorum in alios ſummaque animorum concordia auferentes. Quamobrem etiam mihi ſervo veſtro in hoc enixe incubuit opera, ut quod prius lingua aſſerueram, id vero libens ſcripto conſignarem, ad ſanctitatis veſtræ de mea fide ſecuritatem, certamque ejus faciendam fidem, quidquid vobis de mea parvitate ex aliorum fraude ſuſpicionis injectum erat, inſtituta defenſione amoliens: *Neque enim ferre poſſum*, quemadmodum ait Gregorius Theologus, *in me offendi aliquos, qui res noſtras, tam recte, quam ſecus ſe habeant, ſedulo explorant. Pulchrum enim eſt, nec peccando, nec labo-*

Anno 650. circiter.

S.Maxim. t.2. pag.58.

* Pſ.118.161.

Orat.1.p.2.

Fugiendum ſcandalum.

Tom. I. Pp *rando*

(*a*) Græcum habet, τὴν δὲ τῶν Σικελῶν, quæ verba, ut erudite obſervat doctiſſimus interpres Franciſcus Combefis *in Not. ad hanc Epiſt.* pag. 700. n. 47. videntur *indicare ſcriptam epiſtolam in ipſa Siciliæ inſula, quum jam illud diverticulum ſibi Monothelitæ quæſiiſſent, ut & unam & duas in Chriſto operationes ponerent*. Et non immerito voluit Maximus hanc ſinceræ fidei teſſeram exhibere Siculis, utpote qui de ejus fide dubitarent, ſumpto argumento, ut ex contextu Scripturæ liquet, tum ex ea quæ ſub ejus nomine circumferebatur epiſtola non ſatis catholica ad Marinum ſcripta, tum ex altera ad Pyrrhum, ubi virum etherodoxum honore ſimul & laude proſequebatur; de quibus mox ſumus dicturi: ea propter S. Maximus in Siciliam veniens, per ſcripturam hanc ab oppoſita ſibi hæreſi pleniſſime ſe purgare neceſſe habuit. Quod & ipſe de ſe manifeſte teſtatur ſub initio epiſtolæ, ita majores noſtros alloquens: *Quamobrem etiam mihi ſervo veſtro in hoc enixe incubuit opera, ut quod prius lingua aſſeveram, id vero libens ſcripto conſignarem, ad ſanctitatis veſtræ de mea fide ſecuritatem, certamque ejus faciendam fidem, quidquid vobis de mea parvitate ex aliorum fraude ſuſpicionis injectum erat, inſtituta defenſione amoliens*. Et rurſum in fine: *Habetis, patres ſancti, qua ratione per meam defenſionem mei ſecuros vos reddiderim*.

rando ſuſpicione, quoad fieri poſſit, ac ferat ratio, offendiculum aut ſcandalum vulgo ponere: quippe quum non ignoremus, quam certa, quamque atrox & acerba iis pœna conſtituta ſit, qui unum ex puſillis ſcandalizaverint, ab eo qui mentiri neſcit.

Matth. 18. 6.

Nova Monothelitarum opinio unius ac duplicis voluntatis & operationis.

Notum itaque ſanctiſſimis vobis facio ac denuntio, mihi numquam, ut per calumniam adverſarii affingunt, æquipollentium ac contrariorum dogmatum opinionem, in mentem veniſſe. Non enim unam ſimul, duaſque, id eſt, tres, ut illi opinantur, voluntates atque operationes in uno eodemque confeſſus ſum, aut prorſus ſcripſi. Alterum enim altero evertitur; nec ex naturalibus rationibus firmum aliquid habet; ut taceam id quod ita ſentiunt, nullis veritatis teſtibus, nulla ſcilicet ſanctorum patrum auctoritate, fulciri. Nam ſi una, quomodo etiam duæ? Sin autem duæ, quomodo etiam una? ac quænam hæc? quæve nuncupata? Quo quum etiam ex ejus ratione Verbum incarnatum ejuſdem operationis: hoc eſt, ejuſdem eſſentiæ ac naturæ eſt?

Si enim dicant, cum Patre, duplicem inde divinam introducunt operationem; ſiquidem non iccirco tertiam illam, quam finxerunt, ſtatuunt operationem, ut ejuſdem naturales operationes, divinam ſcilicet atque humanam, aboleant. Si enim non ut aboleant, ac quod ſublatas velint, patet confiteri eos duas ejuſdem divinas operationes, naturalem, ac perſonalem. Si vero duas, plane diſtinctas: ex quo rurſus ſequitur eos plures Deos ſentire, quippe quum diverſa atque diſtincta, non eadem natura intelligatur, divina in Patre, Filioque operatio. Nec plures ſolummodo Deos opinari, ſed jam ne ullum quidem, ut qui nulla Filium divina præditum voluntate aſſerant; quippe quum naturam atque perſonam, cum utriuſque proprietatibus miſceant, idemque ſentire noſcantur cum Sabellio; ſic nimirum Filium deſcribentes, ut amborum ratione, tum ſcilicet naturæ, tum perſonæ, cum Patre communicet; quod ab eccleſiæ ſenſu alienum eſt: ut taceam, fore & Patrem natura patibilem, ac incarnatum, id eſt, factum hominem, pari illa cum FIlio miraculorum paſſionumque operatione; ſiquidem exceptis miraculis, & paſſionibus, nihil aliud Filium operari ajunt, per illam ſic ab eis, uti dicebam, confictam tertiam operationem; quam etiam, præter naturalem divinam, communem cum Patre unigenitum Verbum habere affirmant.

Quod ſi his in anguſtum compulſi, ſtatuunt Filium hujus vi tertiæ operationis, haud quidem cum æterno Patre communicare, ſecus vero cum intemerata Matre; duas hic quoque creatas, id eſt, humanas, illi tribuunt operationes, naturalem rurſus & perſonalem, utriuſque nimirum ratione alienum eum a Deo & Patre ſtatuentes; inque Arii diſſectionem manibus pedibuſque euntes, per Unigeniti utraque operatione perfectam a Patre, eorum ſententia, diſſociationem. Quin nos quoque miraculorum effectores, non vero ſolum natura patibiles, aſſerunt; ſiquidem penes tertiam illius invectam operationem, vel, ut ipſi lubentes vocant, quæ ſit totius, id eſt, perſonæ operatio, ajunt conſtare Chriſto nobiſcum affinitatem; ſecundum

dum quam voluntarie non ſolum paſſionem eum ſenſum admittere ac periculum, haud immerito agnoſcunt, verum etiam miraculorum exhibere potentiam, quod plane impoſſibile eſt. Non enim fieri poteſt, ut una eademque operatio, ſive voluntas, aut omnino natura, ſimul & ſemel divina ſit atque humana, aut creata & increata, vel principii expers ac cœpta, aut compoſita & compoſitione vacans; ut eadem ipſa unaque Filius cum ambobus, Patre ſcilicet & Matre, naturalem, ac invariabilem affinitatem retineat, aut per eamdem utraque operetur, tum quæ natura divina ſunt, tum quæ humana. Hoc namque nec iis qui hircocervos fingunt, umquam in animum venerit.

Sin autem fieri non poteſt, ut una eademque operatio vel voluntas, aut natura, divina ſimul natura ſit & humana, vel ut Filius ſecundum unam eamdemque operationem cum ambobus, Patre ſcilicet ac Matre, communionem habeat, aut utraque operetur divina pariter atque humana; quin potius pro cujuſque apte ratione, uti dictum eſt; divina quidem, divina; humana autem, humana, cum alterius tamen communione ac cohæſione; ſed non diviſe. Ergo etiam nulla vel nomine, ut quæ nec vere ſit, tertia illorum operatio eſt, quam divina nulla auctoritas ac Scriptura, nemoque prorſus patrum ſtatuat.

Quid vero, inquiunt, toti præbebimus, niſi unam illi ut uni unionis cauſſa operationem tribuamus? Verum ignorant id ipſum, quod loquuntur, qui hæc enuntiant. Exiſtimantes enim aliud quid eſſe totum præter ejus proprias partes, ex quibus, & in quibus conſiſtit; non velut id certa ratione probent, ſed quaſi ipſi pro arbitrio ſententiam ferant, neceſſe affirmant, ut & aliud quid præter id, quod partibus natura ineſt, toti ut totum eſt, una ſcilicet operatio, adjungatur. Oſtendant igitur prius, aliam totum exſiſtentiam habere, ac ſubſtantiam, quam quæ ſuarum eſt partium; ſicque ei ut toti, præter eſſentiales operationes, quæ partibus inſunt, aliam rurſus operationem tribuant. Sin autem non aliam naturalem exſiſtentiam ac ſubſtantiam tribuunt, nec utique naturalem aliam operationem, quam quæ partium ſunt, toti aſcribant. Quum enim Chriſtus utrumque ſit per naturam (idem enim Deus eſt, & homo natura) quæ utriuſque naturæ propria ſunt, hæc habet; tum nempe divinam voluntatem, ac operationem, tum & humanam itidem; at non unam dumtaxat, qua naturalis duplex operatio perimatur; aut aliam præter duas naturales, quo tres ejus operationes, ac voluntates exſiſtant.

Quemadmodum igitur utramque eſſentiam, ſic & eſſentialem voluntatem ac operationem, uni eidemque Chriſto natura tribuimus. Quamquam enim ejus partium diſtinctionem conſiderantes, ejus divinitati divina, atque ejus humanitati humana convenienter aſcribimus; ob unionem tamen, quæ ſunt propria utriuſque naturæ, utrique viciſſim ac reciproca commutatione adjungimus. Ex quo eſt, ut & Deum patibilem adverſus peccatum dicamus, & carnem *aſſumptam unctam deitate, idque effectam, quod id a quo uncta eſt; auſimque dicere, æque Deum* (ὁμόθεον), ut Gregorius Theologus loquitur; *nec divina divine operatum*; per carnem enim anima intelligente prædi- tam,

Orat. 42. pag. 685.

Ep. ad Cajum 4. Dionyſ.

tam, eique perſonaliter unitam; non nuda deitate, ut prius: *Nec humana more hominis*; quippe infinitæ virtutis licentia, non ulli neceſſitati obnoxium. Non enim velut in nobis, quod Verbum aſſumpta carne paſſione defungebatur, pœnæ ſolutio erat, ſed quam noſtri cauſſa exinanitionem elegerat. Eidem tamen ut toti, unique ac ſoli Chriſto natura quæ ſunt naturarum, ex quibus exſiſtit, univerſa tribuimus, uno dumtaxat excepto peccato: quo fit, ut patibilem eumdem & non patibilem, increatum & creatum, circumſcriptum & incircumſcriptum, terrenum & cæleſtem, aſpectabilem & qui mente intelligatur, qui capiatur & a nullo quod natura eſt, capi poſſit, confitemur. Sin autem rurſus his circumſcripti atque exploſi, effectum duarum ejus naturalium operationum, quæ ſcilicet Salvator Deus in homines divina ſigna ederet; ut eſt reſurrectio, vel aſſumptio, vel leproſi mundatio, ſive aliud quid ejuſmodi portentorum patrabat, unam eamdemque operationem eſſe dicant, ne ſic quidem bonæ ſpeciem rationis habet, quod dicunt. Non enim unum Salvatoris divinum ſignum, ſed & plura & infinita ſcimus,
Johan. 21. 25. de quibus ait ſummus ille theologus Johannes: *Si ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere libros, qui ſcribendi ſunt.*

Præterea, ſi ex iis quæ extra fiunt, nec in alio quopiam (nedum in ipſo, qui eſt ſemper omnia, Dei Verbo noſtri cauſſa incarnato) eſſentialem prorſus rei ſubſtantiam novimus, ſed ex naturalibus in ipſo exſiſtentibus ac inſignientibus proprietatibus (perindeque dicas, naturalibus voluntatibus, & operationibus) agnoſcimus: alioqui ſane etiam fabrum definiant, animal lignarium, non vero rationale neque morale, cujus naturam ex ſede puta aut ſcabello declarent, non ex proprietatibus ad eſſentiam ſpectantibus ac eam conſtituentibus; quod vel cogitare, inſcitia eſt. Unde natura Deum, eumdemque vere ac proprie hominem, non aliunde quam ex proprietatibus natura inſitis, quibus divina ſimul humanaque ratione inſigniatur (tum ſcilicet ex divina, ut dixi, voluntate & operatione, tum ex humana ejuſdem voluntate & operatione) dignoſcimus; quibus, ac per quas, quod erat factuſque eſt, obſignat; edens ſponte miracula, ut Deus humanaque majore poteſtate; idemque ſponte patiens, ut homo, noſtri cauſſa: velut nimirum qui non aliud quid, præter ea ex quibus & in quibus ac quæ exſiſtit, eſſe noſcatur, ceu fere quid ſpurium mediumque (id eſt, tertium quid ac anceps mulorum inſtar) effectus, ut hæreticorum vana loquentium fabuloſa loquacitas, a ſanctorum patrum pia prædicatione devia, monſtroſe comminiſcitur; ſed illa ipſa revera proprie exſiſtat, ex quibus & in quibus revera proprie eſt. Ex deitate enim & humanitate, atque in deitate & humanitate natura exſiſtens, Deus natura & homo, nec prorſus quidquam aliud, Chriſtus eſt.

Et quomodo, inquiunt, ſapientiſſimus Cyrillus medium quemdam ordinem vocum in Chriſto ſe ſentire profitetur, in hæc verba ad
Epiſt. ad Acat. p. 117. Acatium ſcribens: *Inter voces, quæ Chriſto tribuuntur, quænam divinitati potiſſimum conveniunt; aliæ autem magis ad humanitatem pertinent; aliæ denique quaſi medium quemdam ordinem obtinent.* Quid vero hoc umquam, quo ſuam tueantur opinionem, illis contulerit?

Non

Non enim ex mutatione, aut repudio ac amiſſione extremorum Chriſti (ſcilicet deitatis, ac humanitatis, ſive divinæ ejus, atque humanæ voluntatis, ac operationis) aliud quid medium, ſive interjectum effectum, cum neutra partium, ex quibus eſt, communicantem; aut qui rurſus in eorum ſententia, operatio quædam compoſita ſit, vel ea præditus; quibus ſic loquitur, nobis tradit Cyrillus; ſed eſſe eum vere, ea, ex quibus eſt; haud tamen ea ſeorſim diviſiſque partibus vocari, ſed ſimul utraque, ut qui unus Chriſtus ac ſingularis ſit. Teſtatur hæc ipſe, quum Orientales epiſcopos defendens, in hæc verba ad Acatium ſcribit: *At vero Antiocheni fratres, quæ quidem inter ſe unita ſunt, nullo pacto diſtrahunt: ſed ſolas voces, quæ de Chriſto dicuntur, ſecernendas contendunt; atque alias quidem ejus divinitati, alias vero ejus rurſus humanitati congruere. Idem enim Deus & homo eſt. Addunt nihilominus, quaſdam eſſe quodammodo communes, & velut ad utramque naturam ſpectantes, divinitatem ſcilicet & humanitatem. Quod dico, ejuſmodi eſt. Inter voces, quæ Chriſto tribuuntur, quænam divinitati potiſſimum conveniunt; aliæ autem magis ad humanitatem pertinent: aliæ denique quaſi mediæ ſunt, quæ Filium Dei, Deum & hominem ſimul eſſe declarant*. Oſtendit igitur nobis ille eſſe mediam claſſem vocum, non quæ ſignificent eſſe Chriſtum aliud quid, præter illa, ex quibus, & in quibus, ac quæ eſt, ut quidam opinati ſunt; ſed quæ eumdem Deum eſſe atque hominem natura oſtendant. Hiſque probandis, divinas affert Scripturas, ita loquentes: *Etenim quum Philippo dicit: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſti me, Philippe? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Qui vidit me, vidit & Patrem. Et: Ego, & Pater unum ſumus: vocem divinitati maxime convenientem proferre affirmamus. Quum vero Judæorum turbas increpans, ait: Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ utique faceretis. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus ſum vobis. Hoc Abraham non fecit: ejuſmodi exponere dicimus, quæ homini proprie competunt. Verumtamen hoc ita accipiendum eſt, ut & illæ quæ divinitati conveniunt, & illæ rurſus quæ ad humanitatem pertinent, uni tantum Filio aſcribantur. Medias autem voces illas eſſe aſſeveramus, ut quum beatus Paulus ſcribit: Jeſus Chriſtus heri, & hodie, idem & in ſæcula. Et rurſus: Unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ex ipſo: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Ac rurſus: Quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen. En enim, en, nominato Chriſto Jeſu, eumdem illum heri, & hodie eſſe dicit, & in ſæcula; ac per illum facta eſſe omnia. Illum quoque qui ex Judæis ſecundum carnem, Deum ſuper omnia appellat; quin & in ſæcula benedictum, Amen, dicit: Ne in his igitur, quæ de Domino dicuntur, voces diviſeris, ſimul enim complectuntur, & quod Deo convenit, & quod homini. Quin potius illas tamquam uni, Filio tribue, nempe Deo Verbo incarnato*. His verbis Spiritus, docuit nos doctor, ipſas quoque medias voces nihil penitus aliud in Chriſto ſigni-

Ead. epiſt.
Johan. 14. 9.
Johan. 10. 30.
Johan. 8. 39.
Hæbr. 13. 8.
1. Cor. 8. 6.
Rom. 9. 5.

ſignificare, quam quod Deum ſimul atque hominem deceat: unde & illi has indiviſe tribuendas jubet, ut qui Deus idem & homo, nec aliud prorſus quidquam, uti dicebam, exſiſtat.

Atqui ipſe quoque unam, inquiunt, in Chriſto confitetur operationem. Sic enim ait, Johannem evangeliſtam exponens: *Ac ſane, quum Archiſynagogi puellam excitavit, dicens: Puella, ſurge; tenuit manum ejus, ſicut ſcriptum eſt: vitam quidem reddens juſſu omnium opifice, tamquam Deus; ac rurſus reddens vitam, etiam tactu propriæ carnis, unam atque affinem amborum munere operationem edens*. Verum hoc quoque ſane apertam nimis habet doctoris ſententiam; haud ſcilicet unam ipſum, ambarum, ex quibus unus ac ſingularis Chriſtus, ſubſtantiarum, ut quidam putaverint, ſtatuere operationem; ſiquidem ad Hermiam pronunciat, dicens: *Operabuntur enim ſimiliter, quæ eamdem ſecum naturam ſortita ſunt. Quibus autem ejus quod eſt eſſe ratio diverſa eſt, his nec ratio operationis in omnibus eadem futura eſt. Quæ enim ſunt ejuſdem operationis, certum eſt eſſe ejuſdem ſubſtantiæ*. Alterum igitur duorum neceſſarium eſt, aut ſecum pugnantem inducamus doctorem; aut eamdem in Chriſto reddentem naturam, ut etiam eamdem operationem; nec diverſas eum naturas tradere, quæ in unum idemque coiverint, una illa ac invariabili operatione: *Quæ enim ſunt ejuſdem operationis, certum eſt, inquit, ejuſdem etiam eſſe ſubſtantiæ*. Sin autem utrumque indecorum eſt, ut & ſecum ipſe diſſentiat, nec diverſas in Chriſto, ex quibus eſt, profiteatur naturas; perſpicuum eſt, non unam operationem ambarum ſubſtantiarum, ſeu Chriſti ex illis compoſiti, eum tradere, quum ait: *Unam ac affinem amborum munere operationem edens*; ſed oſtendere, Verbum, quum Deus natura eſſet ac incarnatum, vivificam natura atque divinam operationem ſuam, tum incorporea ratione, tum corporis opera proferre. Dicendo enim *cognatam*, ſive *affinem*, nihil aliud ſignificavit, quam eamdem amborum munere, (tum ſcilicet juſſionis omnium effectricis, tunc tactus ipſius ſanctæ carnis) vivificam operationem miraculis elucere. Haud ſecus ac ignis, tum ſine materia, tum ejus ope urens, eamdem utroque modo vim urendi oſtentat. Non igitur ad tollendam humanam Salvatoris operationem Cyrillus hæc loquitur. Dicendo enim tactum carnis, humanam clare operationem ſignificavit: ſiquidem vis tangendi, humanæ operationis probatio perſpicue exſiſtit. At neque aliam, præter duas naturales illius tradidit operationes; ſed vivificam natura, uti dictum eſt, amborum munere, tum ſcilicet juſſionis, tum vero tactus, operationem, ex uno eodemque Dei Verbo prodire declaravit.

Tom. 4. in Johan. p. 361. qui & Achilles Monotheliſtarum.

Tom. 10. in Johan.

Quod ſi piis his patrum prædicationibus arctati, Heracliani (*a*) ad

(*a*) Quis ſit Heraclion iſte, cujus epiſtolam ad Achillium memorat hic S. Maximus, divinari prorſus non poteſt; is tamen hæreſeos expers fuiſſe non videtur.

ad Achillium epiſtolam proferant, in qua unam in Chriſto, præter duas, & naturam ut totius, & motum eum dicere admonent; ipſi illam interpretentur. Sunt enim hæc illius verba: *Una quidem eſt tota ſecundum ſe domini tum natura, tum motio, duæ vero ſecundum rationem. Una eſt partium tum motio tum natura ſecundum arrogationem; duæ vero ſecundum ſe*. Motionem autem quum dico, operationem, paſſionemque ſignificari volo. Neceſſe igitur eſt, qui hæc ad ſua dogmata confirmanda objiciant, ſermone clarius explicent, quænam ac quomodo dicta, cujus item e numero probatorum patrum teſtimonio fulta, illa Domini, tamquam totius, una tum natura, tum motio? Et quæ duæ ſecundum relationem? Quænam vero etiam partium ſecundum arrogationem una ſimiliter natura & motio? Quæ item duæ per ſe? Id eſt, hæ tres non jugationes ejuſdem quum naturarum, tum motionum? Quis denique, unam eamdemque motionem ambo hæc ſignificare tradiderit; operationem ſcilicet, & paſſionem? Quomodo autem, ſi quidem eorum ſententia utrumque ſignificat, qui fit ut Filius ſecundum omnem motum ſuum non a Patre ſejunctus ſit, quippe qui ſecundum omnem motum natura exſiſtat patibilis? Siquidem nullo modo Dei, ac Salvatoris motio, utrumque ſimul, operationem ſcilicet & paſſionem, ſignificat. Deus enim natura impatibilis eſt & abſolutus & ſimplex: immo omni ſimplicitate longe ſimplicior. Quomodo vero rurſus, cum trium motionum conjugationibus, non duodecim operationes paſſioneſque ſimul introducunt? Siquidem, illorum ſententia, motio utrumque ſignificat. Quis denique ſanctorum patrum naturas umquam in Chriſto Deo ſecundum relationem, vel ſecundum arrogationem ſeu attributionem profeſſus eſt?

Hæc prius ex patrum ſententia ac judicio demonſtrent, tumque ſuorum illis dogmatum firma rataque erit opinio. Sin autem minime poterunt, his demum omiſſis, ea dumtaxat nobiſcum ſequantur, quæ a ſanctis Eccleſiæ catholicæ patribus, & a ſanctis quinque Œcumenicis ſynodis pie decreta ſunt; confitentes Deum per omnia natura perfectum, atque hominem per omnia, excepto dumtaxat peccato, natura perfectum, eumdem unumque ac ſolum Dominum ac Deum Jeſum Chriſtum; nec tollendo quod in utroque natura per omnia perfectus eſt, una etiam divinam aut humanam ejus voluntatem, & operationem tollant; qui nempe ſciant ſupereſſentiale Verbum, nec quod ab æterno nullaque cauſſa erat, nec quod poſtea ob cauſſam, noſtram ſcilicet ſalutem, factum eſt, quidquam minuiſſe aut immutaſſe, vel aboleviſſe: quin potius integre & perfecte, excepto dumtaxat peccato, in ſe & per ſe, ſecundum omnia, & in omnibus cuſtodiſſe: eſſeque illa ipſa proprie, uti dicebam, ſecundum naturalem ſubſtantiam: unde & natura volendi facultate præditus eſt & operandi noſtram ſalutem, unus & idem ſoluſque Dominus noſter, ac Deus, ſecundum ambas naturas ex quibus, ac in quibus eſt. Deus namque per naturam ipſe pro poteſtate decernens, liberque imperii, atque omnium poteſtatis ac arbitrii auctor quum eſſet, non homo amens, id eſt ſine mente, factus eſt, vitæque hominum naturalis, ac qui ab eo ut eſſent, creantis voluntate nacti ſunt, expers: ſed homo fuit intelligens, hoc eſt,

vere

vere natura voluntatis ac operandi facultate prædituſ, qui ipſe natura ac ſolus Deus eſt; me toto aſſumpto, cum illis quæ mea erant, ut mihi
Epiſt. 1. ad Cledon. toti ſalutem præſtaret, tota peccati damnatione ſoluta; quippe, *quum id quod non eſt aſſumptum, remedio careat; quod autem Deo unitum eſt, hoc ſalutem nanciſcatur*, uti ait, cui a Theologia nomen eſt.

Quod tamen aliter ſentientes, quorum abſonas objectiones confutavimus, pia ſanctorum patrum oppoſita doctrina, nos aliunde adoriuntur noſtra ipſorum producentes, ut inde latus noſtrum petant, ſive potius ſimplicioribus fucum faciant; nempe litteras quas ad Marinum presbyterum, ut ajunt, & quas ad Pyrrhum ſcripſimus; neceſſe eſt ut de his quoque breviter dicamus; quo nimirum in omnibus, quod minime anceps ſit ac dubium, Veſta ſanctitas a nobis habeat. Ad Marinum quidem presbyterum diverſimode ſcripſimus de diverſis Scripturæ capitibus; non tamen ullo quovis modo de ſic æquipollentibus ac pugnantibus dogmatis, a nobis dictum eſt: de una ſcilicet, & duabus; (id eſt, quas ipſi fingunt in eodem & uno Chriſto, tres operationes, aut voluntates) quaſi nos etiam in eo ſimiliter, velut ipſi, eas conſtituamus; ac vel apud Marinum, vel
Gal. 2. 28. prorſus apud alium quempiam aſtruamus. *Si enim quæ deſtruxi, hæc adhuc ædifico; prævaricatorem me conſtituo*; ait Vas electionis. Unde & epiſtolam quæ ſic producitur, id eſt, quaſi a nobis (*a*) ſcripta ad Marinum confingitur, quæ prorſus aliena ſit, & non noſtra, tum nos ipſi rejicimus, tum ut rejiciant ſimili nobis ratione, omnes ob-
Pſal. 140. 4. ſecramus; quo ſcilicet omnem adverſariis occaſionem præcludamus; nempe excuſantibus excuſationes in peccatis, ac qua nos calumniantur, contradicendi libidinem contegentibus: qui, quod propria eos eruditio non commendet, ipſa veritatis impreſſione eliſa, noſtrarum ſcilicet litterarum larva, dolo ſibi aditum ad eos, qui ſimpliciores ſunt, ſtruunt; a qua noxa immunes præſtabuntur, qui noſtra ſuſcepta ſatisfactione, veritatem pluris mendacio facient.

Rurſus vero Pyrrhus (*b*), quum ad nos prius ingens volumen ſcripſiſſet, ac, neſcio quomodo, in eo nos valde coluiſſet; atque inquirendo, non quidquam decidendo, de una ac duabus ejuſdem operationibus in illo diſſeruiſſet, noſtramque ſententiam utrinque exquireret ac provocaret; nos quoque, ut par erat in proœmio noſtræ ad eum epiſtolæ ipſum
Rom. 12. 10. coluimus, uti nos admonet Apoſtolus, quum ait: *Invicem honore prævenientes*: quum & eos qui ſe aliter habent, aut ad nos ſcribunt, dilige-
Matth. 5. 44. re, ac bene eis precari jubeat divinus ſermo. Simul etiam cura mihi fuit, ne hominem exaſperarem, ſed magis lenirem; quo ſcilicet ipſa laudationis illecebra, ad eorum quæ pie ex ſanctorum patrum doctrina tradebam, aſſen-

(*a*) Maximi epiſtola ad Marinum, Monothelitarum erroribus abundans, ab eodem Maximo ſuppoſititia hic declaratur. Cui nihil commune cum his epiſtolis quæ vere per ipſum Maximum Marino inſcriptæ ſunt, & habentur tom. 2. pag. 1. 18. 34. 116. & alibi paſſim.

(*b*) Exponit qua mente Pyrrhum coluerit, & honore proſecutus fuerit.

aſſenſum cogerem . Unde ſic fatebar me intellexiſſe quæ ab eo mihi ſcripta erant, quemadmodum ipſe ad eum ſcripſeram; velut nimirum impellens, uti dicebam, atque invitans, ad aſſenſum piæ doctrinæ, quo ſibi maximam eſſet paraturus ſalutem, ſi modo in animum induceret, ut quemadmodum ad eum ſcripſeramus, nobiſcum confiteretur; duas ſcilicet unius ejuſdemque Chriſti Dei naturales operationes, uti & duas naturas inconfuſe unitas ac indiviſe, divinam & humanam, increatam & creatam; at non unam eamdemque, quovis modo dictam. Nempe, eſſe non patrum, ſed magis hæreticorum doctrinam, quæ unam eamdemque operationem ſeu voluntatem aut naturam, in uno eodemque Domino noſtro, ac Deo tradat.

Hic igitur meæ ad Pyrrhum laudationis ſcopus, hic modus ac ratio, quum ſenſim a contraria opinione abducere, & ad rectam fidei doctrinam transferre cogitarem. Si quis vero non ſatis mei ejus propoſiti vim aſſecutus, meam adhuc illam laudationem ægre fert, per me licet, utque illi videtur, eam explodat, quæ nec vobis jam placet aut probatur, ſed magis gravis, ac moleſta eſt, poſtquam ille plene everſus eſt; eorum vero vim, quæ a nobis catholice ad eum ſcripta ſunt, ratam habeat, ac comprobet.

Habetis, patres ſancti, qua ratione per meam defenſionem mei ſecuros vos reddiderim. Enimvero viriliter agite, & confortamini ſpiritu, nec ad dexteram aut ſiniſtram adverſariorum vos ſtudiis, ac doctrinis abduci patiamini, ſed via regia ſtabiliri ac duci, ab eo, qui ait: *Ego ſum via, & vita, ac veritas, unanimes idipſum ſentientes & Deus pacis erit cum omnibus vobis*, quem pie ſemper prædicetis, ac ſancte colatis: quique demum poſt beatam ævo hoc tum vitæ inſtitutionem, tum confeſſionem, futuro illo beatiorem ſe vobis hereditatem præbiturus eſt, atque requiem: quo cum Patri ac Spiritui ſancto gloria, honor, poteſtas, adoratio, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Johan. 14. 6. Phil. 2. 2.

DIPLOMA CCLXIX.

Epiſtola Mauri Ravennæ epiſcopi ad Benedictum diaconum rectorem patrimonii eccleſiæ ſuæ in Sicilia. Ut manipularium epiſcopi conſtituat rectorem, & ad Ravennatem ipſe eccleſiam revertatur (a).

Anno 652. circiter.

Agnell. de Pont. Raven. in S. Mauro.

SAtis nobis ſervitium placuit. Senuiſti, revertere ad ſanctam matrem Eccleſiam, ubi nutritus fuiſti. Tempus eſt jam, ut videam te, & iſtum noſtrum manipularium conſtitue rectorem poſt te. Si fieri poteſt, non ſit tibi gravis hæc noſtra admonitio; quod ſi tibi gravis eſt hoc hujus, vide quomodo eum ad nos remittas.

(a) De patrimonio eccleſiæ Ravennatis in Sicilia agitur ulterius in Dipl. XXVIII. & CCXI. Ceterum quid poſt exhibitam hanc epiſtolam factum ſit, diſertiſſime enarrat ipſe idem Agnellus, ex quo ſcripturam hanc mutuati ſumus. Cujus teſtimonium, quum prolixius ſit, quam ut hic commode exſcribi poſſit, appoſite miſſum facimus.

DIPLOMA CCLXX.

Epiſtola Vitaliani papæ ad Georgium epiſcopum Syracuſanum. Ut Johanni epiſcopo Lappenſi faveat.

Vitalianus (*a*) Georgio epiſcopo Syracuſano (*b*).

Anno 659. die 27. Jan.

Labbe tom. 7. Cōc. col. 462.

GEſta, ſive ſententiam (*c*) a tua fraternitate directam, dilectiſſimo filio noſtro Gaudentino primicerio ſcribente, eam ſibi ab antiſtite Cretenſis inſulæ tranſmiſſam, pro cauſſa epiſcopi Lappenſis eccleſiæ, ſuſcepimus; ſcribentes ei quamombrem admirati ſumus, cur ipſe Cretenſis antiſtes nobis aut per ſuum clericum hanc minime direxerit aut per ſua ſcripta non indicaverit, quæ erant neceſſaria. Præfatus enim Johannes Lappenſis eccleſiæ, hujuſmodi ſententiam manu ejus metropolitæ epiſcoporumque ſubſcriptam, cum ſua nobis obtulit petitione, poſtulans ſuæ cauſſæ meritum canonice requiri. Cujus precibus moti, pro tali re in hac urbe fecimus congregari ſynodum, ut cognoſceretur hujuſmodi negotium. Quumque eſſet congregata, relecta eſt nimirum petitio Johannis præſulis; ac ſententia a tua directa fraternitate: quibus nobis, eiſque viſum eſt non ſecundum ſacratiſſimos canones, neque ſecundum inſtituta patrum, eſſe eadem geſta promulgata adverſus prænominatum Lappenſis eccleſiæ epiſcopum. Iccirco decrevimus, eam, per noſtræ præceptionis auctoritatem, eſſe inanem, & vacuam, abſolventes eum ad ſuam eccleſiam remeare cum noſtra præceptione ad eumdem ejus metropolitam facta. Ideoque eo illic ad tuam fraternitatem ſe conjungente, ei ita concurrat, ut cum litteris commendatitiis domini excellentiſſimi Vaani filii noſtri imperialis cubicularii, & chartularii, ad ſuam eccleſiam pro-

(*a*) Aliam ejuſdem Vitaliani epiſtolam ad monachos Siculos ex Appendice Leonis Oſtienſis habemus, quam graviſſimorum ſcriptorum judicio obſecuti, ſuppoſititiam cenſemus, atque ita ab hac collectione ſegregatam dabimus infra in Appendice.

(*b*) De eo hæc exhibet membranaceus Codex cujuſcumque fidei præſulum Syracuſanorum, primum a Chriſtophoro de Eſcobar, inde a Roccho Pyrrho *in Notit. Eccl. Syracuſan.* exſcriptus: *Conſtantinopoli didicit. Hic Troparia, quæ in Nativitate Chriſti recitantur, & in Epiphania, fecit. Occiſus eſt autem in loco qui vocatur . . . . Tritamari, & ſepultus eſt in eccleſia S. Anaſtaſii de Ollis.*

(*c*) Syracuſano epiſcopo nihil commune erat cum Lappenſi antiſtite, ut latam in iſtum ſententiam ipſi Syracuſano præſuli mitteret Cretenſis inſulæ metropolita; ſed ut ex contextu epiſtolæ datur intelligi, ideo geſta in Johannem Lappenſem Gregorio Syracuſano directa ſunt, ut facilius ad manus Romani pontificis pervenirent. Qui recitatis in ſynodo Romana, & non approbatis quæ in ipſum Johannem geſta fuerant, Georgio noſtro epiſtolam hanc reſcripſit: quatenus Johannis juſtitiam ipſe ſciret, & quum requiſitus fuerit, alios doceret.

proſpere revertatur. Viva enim voce pro ſua cauſſa ſubtiliter tuæ fraternitati, dum ab ea requiſitus fuerit, profecto indicabit, oſtendens ei exemplar præcepti noſtri, ad Cretenſem metropolitam directi. Præterea & Silvinus tibi intimandum omnia prædicantes, ne modum tranſgredi litterarum cerneremur. Data die VI. Cal. Februarii Ind. II.

DIPLOMA CCLXXI.

Summa decreti imperatoris Conſtantis, quo Siculis aliiſque populis gravamina intulit, atque Dei eccleſias ſacra ſuppellectili exſpoliari juſſit (a).

Anno 663.

Anaſtaſ. Bibl. in Vitaliano.

Conſtans imperator ſecunda feria egreſſus de civitate Romana, reverſus eſt Neapolim, inde terreno itinere perrexit Rhegium, & ingreſſus Siciliam per indictionem VII. anno ſcilicet *663.* habitavit in civitate Syracuſana, & tales afflictiones impoſuit populo, ſeu habitatoribus provinciarum, Calabriæ, Siciliæ, Africæ, vel Sardiniæ per diagrapha, ſeu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales a ſæculo numquam fuerint: ut etiam uxores a maritis, vel filii a parentibus ſe ſepararent, & alia multa inaudita perpeſſi ſunt, ut alicui ſpes vitæ non remaneret: ſed & vaſa ſacra, vel cymbala ſanctarum Dei eccleſiarum auferentes (b), nihil dimiſerunt. Et poſtmodum decimo quinto die menſis Julii per XII. indictionem anno *668.* prædictus imperator (c) in balneo occiſus eſt ab Andræa Troyli filio.

(a) Caremus originali decreto imperatoris Conſtantis; ejus nihilominus ſummam quam hic exſcripſimus, exhibet Anaſtaſius Biblioth. Cui conſonat Paulus Diac. *Hiſt. Longobard.* lib. 5. cap. 5.

(b) Nempe *Græci*, ut ſuppleri poteſt ex Paulo Diac. modo laudato.

(c) De Conſtantis nece aptius redibit ſermo in notis ad epiſtolam proxime recudendam.

DIPLOMA CCLXXII.

Fragmentum epiſtolæ Gregorii II. Pont. Max. ad Leonem Iſaurum imperatorem Orient. De imperatore Conſtante, quem, quod epiſcopi Siciliæ hæreticum declaraverant, Syracuſis inteſecit Nezeuxius.

Anno 726.
Labbe tom. 8. Cōc. col. 663.

PRædeceſſor noſter Martinus pontifex ad pacem cohortans ſedebat: iccirco malignus ille Conſtantinus (*a*) de fide ſanctæ Trinitatis male ſentiens, & hæreticis pontificibus proſcriptis aſſipulans, Sergio, & Paulo, & Pyrrho, miſſis ſatellitibus rapuit illum, & Byzantium tyrannica violentia abduxit, multiſque malis obſeſſum in exilium emandavit. Quin etiam Maximo monacho, & hujus diſcipulo Anaſtaſio mala multa exhibuit, & Lazicam in exilium miſit. At Conſtantinus, qui eos relegarat interfectus, & in peccato ſuo mortuus eſt. Nezeuxius (*b*) enim, qui tam comes obſequii ejus erat, ab epiſcopis Siciliæ certior factus hæreticum eum eſſe, ipſum intus in templo (*c*) trucidavit, & in peccato ſuo interiit. Beatum vero eſſe Martinum teſtatur civitas Cherſonis, in quam relegatus eſt, & Boſphori, totuſque Septentrio, & incolæ Septentrionis; qui ad monumentum ejus accurrunt, & curationes accipiunt. Atque utinam Dei munere nobis contingat, ut per Martini viam incedamus.

DIPLOMA CCLXXIII.

Summa conſtitutionis Leonis Iſaurici imperatoris. De novo tributo Siculis impoſito, & patrimonio Siculo Romanæ eccleſiæ abjudicato, & in fiſcum redacto (d).

Anno 731.
Thoph. Hiſt. Miſcell. ad añ. 16. Imp. Leonis Iſaur.

IN furorem actus Dei ille hoſtis, Leo Imp., Arabico ſenſu imbutus, auctiora Siculis, ac Calabriæ populis parte tertia tributa, in ſingula hominum capita impoſuit. Patrimonia vero, quæ dicuntur Sanctorum & Coryphæorum apoſtolorum, qui in veteri Roma colun-

---

(*a*) Rectius lege, *Conſtans*, & ſic in decurſu epiſtolæ.

(*b*) Anaſtaſius Bibliothecarius, cujus teſtimonium modo exhibuimus, Andream quemdam Troyli filium Conſtantis interfectorem fuiſſe putat.

(*c*) Conſtantem non in templo, ſed in balneo occiſum eſſe perhibent, Paulus Diaconus *Hiſtor. Longobard.* lib. 5. cap. 5. Georgius Cedrenus *in Conſtante Imp.* Johannes Zanara *in Conſtante Imp.* & Anaſtaſius Biblioth. modo laudatus.

(*d*) Litteris autographis ipſius Leonis caret hodie eruditorum orbis; harum nihilominus ſummam ex Theophane ex-

luntur, tria nimirum cum medio auri talenta, eorum eccleſiis ab antiquo aſſignata, & penſa, in publicum ærarium conferri juſſit. Inſpici inſuper atque deſcribi maſculos infantes, qui naſcerentur; quemadmodum olim Pharao Hebræorum pueros, mandavit: quod tamen neque ipſi ejus doctores Arabes in Chriſtianos orientales admiſerunt.

DIPLOMA CCLXXIV.

Epiſtola Lucii præfecti Siciliæ ad imperatores Conſtantinopolitanos. De Heliodoro mago Catanenſibus infeſtiſſimo.

Magnificentiſſimis imperatoribus (*a*) & dominis noſtris Lucius præfectus (*b*):

ÆQuum eſt, Domini, quæ apud nos geruntur, ſacras aures veſtras minime celare; ſed patefacere omnia diligenter, quæ ſub fœlici imperio veſtro nobis contigerunt. Eſt ſiquidem in hac Civitate noſtra magus quidam, Heliodorus (*c*) nomine, filius Barbaræ pa- *Anno 776. circiter.* Cajetanus de SS. Sicul. t. 2. pag. 7.

Chri-

exſcripſimus, ſecuti exemplum Melchioris Goldaſti, qui conſtitutionem hanc ex eodem Theophane mutuatam exhibuit in ſua collectione *Conſtitutionum Imperialium* tom. 3. pag. 648. Paria cum Theophane ſentiunt, Adrianus papa I. *in Reſponſis ad dubia Francorum*, Georgius Cedrenus *in Leone Iſaurico* ad annum Chr. 731. & Leo Oſtienſis *in Chronico Caſſin.*

(*a*) Id eſt, *Leoni & Conſtantino*, ut plane liquet ex verbis quæ in Codice epiſtolam hanc proxime ſequuntur: *Accepta relatione, imperatores noſtri, Leo & Conſtantinus*, &c. Sed quoniam tres ſunt in hiſtoria imperatores ejuſmodi nomina portantes, ſcilicet: *Leo Iſaurius & Conſtantinus*, *Leo Porphyrogenitus & Conſtantinus*, *Leo Philoſophus & Conſtantinus*: diſputari itaque ſolet quibus ex iis data ſit epiſtola. Eruditiſſimi viri, Johannes Bollandus de Act. Sanctor. die 20. Februarii *de S. Leone Epiſc. Catan.* & Vitus Amico *Catan. Illuſtr.* par. 1. pag. 364. & ſeq. ad Leonem Porphyrogenitum ejuſque filium Conſtantinum eam ſpectare contendunt: quos conſulat ſtudioſus lector.

(*b*) Græcum habet ἔπαρχος, quam vocem ejuſdem epiſtolæ interpres Jacobus Sirmundus vertit, *præfectus*; qui autem Græcum Jambographum ejuſdem S. Leonis latinitate donavit Auguſtinus Floritus expoſuit, *prætor*; & quidem utraque verſio a Græca ſignificatione non abhorret. Ipſe idem Lucius in epigraphe epiſtolæ ſequentis, ex Codice Latino Syracuſano appellatur *conſul*; & paullo ſuperius in eodem Codice nominatur *proconſul*. At prior tamen lectio ſincerior præ quam poſteriores iſtæ nobis videtur, quum neminem lateat proconſules ſub Conſtantino magno, conſules autem ſub Juſtiniano defeciſſe, & regendæ Siciliæ per hæc tempora prætores aut præfectos revera præfuiſſe.

(*c*) Codex Syracuſanus modo laudatus hæc addit de eo: *Erat autem natione Judæus, Chriſtianus profeſſione, ſed moribus Gentilis & vita.*

triciæ (*a*) , adeo peſtilens , & efficax , ut Simoni mago nihil cedat. Hic univerſam civitatem miſere afflixit ; vidimus clariſſimorum civium filias, ejus artibus ad philtrum incitatas , paternis domibus exſilire , ac paſſim pervagari . Alias item iter facientes , falſa fluminis ſpecie objecta, indecore nudari compulit, & per ſiccum pulverem, quaſi aquam inambulare : lapides aurum eſſe perſuaſit . Quin & populum ad Idololatriam inſtigavit . Præſens enim ſtatua (*b*) , elementum aeris eſt , ne quando prorumpens Æthnæ flamma , urbem accendat, quia ingens mons eſt, auriſque Vulcani. Hæc ſunt, quæ ſacris auribus ſuggerenda erant, imperatores. Valete, Domini noſtri.

DIPLOMA CCLXXV.

Epiſtola ejuſdem Lucii ad Leonem Conſtantinopolitanum præfectum . De eodem Heliodoro mago.

Leoni præfecto, Lucius conſul (*c*).

Anno 776. circiter.

Cod.M.S.Syrac. apud eũdem Cajetanum pag. 16.

NOverit veſtri celſitudo regiminis , quoniam magus ille, quem demorari Catanæ veſtra fultum auctoritate juſſiſtis, in tantam ſe ſub veſtri tutela nominis erexit audaciam , ut nec legum ſervare decreta , nec a civium velit læſione ceſſare ; quos adeo jam crebris laceſſivit injuriis, dehoneſtavit contumeliis, rerumque damnis affecit, ut ſi nos hæc in illum mala non ulciſcamur , in nos ejus ſe mala vindicaturos aperta fronte minentur. Videat hæc veſtra ſublimitas, & vindicet , quia nos quidquam in illum abſque veſtro præſumere non audemus imperio. Valete.

DI-

(*a*) Patriciatus dignitatem feminis quoque collatam fuiſſe diſcimus ex Dipl. CI. Vide quæ dabimus infra, Diſſert. VII. Cap. XIII.

(*b*) Huic loco lucem affert Photius, qui ex hiſtoria Olympiodori, ſcriptoris ethnici ſtatuam quamdam commemorat in Sicilia conſecratam *ad avertendum Æthnæ ignem*.

(*c*) Confer cum epiſtola proxime exſcripta.

DIPLOMA CCLXXVI.

Divalis ſacra Conſtantini, & Irenes Impp. Hortantur Adrianum papam, ut Conſtantinopolim veniret, ad ſynodum adverſus Iconoclaſtas celebrandam, miſſo Conſtantino epiſcopo Leontino, & datis litteris ad ſtrategum Siciliæ, ut tranſeuntis pontificis curam habeat.

QUi a Domino noſtro Jeſu Chriſto vero Deo noſtro ſuſcipiunt ſive imperii dignitatem, ſive principalis ſacerdotii honorem, debent, quæ illi placita ſunt, & cogitare, & curare, & creditos ſibi ab illo populos ſecundum ejus voluntatem regere & gubernare. Ergo debitum nobis, & vobis, o ſanctiſſimum Caput, hoc eſt, ut irreprehenſibiliter, quæ ejus ſunt, ſapiamus, & in ſuis verſemur, utpote ab ipſo nos quidem imperium, vos vero principalis ſacerdotii dignitatem ſuſcipientes. Incipimus ergo hinc ſermonem. Scit veſtra paterna beatitudo quæ pridem facta ſunt in hac noſtra regia civitate propter venerabiles imagines, qualiter qui ante nos regnaverunt, eas deſtruxerunt, & in dehoneſtatem, atque injuriam poſuerunt: (utinam illis non imputetur: melius enim fuerat, non mittere manus ſuas in Eccleſiam) omnem populum, qui hic eſt, immo Orientalem eodem modo ſeduxerunt, & in propriam voluntatem retraxerunt: uſquequo Deus ſuſcitavit nos regnare in his, qui in veritate quærimus gloriam ejus, & tenere quæ tradita ſunt ab apoſtolis ſuis, & omnibus ſui doctoribus. Unde nunc conſtanter cum mundo corde, & vero cultu, quæ ad Deum pertinent, una cum omnibus ſubditis noſtris, & his ſacerdotibus doctiſſimis locuti ſumus, & cum conſilio decrevimus, ut fieret univerſale concilium. Et rogamus veſtram paternam beatitudinem, immo vero Dominus Deus rogat, *qui vult omnes ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*; ut det ſeipſam, & nullam tarditatem faciat, & aſcendat huc in ſtabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis ſuper venerabilibus imaginibus: debitum enim illi eſt hoc facere; agnoſcit vero quia ſcriptum eſt: *Conſolamini, conſolamini populum meum ſacerdotes, dicit Dominus. Et labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & de ore ejus egredietur lex, quoniam angelus Domini exercituum eſt.* Et iterum divinus, & veritatis prædicator Apoſtolus, qui ab Jeruſalem, & circuitu uſque Illyricum prædicavit Evangelium, ſic mandavit: *Paſcite gregem Domini cum diſciplina, quem acquiſivit proprio ſanguine.* Et tamquam verus primus ſacerdos, & is qui in loco, & Sede ſancti, & ſuperlaudabilis apoſtoli Petri præſidet, ſicut dictum eſt, aſcendat, & ſimul cum omnibus ſacerdotibus, qui hic ſunt, inveniatur, & voluntas Domini fiat: *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo.* Sicut Evangelice didicimus, *ibi ſum in medio eorum.* Certificetur enim, & confirmetur a magno Deo, & re-

Anno 784. *die* 29. *Aug.*

Labbe tom. 8. Cõc. col. 677.

rege, omniumque Domino noſtro Jeſu Chriſto, & a nobis ſervis ejus, quod aſcendentem veſtram paternam, & ſacram beatitudinem huc cum omni honore, & gloria habemus & ſuſcipere, & quæ opportuna ſunt impartiri. Et iterum expleto capitulo, quod beneplacito Dei Chriſti ſperamus fieri, cum honore, & magnitudine præire illam habemus ad remeandum ad propria. Si enim non potuerit aſcendere huc (quod putamus non fieri: ſcimus enim eum ſtudioſum eſſe circa divina) eligat viros honorabiles, habentes ſcientiam, & dirigat una cum ſyllabis, ut inveniantur ex perſona ſacræ & paternæ veſtræ beatitudinis hic. Verumtamen convenientibus ipſis cum omnibus ſacerdotibus, qui hic ſunt, ſynodice confirmetur antiqua traditio ſanctorum patrum noſtrorum, & confundatur omne zizanium male plantatum, & Domini noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti verbum impleatur, quoniam *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Et ex hoc non ſit ſchiſma, & ſeparatio in una ſancta catholica, & apoſtolica Eccleſia, cujus eſt caput ipſe Chriſtus verus Deus noſter. Conſtantinum (*a*) prætera ſanctiſſimum epiſcopum Leontinum Chriſto amabilis Siciliæ noſtræ inſulæ, quem etiam noſcit paterna veſtra beatitudo, adduximus ad nos, & facie ad faciem loquentes direximus cum præſenti noſtra venerabili juſſione ad vos. Qui quum venerit ad vos, continuo abſolve eum, ut remeet ad nos, ſcribens nobis per ipſum adventum tuum, quibus diebus habet moveri illinc, & proficiſci ad nos; porro ſanctiſſimum epiſcopum Neapolitanum omnino tenere habet, ut cum ipſo aſcendat huc. Etenim iter veſtrum per Neapolim, & Siciliam habet fieri: & ſuper hoc ſtratego (*b*) Siciliæ juſſimus, ut omnis requiei, & honoris veſtri curam habeat, quo veniat veſtra paterna beatitudo ad nos. Legimus, Data IV. Calend. Septembris, indictione ſeptima a regia urbe.

DI-

(*a*) Is interfuit & ſexto inter epiſcopos loco ſe ſubſcripſit ſynodo generali VII. Nicænæ II. adverſus Iconoclaſtas anno 787. celebratæ.

(*b*) De ſtrategis Siciliæ agemus ad calcem hujus Voluminis, Differt. VII. Cap. XI.

DIPLOMA CCLXXVII.

Epiſtola Leonis III. Pont. Max. ad Carolum magnum imperatorem. De irruptione Saracenorum in Græcos, & Græcorum in Saracenos in partibus Siciliæ ſecuta.

Domino piiſſimo & ſereniſſimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Carolo auguſto, Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

SCimus igitur veſtram a Deo protectam imperialem potentiam ſemper de integritate, & exaltatione, atque cuſtodia matris ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ejuſque finibus ſolertiſſimam habere ſolicitudinem, & ideo notum facimus ſerenitati veſtræ ea quæ nuper audivimus, & ex parte certi ſumus. Veſtræ ſiquidem a Deo datæ ſapientiæ incognitum non eſt, quod illa nefandiſſima Agarenorum gens partibus Siciliæ (*a*) anno præſente vivere conſiliaverat. Nunc autem, ſicut audivimus, in quibuſdam Græcorum inſulis conjunxerunt. Pro quibus vero miſit Michael imperator patricium (*b*), & ſpadarios cum ſtolo, ut contra eos Chriſto adjuvante, dimicare debuiſſent. Quumque idem patricius in Siciliam conjunxiſſet, dixerit miſſos ſuos per Beneventum ad Anthimum Neapolitanum ducem, ut cum toto ipſo Neapolitano ducatu qui illi obedire voluiſſent, navale auxilium ei præbere ſtuduiſſent. Qui vero dux occaſiones proponens in adjutorio ejus ire contempſit. Cajetani tamen, & Amalphitani, aliquanta congregantes navigia, in auxilio illius abjerunt. Poſtmodum vero, ut audivimus, ingreſſi ſunt ipſi nefandiſſimi Mauri, tredecim ſcilicet navigia, in inſulam, quæ dicitur Lampaduſa, partibus Siciliæ conſtituta, & prædavere eam. Quumque de prædicto Græcorum ſtolo ſeptem navigia itidem explorando perrexiſſent, ut ſe veritatem cognoſcere potuiſſent, comprehendentes eos Deo odibiles Mauri occiderunt illos; & dum expectantes eos Græci, qui miſerunt illos ad explorandum, & minime eſſent reverſi, abjerunt generaliter ſuper eos, & Chriſto miſerante, totos illos iniquos Mauros occiderunt, ita ut nec unum ex iis vivum reliquerint. *Et poſt aliqua*. Abſol. VII. Id. Septembris.

An. 813. circ. die 7. Sept.

Labbe tom. 9. Cõcil. col. 159.

Lampaduſa Inſula.

(*a*) Quomodo Saraceni Siciliam vicinaſque inſulas incurſionibus vexaverint, & qualiter Græcorum navigia primum comprehenderint, atque eorum poſtea manus ſubjerint, ulterius narrat Eginhardus, vel quiſquis ſit auctor *Annalium Francorum*, ad annum 813.

(*b*) Gregorius is nominabatur, ut erudit nos epiſtola mox exſcribenda.

DIPLOMA CCLXXVIII.

Epiſtola ejuſdem Leonis papæ III. ad eumdem Carolum magnum. Qualiter Sicilienſes cum Saracenis pactum fecerunt, & captivi redditi ſunt.

Domino piiſſimo & ſereniſſimo victori, ac triumphatori filio amatori Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Carolo auguſto, Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Anno 813. *die* 11. *Nov.*

Labbe tom. 9. Cōc. col. 157.

TErtio igitur idus Nov. ſuſcepimus epiſtolam Gregorii (*a*) patricii Sicilienſis: reſponſum ſcilicet ſerenitatis veſtræ epiſtolæ, quam illi per hominem noſtrum emiſimus. Vobis ſiquidem, pro qua cauſſa ignoramus epiſtolam nomini veſtro titulatam non emiſit, illam tamen quam nobis dixerit epiſtolam, de qua vobis exemplar, aut poſtquam eam legeremus a noſtro ſigillo veſtræ imperiali potentiæ dirigere petivit: nos pro veſtra ſatisfactione neque eam ad legendum aperuimus, neque quod in ea continetur, cognovimus, niſi quod per illum miſſum noſtrum vobis in verbis direxit. Id eſt de illis Saracenorum miſſis, cum quibus pactum (*b*) confirmavit ipſe patricius in annos decem. Dicebat enim ad prædictos miſſos Saracenorum. Quale nobiſcum pactum facere vultis, quum ecce jam anni ſunt octuaginta quinque, quod pactum nobiſcum feciſtis, & firmum non fuit? Immo & Conſtantinus patricius, qui ante me præfuit, in decem annos vobiſcum pactum firmavit, uſque ad futuram octavam indictionem, ſed neque ipſum pactum firmum tenuiſtis. Nunc autem quale vobiſcum pactum faciamus, nobis incognitum eſt. Ad hæc reſpondebant ipſi Saracenorum miſſi, dicentes: Pater ipſius Amiralmumin, qui nunc apud nos regnare videtur, defunctus eſt, & iſte relictus eſt parvulus, & qui fuit ſervus, factus eſt liber, & qui liber fuit, effectus eſt dominus; & nullum ſe regem habere putabant; ſed ecce nunc poſtquam omnia quæ pater ſuus habuit, ſibi ſubjecit, vult firma ſtabilitate hoc quod paramus pactum ſervare. De Spanis vobiſcum non ſpondemus, quia non ſunt ſub ditione regni noſtri: ſed in quantum valemus eos ſuperare, ſicut vos, ita & nos contra illos in mare dimicare permittimus: & ſi ſoli nos non valemus, nos a parte noſtra & vos a veſtra Chriſtianorum finibus eos abjiciemus. Poſt hæc vero convenit illis, & confirmavere in ſcripto inter ſe pactum in annos decem:

Pax cum Saracenis ad decem annos inita.

Conſtantinus patricius Siciliæ.

(*a*) Hunc in Siciliam adverſus Saracenorum incurſiones miſerat Græcorum imperator Michael, ut patet ex ſuperiore epiſtola, quam conſule.

(*b*) Hujuſmodi inducias ad decem annos duraturas inter Gregorium patricium Siciliæ, & Amiralmum in Saracenorum regem firmatas, memorat Eginhardus *in Vita Caroli magni*.

cem : & dedit eis miſſum nomine Theopiſtum notarium , & reddidit illis quantos habuit comprehenſos de ipſis Saracenis , ut illos Chriſtianos , quos de ſuis partibus prædaverant , reddidiſſent . Et poſtquam jam dictum pactum inter ſe firmaverunt , & miſſus ab ipſo patricio abſolutus eſt , invenit in Catena (*a*) unum hominem ſub nimia velocitate ad patricium nunciare feſtinans , quod ſeptem navigia Maurorum prædaverunt unum vicum in regio , & duæ naves ex eis poſt eos ad litus exierunt vacuæ . Nam & hoc nunciavit nobis ipſe miſſus noſter , quod audiſſet ab hominibus Saracenorum miſſis , quod iſto Junio menſe tranſactæ ſextæ indictionis , voluiſſent cum aliis centum navibus ad Sardiniam peragrare , & dum veniſſent prope Sardiniam , ſubito aperta eſt maris vorago , & ſubglutivit illa centum navigia , & poſtmodum ſic cum magno timore reverſi ſunt ipſi Saraceni , qui hoc dicebant , in Africam , & nunciaverunt ad familiam de illis qui ſubmerſi ſunt . Quumque ipſe miſſus noſter alia audiſſet , interrogavit illum notarium , qui eum cuſtodiebat , ſi veritas eſſet , quæ ab illis Saracenis audierat : & dixit ipſe notarius, quod ita eſſet , & ipſe ore proprio legiſſet ad patricium , illam epiſtolam , quam ei unus Chriſtianus amicus ſuus ab Africa direxerat , in qua de ſubmerſione , de prædictis centum navigiis continebatur . Et hoc factum eſt menſe Junio , quando illud ſignum igneum tamquam lampadem in cælo multi viderunt . Ipſi vero miſſi Saracenorum in navigiis Veneticorum venerunt , & ſic veniendo combuſſerunt igne navigia quæ de Spania veniebant . Ecce quod per hominem noſtrum audivimus ſerenitati veſtræ intimare curavimus : ſed precamur ſerenitatem veſtram , ut poſtquam ipſa epiſtola Gregorii patricii relecta fuerit a vobis , nobis eam dirigere non dedignemini . Quare autem minime vobis epiſtolam ipſe patricius miſit , & in illam , quam nobis direxit , nomen veſtrum non exaravit , quum a vobis perlecta fuerit , ſtatim veſtra a Deo data ſapientia cognoſcere poterit . Cur vobis epiſtolam , ut decuit non emiſit . Tamen ſi præſumptio non nobis imputatur , quod amando ea quæ de hac re ſentimus , ſerenitati veſtræ inſinuamus , videtur nobis, quia ſine conſultu Leonis (*b*) imperatoris ſui non auſus eſt vobis adhuc epiſtolam ſuam dirigere . His præmiſſis : omnipotens , & miſericors Deus ſua vos protectione cuſtodiat , atque per multorum temporum annos ad gaudium æternum perducat . *Piiſſimum Domini imperium gratia ſupernæ cuſtodiat , eique omnium gentium colla ſubſternat* . Abſoluta III. Idus Novembris .

(*a*) Scilicet, in civitate Catana.

(*b*) Is fuit Leo *Armenus* , qui depoſito antedicto Michaele *Rangbabe* , Orientalis imperii habenas menſe Julio hujus anni moderaturus ſuſceperat .

DIPLOMA CCLXXIX.

Epiſtola S. Theodori Studitæ ad omnes diſperſos fratres, & in carceribus, exiliiſque detentos propter cultum ſacrarum imaginum. Agit inter alia de hiſtoria S. Pancratii Tauromenii epiſcopi.

Theodorus omnibus ubique propter Chriſtum diſperſis fratribus, & iis qui in carceribus, & exiliis detinentur in Domino, ſalutem.

Anno 814. Baron. ad annum 814.

GRatia vobis, & pax, ut Apoſtoli verbis utar, a Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, qui eſt ſpes noſtra, pro quo, & propter quem perſecutio, tribulatio, anguſtia, ſolitudo, exilium, carceres, & quotquot alia in dies ad cumulum calamitatis incidunt & occurrunt. *Et poſt alia hæc ſubjungit.* Petri apoſtoli vox eſt in hiſtoria S.Pancratii (*a*): Fili Joſeph, adfer imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & imprime illam in pyrgiſco: ut videat populus qualem formam ſumpſerit Filius Dei: ut videntes, amplius credant, formæ typum intuentes, & reminiſcantur eorum quæ per nos eis annunciata ſunt. Vox Pauli eſt, &c.

DIPLOMA CCLXXX.

Epiſtola Photii patriarchæ Conſtantinopolitani ad Theophanem monachum. De furente in Sicilia Iconoclaſtarum hæreſi.

Theophani Monacho (*b*).

Anno 860. *circiter.* Scorſus in homil. Theophan. Ceram. procem. 2. §. 3.

SI te humilitatis noſtræ litteræ delectant, rurſum accipe, deſideratiſſime, quæ nihil quidem elegantiæ, facundiæque habeant ut tu blande dicis; caritatis vero ſymbolum ſunt proculdubio: quantæque fuerint litterarum vices, tanto, & caritatis creſcat affectus, quo quidem optabilius eſſe quid poſſit? Verum hæc miſſa facimus: ad ſequentia pergat oratio. Quid hoc eſt, quod nunc apud vos innovatum au-

(*a*) Verioris hiſtoriæ S. Pancratii epiſcopi Tauromenitani, quam Evagrius litteris conſignavit, debet fragmentum cenſeri quod hic ex S. Theodoro Studita exſcripſimus, quemadmodum oſtendemus in Differt. I. ad calcem hujus Voluminis edenda, ubi *de Evagrio, & de S. Theodoro Studita.*

(*b*) Franciſco Scorſo, ex quo hanc epiſtolam mutuati ſumus, valde perſuaſum eſt, Theophanem hunc unum eumdemque eſſe, ac eruditiſſimum illum

audio? Et quinam hi novi dracones, Charybdis inſtar animas abſorbentes, quæ caritatis verbo firmatæ non ſunt? Tu quidem haud nominaſti: nos vero etiam antequam litteræ tuæ ſignificarent, vehementer planximus, unius hominis cauſſa hæretici, ſeu potius revera blaſphemi in Deum, qui chartularii (*a*) munus iſthic ab imperatore adeptus eſt, hoc, dicens, celeberrimæ Siciliæ exitium obtigiſſe. Pernicies autem hæc non ex dogmatica doctrina conſtata eſt: doctrinæ enim expers ingens hæc ſtatua, ſed ab impia mente profecta, atque, ut quod verius eſt, dicatur ad impietatem prius nata: & quidem cum duobus aliis conſanguineis. Sed hos Trinitas divinis oribus profligabit, & veſtro, & aliorum, qui veritatem una defendunt. Te vero, & tui ſimiles nomine turbet adhuc furens hæreſis. Nondum enim excuſſum, & contuſum eſt malum, nec ſatis adhuc probatus fidelium in Deum amor: ac tertio non poſſumus ingredi in abyſſum judiciorum Dei, quomodo populum ſuum infidelitatis procella uſque adeo agitari ſinat. Ceterum ſermonis concluſio eſt, ut manifeſti fiant electi; ſicut ſapientiæ diſpenſator Paulus ait. Quapropter hortamur, & obſecramus, ne fatigeris, neque ceſſes adverſarios coarguere ex intimo cordis tui penu divina promens documenta, atque hinc perſpicue demonſtrans, Chriſtum non eſſe Chriſtum, niſi juſtam figuram noſtram circumſcribatur. Nam ſi caro factus eſt, utique veluti caro circumſcribetur. Quod vero non circumſcribitur, id non intra humanitatem eſt, ſed extra haud dubie, & locum, & tempus, Deus nudus, quem incomprehenſibilis, & indefinitæ naturæ dicimus, & cogitamus. Atque hoc congruenter ad certam demonſtrationem veritatis naturæ ſequi neceſſe eſt, circumſcribi Chriſtum, & in imagine adorari, ſiquidem in ea Archetypum repræſentatur, quemadmodum diviniloquus ait Dionyſius, & alibi: alterum in altero, præter ſubſtantiæ differentiam. Quare qui negat depingi Chriſtum, is natum eſſe hominem negavit; & qui ejus imaginem non adorat, ne ipſum quidem prorſus adorat, licet adorare ſe putet; quandoquidem, ut ſermo ſacer ait, infideles confitentur ſe Deum noſſe, factis autem negant. Hæc ego non tamquam ignoranti reverentiæ tuæ expoſui, ſed tamquam una ſentienti, ac veluti guttam ex dogmatum pelago hauriens, quum infinitæ præterea ſint patrum ſententiæ, una cum vetere hiſtoria ab exordio ipſo Evangelicæ prædicationis ad illibatæ fidei noſtræ Chriſtianæ confirmationem.

DI-

illum & eloquentiſſimum Theophanem Cerameum ex monacho Tauromenii archiepiſcopum; ſed vel ex homiliis iſtius, in quibus paſſim citatur Simeon Metaphraſtes decimi ſæculi ſcriptor, & laudatur Rogerius rex, qui longe tardius in Sicilia regnavit, plane liquet, uni Theophani nihil cum altero commune eſſe potuiſſe.

(*a*) De chartulariis, & eorum numero & officio agemus infra, Diſſert. VII. Cap. IX.

DIPLOMA CCLXXXI.

Fragmentum epiſtolæ Nicolai papæ I. ad Michaelem imperatorem Orient. Petit inter alia, ut Siculum patrimonium, & Syracuſani epiſcopi ordinatio Romanæ Sedi reſtituerentur.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Michaeli glorioſo imperatori Græcorum.

Anno 860. die 25. Sept.

Labbe tom. 9. Cõc. ad hunc annum.

PRincipatum itaque divinæ poteſtatis, quod omnium conditor electis ſuis apoſtolis largitus eſt, ſuper ſolidam fidem apoſtolorum principis, Petri videlicet, ſoliditatem conſtituens, ejus egregium, immo primam Sedem deliberavit. *Et poſt alia capitula hæc ſubjungit.*

Præterea Calabritanum patrimonium (*a*), & Siculum, quæque noſtræ eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidenda obtinuit, & diſponendo per ſuos familiares regere ſtuduit, veſtris conceſſionibus reddantur, quoniam irrationabile eſt, ut eccleſiaſtica poſſeſſio, unde luminaria, & concinnationes eccleſiæ Dei fieri debent, terrena quavis poteſtate ſubtrahantur; ſed domui Dei reſtituta meritum redditoris multiplicent, & ſuſcipientis votum ſpiritalis deſiderii lucris exerceatur. Inter iſta, & ſuperius dicta volumus, ut conſecratio (*b*) Syracuſano archiepiſcopo (*c*) noſtra a Sede impendatur: ut traditio ab apoſtolis (*d*) inſtituta nullatenus noſtris temporibus violetur, &c. Data menſe Septembrio die 25. Indict. ix.

DI-

(*a*) Hujuſmodi patrimonia, Siculum & Calabritanum ſibi reſtitui petit Romanus pontifex, utpote quum ea in fiſcum redegerat Leo Iſauricus. Conſule Dipl. CCLXXIII. ſicut & Diſſertationem v. ad calcem hujus Voluminis edendam.

(*b*) Epiſcoporum Sicilienſium conſecrationes ad Romanum pontificem ſpectabant, ut diſerte oſtendemus infra, Diſſertat. II. num. 8.

(*c*) Syracuſana eccleſia quo anno & quo auctore fuerit ad metropoliticam dignitatem evecta, dicemus infra, cit. Diſſert. II. n. 11. & ſeq.

(*d*) Spectabilis eſt locus iſte ad confirmandam apoſtolicam inſtitutionem eccleſiæ Syracuſanæ. Vide, ſis, Diſſert. I.

DIPLOMA CCLXXXII.

Fragmentum epiſtolæ ejuſdem Nicolai I. Pontif. Max. ad antedictum Michaelem Imp. De ſacrilega Photii in patriarcham Conſtantinop. per Gregorium Epiſc. Syracuſanum facta ordinatione, & de ipſius ejuſdem Gregorii iterata damnatione, & depoſitione (a).

PHotius qui ex ſchiſmaticorum, & ſe a ſanctæ communionis participatione avertentium parte eſſe dignoſcitur, & ex ſæculari adminiſtratione, atque militia, & ex foro ſubito tonſuratus a Gregorio Syracuſano dudum epiſcopo in ſynodo damnato, & ab apoſtolica Sede convicto epiſcopus ordinatus eſt, & vivente ac ſuperſtite conſacerdote noſtro Ignatio ſanctæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ patriarcha, Sedem ipſius invaſit, & ſponſam quam a Chriſto ſponſo immaculatam cuſtodiendam, veluti amicus ſponſi perceperat, non per oſtium, quod Chriſtus eſt, ſed aliunde ex adverſo in ovile dominicum, more furis, atque latronis ingrediens, ac ſi violentus rapax & ſceleratus adulter irrupit. *Et poſt pauca.* *Anno 863. Labbe tom. 9. Côc. col. 1308.*

Gregorium ſane, qui Syracuſanæ eccleſiæ irregulariter, atque Deo contempto præeſt, eo quod & ipſe ex parte ſchiſmaticorum ſit, & poſtquam a ſynodo epiſcopatus officio privatus, & a deceſſore meo ſanctæ memoriæ papa Benedicto obligatus eſt, & Photium laicum ſubito conſecrare in epiſcopatu non formidavit, & de ſacro miniſterio auſus eſt multa contingere, juxta præcedentem conſuetudinem ſancimus, & juxta canonicam deliberationem apoſtolica auctoritate diffinimus, atque ſtatuimus, omni ſacerdotali carere, atque privatum fore miniſterio: ita ut nullo modo liceat ei in qualibet ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis; quod ſi de reliquo præſumpſerit in ſacro officio more ſacerdotis quovis tempore miniſtrare, anathema ſit. Sed etſi contra fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium, turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles averterit, anathema ſit. Et omnes communicantes ei ab Eccleſia abjiciantur, ſed & ipſi anathema ſint.

DI-

(a) Photii pſeudo-patriarchæ Conſtantinopolitani, & fautoris ejus Gregorii epiſcopi Syracuſani hiſtoriam eo libentius hic exponere prætermittimus, quo magis ea jam latet neminem, qui ſacræ eruditionis ſtudium vel a limine ſalutavit, quique ſequentes epiſtolas legere non recuſat.

DIPLOMA CCLXXXIII.

Fragmenta epiſtolæ antedicti Nicolai papæ I. ad præfatum Michaelem Imp. De eodem Gregorio Epiſc. Syracuſano, Photiani ſchiſmatis fautore, millies condemnato: de epiſcopis Siculis qui Romam ad ſynodum ſub Symmacho celebrandam convenerant: de Theodoro Syracuſano, & aliis multis.

Anno 865. Labbe tom. 9. Cõc. col. 1323. & ſeqq.

SImiliter autem & eos qui ſub accuſatione priori conſiſtunt, non ante eſſe acceptabiles in accuſationem epiſcopi, aut aliorum clericorum, quam innoxios ſemetipſos illatorum ſibi oſtenderint criminum.

Quid autem periculi regulæ hujus immineat contemptoribus, non ignoratis. Præterea quis de conſidentibus ibidem non de prædictis exſtitit hæreticis, atque ſchiſmaticis? Nonne Gregorius Syracuſanus millies condemnatus? Nonne Eulampius Petrus, item Petrus, qui pro nefandis actibus ſuis, & ore confeſſis, depoſitionem, deinde anathema inciderunt? Et alii, quos enarrare longiſſimum eſt. Ecce quales inter ceteros erant, qui contra præfatam regulam centum quinquaginta patrum os contra venerandum patrem ſuum aperire non ſunt reveriti. Et quum eſſent ligati, ligare, & quum eſſent mortui, & in ſuis penetralibus jam fætidi, virum per totum mundum redolentem mortificare conati ſunt, & malæ opinionis nidoribus aſpergere tentaverunt. *Et poſt alia.*

Porro quum Theodoricus hæreſeos Arianæ fæce pollutus, papam Symmachum uſque ad damnationem, multis hunc accuſantibus, impetere voluiſſet, & quotquot potuit ex Liguria Æmilia, Valeria, & ex diverſis regionibus, atque de Sicilia (*a*) inſula hujus rei gratia epiſcopos Romam colligi præcepiſſet: & his ad ſe venientibus, dixiſſet: plura ad ſe de papæ Symmachi actibus horrenda fuiſſe perlata, & in ſynodi oportere; ſi vera eſſet inimicorum ejus objectio, indicatione conſtare. Memorati pontifices, quibus allegandi imminebat occaſio, ſuggeſſerunt: ipſum qui dicebatur impetitus, debuiſſe ſynodum convocare: ſcientes quia ejus Sedi primum Petri apoſtoli meritum, vel principatus, deinde ſecuta juſſionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas, ei ſingularem in eccleſiis tradidit poteſtatem, nec antedictæ Sedis antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio. Et rurſus: cauſſas, inquiunt, Dei ipſius

---

(*a*) Quod epiſcopi Siculi Romanæ ſynodi in cauſſa Symmachi revera interfuerit, ac ſe ſubſcripſerint, plane liquet ex Actibus ejuſdem concilii, quæ Rogatum Tauromenitanum commemorant, Eucarpum Meſſanenſem, & Severinum Tyndaritanum.

ipſius eſſe judicio committendas, *qui valet corpus occidere, & animam mittere in gehennam*: qui dicit: *Mihi vindictam, & ego retribuam*: apud quem conſcientia nuda eſt, cui non abſconduntur occulta. Et iterum idem ipſi dicunt: quod dicebatur majori judici ſervabamus, inſtruentes eos, quia per nos illis Chriſtus innotuit, non eſſe ovium lupi inſidias prævidere, ſed paſtoris. *Et poſt alia*.

Porro, ſi venire illi per ſe nequeunt, primo quidem ipſi, cujus rei cauſſa venire non valent, nobis per ſatisfactorias ſuas litteras indicent. Deinde veniant de his, qui cum Syracuſano Gregorio ſunt quotquot voluerint, vices ceterorum tenentes, qui ipſius ſunt partis. Mittantur etiam de parte Ignatii archiepiſcopi, quidam Antonius Cyzici, Baſilius Theſſalonicæ, Conſtantinus Lariſſæ, Theodorus Syracuſanorum, Metrophanes Smyrnæ, & Paulus epiſcopus Ponti Heracliæ, Hegumeni autem Niceta Chryſopoleos, Nicolaus Studii, Doſitheus Oſiidii, atque Lazarus presbyter & monachus, qui dicitur Cazaris; qui niſi fuerint miſſi, ſuſpectos vos reddetis: quia hos in quibus certificari poſſimus, a noſtris obtutibus ſubtrahere ſtudioſe curatis. Et ideo neminem ceterarum partium admittemus, niſi forte quos ex latere veſtro deſtinatos eſſe veraciter valeamus agnoſcere. Quibus ex utraque parte convenientibus, & coram noſtra præſentia, ac fratrum & coepiſcoporum noſtrorum auditis, quid quæſtionis inter utramque partem emerſerit, facilius agnoſcamus, & canonice finiamus. Mittat nihilominus & Photius ex ſua parte quos decreverit, qui modum promotionis ſuæ irreprehenſibilem, & canonicum, ſi poſſunt, edoceant. Necnon & imperialis apex veſter, ſi libet, ſuos e latere mittat aulicos, qui in præſentia poſiti, quem juſtitia & rectitudo utriſque partibus finem dederit, patenter agnoſcant, veſtræque pietati renuntient. Hi vero, qui ex latere veſtro mittendi ſunt, tales ſint, qui & Deum timeant, & non ſint eccleſiaſticarum inexpertes traditionum, atque veritati obedienter, & facile acquieſcant.

Jam vero ſi monitis noſtris obedieritis, & quæ intimavimus, adimplere ſtudueritis, favente Domino, auctoritateque ſanctorum Principum apoſtolorum potiti, licentiam Chriſtianiſſimæ, ac manſuetiſſimæ ſublimitati veſtræ concedemus, cum ſancta catholica & apoſtolica Eccleſia; ſpecialiter autem nobiſcum, & cum conſacerdote noſtro Ignatio, & cum parte ipſius, communionis gratiæ participandi, excepta communione Gregorii Syracuſani, & partis ejus, atque conſentaneorum ipſius communione. Porro, ſi fortaſſis excellentiæ veſtræ non placet, quod ſuperius ſcripſimus, pro mittendis ex utriſque partibus legatis; ſcitote nos nil convenientius, aut commodius, quam hoc fieri poſſe penitus inveniſſe.

DIPLOMA CCLXXXIV.

Fragmentum alius epiſtolæ præfati Romani pontificis ad eumdem Michaelem imperatorem. Rejicit Photii in patriarcham Conſtantinop. promotionem, utpote quæ facta eſſet a Gregorio epiſc. Syracuſano, apoſtolica auctoritate jam damnato, & nonniſi, quam imperatoris ſententia reſtituto.

Anno 866. die 13. Nov.

Labbe tom. 9. Cōc. col. 1355.

QUi, ut cetera nunc omittamus, a Gregorio Syracuſano, vel ceteris ſchiſmaticis inſtitutus, immo deſtructus, contra omne fas alterius præſidere non poteſt eccleſiæ. Nam merito deſtructus eſſe creditur, qui a deſtructo ædificari ſperans, etiam ſi qua alia bona fortaſſis habuit, nimiæ præſumptionis ejus temeritati communicans, perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noſcebatur eliſus? Quomodo quemquam in aliquo eccleſiaſtico poterat ordine (*a*) ſtabilire, qui eccleſiæ unitatem ſcindens, ipſe jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, & dejectus dejicere non potuit, ſic deſtructus conſtruere, & eliſus quemquam ordinare nequivit. In ſummo quippe ſtatus ſui oportet eum vigore conſiſtere, & firmis inniti per omnia baſibus, qui alterum vel proſternere, vel conatur ſtatuere.

Gre-

(*a*) Ordinationem Photii, quam Gregorius noſter ſede dejectus & fidelium communione privatus celebravit, nullam fuiſſe perhibet hic Nicolaus pontifex. Eadem ſentire videntur Acta VIII. ſynodi generalis act. 10. cap. 5. ubi ſancta ſynodus de eodem Photio dicit: *Numquam fuiſſe prius, aut nunc eſſe epiſcopum.* Id tamen cave intelligas de validitate ordinum, & characteris impreſſione: ſane non is umquam fuit eccleſiæ ſenſus, ut ordinationes extra eccleſiam ab hæreticis juxta ritum a Chriſto inſtitutum celebratæ, nullæ eſſent & irritæ, ſed illicitæ tantum & irreligioſæ, quemadmodum perhibent, S. Auguſtinus epiſt. 185. alias 50. agens de Donatiſtis, S. Gregorius lib. 11. epiſt. 67. alias lib. 9. epiſt. 61. agens de Neſtorianis, Tharaſius ad calcem Act. I. ſynodi generalis VII. agens de Monothelitis. Et abſque ulteriori teſtimonio (quum hic dogmaticæ controverſiæ digerendæ locus non ſit) id plane confirmat epiſtola Adriani papæ ad S. Ignatium, hic Dipl. CCLXXXVII. ubi Gregorius noſter, Photius & quotquot ordinati fuerant epiſcopi, extorres denunciantur *ab epiſcoporum numero vel dignitate*; non vero epiſcopali charactere ſecundum ſubſtantiam ſumpto dicuntur exſpoliati. Cui conſonat epiſtola Johannis papæ VIII. ad Baſilium & filios ejus Impp. ex qua plane liquet, quod Photius, propter pœnitentiam communione donatus, nova ordinatione non indiguit, ſed antiquæ tantummodo exercitio. *Photium*, inquit, *ſatisfaciendo, miſericordiam coram ſynodo ſecundum conſuetudinem poſtulantem, in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comminiſtrum, atque coram ſynodo miſericordiam quærendo, in paſtorali magiſterio conſacerdotem, pro eccleſiæ Dei pace, & utilitate, amodo Chriſto favente, recipimus & habemus.*

Gregorius ergo, qui canonice, ac ſynodice depoſitus, & anathematizatus erat, quemadmodum poſſet quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit, niſi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit; nihil dedit.

Per eorum quippe, ut legitur, manus impoſitionem, & invocationem dabatur Spiritus ſanctus, qui noverant mundas ad Dominum manus levare. Ceterum Gregorius qui tranſgreſſor factus eſt legis ad iracundiam ſui magis quam ad conſecrationem alicujus Spiritum ſanctum per impoſitionem ſuæ manus ſine dubio provocavit, etiamſi is qui ordinandus erat, nullas alias haberet ſibi regulas obviantes. Hinc enim ſcriptum eſt: *Qui obturat aures ſuas, ne audiat legem; oratio ejus erit execrabilis*. Si execrabilis, utique & non audibilis, ſi non audibilis ergo inefficax, ſi inefficax, profecto Photio nihil præſtans: nimirum qui vulneratum caput per illam manus impoſitionem potius habere dignoſcitur. Porro ſi prætendit injuſte ab Ignatio ſe fuiſſe depoſitum, quid de omnibus, qui in ſynodo illo tempore convenerunt, ſententiamque in eum protulerunt, perhibebit? Quod ſi & illos injuſte feciſſe dicere præſumit, quare cum eis nunc communicat, & quoſdam eorum ſacerdotio dignos exiſtimat? Quos tamen recte prius non judicaſſe reprehendit, & ſententiæ, quam protulerunt eos ſecundum ſe debere ſuccumbere non neſcit? Sed videamus quorum judicio, vel quorum auctoritate Gregorius poſt depoſitionem, & anathema, honorem epiſcopatus præſit, vel officium priſtinum recepit. Omnes enim illum & depoſitum norunt, & anathematis vinculis obligatum, ac per hoc totius Eccleſiæ communione privatum. Jam vero ſi dixeritis, quia ipſe ſibi Gregorius & honorem reſumpſit, & priſtinum officium recepit; audite quid Apoſtolus dicat: *Nec quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: ſed & Chriſtus non ſemetipſum, clarificavit, ut pontifex fieret*. Sed & venerabiles Antiocheni canones præcipiunt: ſi quis epiſcopus damnatus a ſynodo, vel presbyter, aut diaconus a ſuo epiſcopo, auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio juxta præcedentem conſuetudinem contingere, ſive epiſcopus ſit, ſive presbyter, aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis: ſed & communicantes omnes abjici de Eccleſia, & maxime ſi poſtea quam didicerint adverſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eiſdem communicare præſumpſerint. Carthaginenſes quoque regulæ excommunicatum qui ante audientiam communicare tentaverit, ipſe in ſe damnationem protuliſſe manifeſte denuntiant. Si ergo ſecundum Apoſtolum, nemo ſibi honorem accipit, & Chriſtus non ſe clarificavit, ut pontifex fieret, qui omnes cum Patre, & Spiritu ſancto glorificantes ſe glorificat, & ipſe eſt pontifex, de quo rurſus idem dicit Apoſtolus: talis dicebat ut nobis eſſet pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, &c.

Et ſi epiſcopus, qui damnatus a ſynodo eſt, juxta ſacros canones, ſi auſus fuerit aliquid de ſacro miniſterio juxta præcedentem conſuetudinem contingere, & ante audientiam communicare, ipſe

in ſe damnationem protulit; ita ut nullo modo liceat ei, nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis, ſed & communicantes omnes abjici de Eccleſia: quanta putas Gregorius poena multandus eſt, qui poſt damnationem ſui, & anathema, in hæc omnia commiſiſſe probatur, id eſt & ſuper Chriſtum ſe extulit, & quod ipſe non fecit, iſte & honorem ſibi reſumpſit, & ut pontifex eſſet, ſe arrogantiſſime clarificavit, & ante audientiam excommunicatus communicare, & vetita uſurpare præſumpſit, & damnatus de ſacro miniſterio non ſolum aliquid, verum etiam multa juxta priorem conſuetudinem tetigit? Quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiamſi nulla commiſſa exſiſterent, pro quibus damnari potuiſſet: quoniam prælati judicium ſemper inferioribus formidandum eſt, ne ſi ei non obedierint, licet ab eo fortaſſis injuſte ligentur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa, id eſt, inobedientia, mereantur.

Excommunicatio etiam injuſta timenda.

Igitur prælatos damnare indifferenter, oportet horreſcere. Quicumque vero minoris auctoritatis ſunt, damnare ſolicite caveant, ne majorum ſuorum ſententiam tranſgrediantur: alioquin licet injuſte nonnumquam damnati ſunt, ex ipſa temeraria prævaricatione, culpa quæ non dum forte perpetrata fuerat, & ultio quam culpa nec dum merebatur, proculdubio ſubſequuntur. Nihil quippe lignum vetitum in ſe mortiferum habuit; ſed qui inobedienter ex eo comedit mortem ſibi, & poſteris propinavit: non quia lignum malignum, quum quod Deus fecit, totum fecerit bonum; ſed quod mala ſit tranſgreſſio, nolenti ſubjici, per eam merito ſit orta damnatio. Porro, ſi dicitis, Gregorium ab imperio veſtro, & ab antiſtitibus fuiſſe receptum, percontari libet, o ſapientiſſime imperator, quibus hoc documentis, quibus canonibus jubentibus agi rite poteſt, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur? Id etiam veneranda & univerſali ſynodo Nicæna de utraque profeſſione luce clarius inhibente? Nam a ſæculari poteſtate, nec ligari nec ſolvi ſacerdotem poſſe, manifeſtum eſt: & iccirco affatim approbatur Syracuſanum Gregorium per imperialem tantummodo ſententiam nullo modo valuiſſe reconciliari.

Ubi ſi pontificum quoque ſociatur aſſenſus, quærimus utrum præceſſerit, an fuerit ſubſecutus? Si ſubſecutus eſt, nihilominus ad id redditur, ut abſolutio a ſæculari poteſtate per præcepta valere non poſſit, pontificumque ſecutus aſſenſus, adulationis vel terroris fuerit potius, quam legitimæ ſanctionis: ſi præceſſit, doceatur a quibus, & ubi ille ſit geſtus, ſi ſecundum Eccleſiæ regulam celebratus, ſi a paterna traditione profectus, ſi majorum more prolatus, ſi competenti examinatione depromptus, ſi ad majoris auctoritatis Sedem, quam illa eſt, a qua Gregorius damnatione tenebatur obſtrictus, ſecundum Eccleſiæ regulas eſt relatum, ſi ipſe præſul qui ligavit, abſolvit. Si hæc geſta non ſunt, quo more, quo ritu Syracuſanus Gregorius ſe gloriatur abſolutum, cum nec a pontificibus ordine debito, nec eccleſiaſticis legibus fuerit expetitus, nec a mundana poteſtate potuerit, præter Eccleſiæ tramitem prorſus abſolvi? Jam

vero

vero ſi dicatis: non ego abſolvi, ſed a pontificibus, ut ſolveretur, poſtulavi: e contra illi multo magis a vobis poſtulare debuerunt, ut ſi eum velletis abſolvi, legitima eccleſiaſtici tenoris abſolutio præveniret; & hæc omnia quæ ſuperius dicta ſunt, ſecundum Eccleſiæ tramitem ſervarentur, præcipue cum non ab inferiori vel pari, ſed a majori perſona, & (ſicut ex apoſtolicis canonicis edocemur) ſolum ab eo qui eum ſequeſtravit, aut certe a prima Sede jure poſſit abſolvi. Inferior quippe, vel compar ante latum, vel comparem non annuente majori, abſolvere non poteſt. Sola igitur potior inferiorem convenienter abſolvit. Proinde inferioris loci pontifices eos, quos potior ſuus obligaverat, ſine prima Sede abſolvere non potuerunt.

Verumtamen licet contra Nicænenſes ſacros canones præfatum Gregorium, qui abjectus fuerat, receperint, numquam tamen eum a vinculo damnationis, & anathematis exuerunt, quem abſolutione prævaricatoria potius nexuerunt, & hunc dum ſolvere nixi ſunt, nodis majoribus dediderunt. Quinimmo dum ſententiam majoris contemnentes tranſgreſſi ſunt, vel etiam ſuam tergiverſatorio conſilio, lenique ſenſu ſibimet facti contrarii deſtruere ſunt moliti, pari prævaricatione habentur innexi, & ſimili pœna ſecundum apoſtolicos, & nonnullos alios canones tenentur obſtricti: ita ut communicantes expelli de eccleſia jubeantur, ac per hoc, reos reum juſtificare, conſtat, minime potuiſſe, nec ligatos ligatum ſolvere modo quolibet valuiſſe. Ecce a quibus, o Chriſtianiſſime princeps, Photius eſt inſtitutus. Ecce qualis eſt Gregorius, qui dormitantius convenienter poterat dici. Quamobrem cogita, fili cariſſime, tracta & tecum ſedula meditatione perquire, ſi ſtare Photius poſſit, etiamſi miris virtutibus polleat, etiamſi omni ſcientia fulgeat, quando qui hunc ſtatuiſſe tentavit, dudum jam cecidit: & volens erigi cum conantibus ſe erigere: numquam recuperaturus denuo ruit.

Conſideret ergo divinitus veſter inſpiratus apex, quomodo Photius, etiamſi nihil aliud ſibi jure valeat impedire, queat in ſacerdotali gradu perſiſtere: quandoquidem inſtitutor ſuus cum hic ordinaretur, non ſolum ſacerdotio, verumetiam ipſo carebat Chriſtiano vocabulo: & ſicut jam expoſuimus, nec damnatus juſtificare, nec depoſitus erigere, nec ligatus poteſt quemquam per impoſitionem manus provehere: impoſſibile eſt enim horum aliquid fieri. Judicate ergo, manſuetiſſime imperator, cui potius obediendum eſt, Deo, an hominibus: judicate, cui potius reſiſtendum ſit, poteſtati quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque ſuper cunctam Eccleſiam extulit, an ordinationi Gregorii Syracuſani, cui dicendum eſt: Væ homini illi, per quem in Eccleſiam Chriſti tot ſcandala venerunt: quique olim, ſicut ipſi ſcitis, a fratre & comminiſtro noſtro Ignatio, & a ſynodo, quæ ſub eo erat, depoſitus eſt: & ut apoſtolica Sedes in ejus damnatione conſentiret, ab ipſo conſacerdote noſtro poſtulata eſt. Sed deceſſores mei beatæ memoriæ, Leo, ac Benedictus Sedis apoſtolicæ moderamina ſervantes, noluerunt ſic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reſervarent: unius quippe mediator non eſt.

Qua-

Quamobrem interim depoſitio ipſius a Sede apoſtolica non ſuſcepta, remanſit infirma.

Quumque idem Gregorius per legatum ſuæ partis, Zachariam (*a*) nomine, Sedem agnoviſſet apoſtolicam, in ſua depoſitione nullatenus conſenſiſſe, non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem noſtrum ſævientibus contumeliis conquievit: ſed benignitate Dei, & patientia Sedis apoſtolicæ in ſuperbia abutens, in ipſum videlicet Ignatium patriarcham ſuum rediviva jacula impietatis irreverenter exacuit, & eo ſuperſtite neophytum in Conſtantinopolitanam eccleſiam conſecravit: quin potius & adverſus Sedis iſtius decreta contumax eſſe non deſtitit, qui pro ſe, non contra ſe ipſius ab ea decreta paullo antea data, tamquam ingratus non recolit, & veluti tergiverſator, arma præparat adverſus arma ſibi tutelam ſalutis non modice conferentia, & murum deſtruere nititur, qui ne ipſe deſtrueretur, fortiſſime cuſtodivit. Et agit nunc quantum in ſe eſt, & ea ſtatuta, prorſus habeantur invalida, quæ quum ipſe his egeret, ſupplex petebat, & ut fortiora eſſent adamante, ſubmiſſus optabat, atque ut ſibi auxiliarentur, humiliter implorabat; necnon & contra ea repugnantes forſitan tyrannos, & ſacrilegos judicabat. Niſi enim Sedes apoſtolica ei parceret, ille quoquomodo correverendiſſimum Ignatium poſſet deſtruere, brachium non haberet. At ille uſus eſt Sedis apoſtolicæ bonitate in malignitate, & beneficium in patris ſui convertit exitium.

Dicite igitur, o imperator, obſecro quum ita ſit, quomodo non debeamus nos Ignatium non adjuvare? Aut uſque ad audientiam, quantum in nobis eſt, indemnem non penitus conſervare? Vel quomodo non poſſimus Gregorium, & hos qui ex parte ipſius ſunt, merito condemnare? Quando Ignatius, niſi a nobis eſſet impeditus, ſic illos canonice forſitan ſterneret, ut & eum nullo conamine potuiſſent impellere: iſti qui non nobis hæſerunt, quos in adjutorium ſuum habere promptiſſimos mæruerunt, nec a nobis conſilium acceperunt, ut hi cum patriarcha ſuo, vel pacificari, vel canonice judicari potuiſſent, ſed vires ſuas a nobis ne frangeretur, ſervantes, eas adverſus eum protinus præpararunt. Undique perpendite, quantum nos nunc Ignatio debitores ſumus, qui ſibi obſtaculum, & inimicis ejus facti ſumus defenſionis umbraculum: quamvis nos non ideo judicium iſtorum diſtulerimus, ut ei nocendi jacula præpararent, ſed ut ſic ſententia in hos prolata valetudinem haberet, ut a nobis exami-

---

(*a*) Is forte eſt Zacharias ille Tauromenii epiſcopus, qui Photio adhæſit, & ejus poſtea legationem & epiſtolas Sedi apoſtolicæ detulit, quemadmodum refert Anaſtaſius Bibliothecarius in notis ad I. Act. VIII. ſynodi œcumenicæ, Conſtantinopolitanæ IV. Ceterum de eadem Zachariæ legatione ad Romanum pontificem, ex parte Gregorii epiſcopi Syracuſani agitur quoque in Dipl. CCLXXXVI.

minatio præcederet: & rurſus ſic ab iſtis in eum objecta penitus coram nobis admitterentur, ut partis Ignatii perſona vocata, vel convicta noſtræ præſentiæ non deeſſet.

DIPLOMA CCLXXXV.

Fragmentum epiſtolæ ipſius ejuſdem Nicolai Romani pontificis ad clerum Conſtantinopolitanum. Repetit ea, quæ de ordinatione Photii, & damnatione Gregorii Epiſc. Syracuſani ad Michaelem imperatorem ſcripſerat.

PHotius qui ex ſchiſmaticorum, & ſe a ſanctæ communionis participatione avertentium parte eſſe dignoſcitur, & ex ſæculari adminiſtratione. *Et ſequitur ut epiſtola ejuſdem Nicolai papæ ad Michaelem imperatorem, hic Dipl.* CCLXXXIII. *Anno 866.* Labbe tom 9. Cõc.col.1376. & 1378.

DIPLOMA CCLXXXVI.

Fragmentum epiſtolæ antedicti Nicolai I. Pontif. Max. ad Photium patriarcham Conſtantinop. ſchiſmaticum. De ſacrilega ejus ordinatione a Gregorio Epiſc. Syracuſano jam damnato facta, deque legatione Zachariæ ad Romanam Sedem ex parte ipſius Gregorii ſuſcepta.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei viro Photio (*a*).

INnumerabilium reperiris prævaricationum obnoxius, & venerandorum canonum, atque paternarum diffinitionum, quinimmo & divinorum mandatorum contumeliis multipliciter, ac impudenter elatus: ſiquidem & ex ſchiſmaticorum; ſed & quum venerabilis frater & coepiſcopus noſter Ignatius Conſtantinopolitanam regeret eccleſiam, a ſanctæ communionis participatione contra regulas avertentium parte fuiſſe dignoſceris, & ex ſæculari adminiſtratione, atque militia, & ex foro ſubito tonſuratus, a Gregorio Syracuſano dudum epi- *Anno 866.* Labbe tom.9. Cõc.col.1389.

(*a*) Confer cum epiſtola hoc anno Michaeli imperatori de eodem Photio inſcripta, hic Dipl. CCLXXXIV.

epiſcopo a ſynodo damnato, & ab apoſtolica Sede convicto epiſcopus ordinari, & nuncupari paſſus, etiam vivente, ac ſuperſtite Ignatio patriarcha, Sedem ipſius invaſiſti; & ſponſam quam a Chriſto ſponſo immaculatam cuſtodiendam, veluti amicus ſponſi perceperat, non per oſtium, quod Chriſtus eſt, ſed aliunde ex adverſo in ovile Dominicum more furis vel latronis irrumpens, ac violentus, rapax, & ſceleſtus adulter ſurripuiſti. Et præter, immo adverſus apoſtolicos canones, ſæcularibus poteſtatibus uſus, eccleſiam per eos obtinuiſti. *Et poſt pauca.*

Primum quidem, quoniam quando Zacharias (*a*) qui ſe prætendebat epiſcopum, ex parte Syracuſani Gregorii, & collegarum ejus, apoſtolicam Sedem adiit, eorum depoſcens renovari judicium; hos ſe in appellatione canones, & eos a quibus miſſus exſtiterat, fuiſſe ſecutos ajebat. Deinde nos diligentiſſime requirentes, reperimus ipſos canones eo ſenſu, & numero non ſolum in novis, verum etiam in veteribus, atque authenticis codicibus qui veraciores ſoliti ſunt inveniri, Græce conſcriptos, quo ceteris latinis canonibus inſerti eſſe cernuntur, nimirum qui & a præſulibus provinciarum pene totius orbis diffiniti ſunt, & illis omnibus ſatis placuiſſe per eadem exemplaria Græca monſtrantur.

DIPLOMA CCLXXXVII.

Epiſtola Adriani papæ ad patriarcham Ignatium. Confirmat quæ adverſus Photium, & Gregorium Syracuſanum epiſcopum definierat ejus deceſſor Nicolaus papa I.

Adrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimo, & ſanctiſſimo confrati & comminiſtro noſtro Ignatio patriarchæ Conſtantinopolitano (*b*).

Anno 867. Labbe tom. 10. Cōc. col. 799.

NEc ſcriptura pandere, nec profecto lingua ſufficit enarrare quantas, o dilectiſſime frater, pro eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatu, atque pro tua ſpecialiter erectione, certaminum palæſtras deceſſor meus ſanctæ memoriæ papa Nicolaus cum ſubjecta ſibi eccleſia indeſinenter exercuit, & uſque ad melioris vitæ tranſitum toleravit, adeo ut

(*a*) Eumdem eſſe putamus, de quo hæc exhibet Anaſtaſius Biblioth. in notis ad Act. I. concilii Conſtantinopolitani IV. *Methodius metropolita Gangrenſium, Samuel Chonorum epiſcopus, atque Theophilus Iconii, & Zacharias Tauromeniæ pſeudo-epiſcopi, qui legationem & epiſtolas a Photio Sedi apoſtolicæ detulerunt.* Eumdem Zachariam, Gregorii epiſcopi Syracuſani legatum, memorat idem Nicolaus PP. in cit. epiſt. ad Michaelem Imp.

(*b*) Conſule quinque epiſtolas Nicolai I. proxime exhibitas.

adeo ut in ipſo ſuæ migrationis articulo pro commendanda cauſſa tua, vel eccleſiæ tibi divinitus commiſſæ, nec ſcribendo ſibi pepercit, nec pro hac, ſi non loquendo, ſaltem innuendo, ceſſaverit; donec officium dumtaxat oris amitteret, & oculos penitus obſeraret. Cujus affectum & nos quoque ſumentes, ſicut divina gratia ei ſucceſſimus in honore, ita & merito ſucceſſimus in labore, & ſicut ſudorum ejus, & diſpoſitionum tunc exſtitimus communicatores, ita quoque nunc optamus & ſatagimus eſſe in cunctis obſervatores. *Et poſt aliqua*. Præterea quæ præfatus apoſtolicæ recorditionis pontifex regulariter ac ſynodice tam de ſchiſmatico & mœcho Photio, & ordinatione, immo execratione ipſius, atque Syracuſano Gregorio, quam etiam de te ſpecialiter, & de compatientibus tibi ſanxerit & definierit, tenore valebis ejus epiſtolarum, quas ſuper his diverſo tempore Conſtantinopolim deſtinavit, patenter edicere: *Et paucis interpoſitis*. Quamobrem & in his, ſuper quibus a nobis diſpoſitiones & diſcretiones exigis, nil ſequendum præter ejus divinitus inſpirata decreta conſpicimus; præ omnibus & ſuper omnia Gregorium Syracuſanum, & Photium tyrannum & quos idem Photius in gradu quolibet ordinaſſe putatus eſt, ab epiſcoporum numero vel dignitate, quam uſurpative ac ficte dedit merito ſequeſtrantes (*a*).

DIPLOMA CCLXXXVIII.

Epiſtola Photii pſeudo-patriarchæ Conſtantinopolitani ad Euthymium Catanenſem metropolitam. Euthymio blandis verbis reſpondet Photius ab eo reprehenſus.

Photius patriarcha Conſtantinopolitanus Euthymio Catanes metropolitæ (*b*).

OTium quidem ſuppetere mihi, ut tua narrem, deprecor, non opto, ſuppetere autem, ut audiam tu objeciſti. Quid ergo reprehendis, quod nec ea quæ ſperabam audivi, & quod ſilentium in his tenui, quibus nec aures libenter darem; ſed ſi propterea quod hæc audivi, tandem ſuſtinui; ideo de amicorum conceptu reus ac-

Anno 858. circiter.

Pyrrhus Not. Eccl. Cat. ad annum 854.

(*a*) Locus iſte facile datur intelligi ex his quæ expendimus in notis ad Dipl. CCLXXXIV.

(*b*) De hujuſmodi epiſtola aliud nobis dicere non licet, præter id quod ſcripſit eruditiſſimus ac humaniſſimus vir, Vitus Amicus & ipſe Catanenſis, & rerum patriæ ſuæ indagator diligentiſſimus; *Catana Illuſtr.* par. 1. lib. 4. cap. 3. n. 17. *Quid hæc velint innuere, divinare vix poſſumus; fortaſſe apud Photium delatus Euthymius, queſtus hic eidem fuerat, quod minime de objecta ſibi calumnia monue-*

cuſandus ſum; quid facient qui ea fecerunt, per quæ & amicos libertate pro illis loquendi privaverunt, & inimicorum linguas non ſolum contra ſe, ſed etiam contra eos qui propinqui aliquando fuerunt, exacuerunt? Quid ergo facere oportet, a quo nomine appellem? Et nobis pro te utinam libertatem, quam habemus reddere, & nihil audire iñ jucundum de te, ſed omnes, qui tibi male dicunt, os claudere, ad priſtinum ſtatum rediendo.

DIPLOMA CCLXXXIX.

Epiſtola ejuſdem Photii ad Gregorium epiſcopum Syracuſanum. Pro Eccleſia ſe pati ſimulat, atque ipſum Gregorium ad ſacra peragenda hortatur (*a*).

Anno 870.

Baron. Annal. Eccl. ad ann. 870. n. 59.

QUæ ad conſummationem Eccleſiæ Dei, veſtra ſacerdotalis agit ſanctitas, in his mediocritas noſtra jampridem, atque ab initio vobiſcum ſentit. Itaque non indigetis de his aſſidua commonefactione, maxime vero nunc quum clarius quavis voce, & perfectius nos invicem de rebus noſtris edocent, inque unam eamdemque adducunt ſententiam, tum communis ob Chriſtum perſecutio, tum communia, atque inaudita, & omnibus ſæculis inenarrabilia mala, in quibus decertare propter Dominicorum mandatorum conſervationem, & cuſtodiam nobis præcipitur. Intende igitur, & proſpere procede, manus imponens, & ſacra perficiens, gregem Chriſti augens, & multiplicans, veneranda templa extruens, & conſecrans, præſertim his temporibus, in quibus & ſacerdotes, & ſacerdotium ex parte quidem illorum ter infidelium conticuit atque ex hominibus ſublatum eſt. Solitudo, & vaſtitas Romanam rempublicam occupat pro ſuperiore ordinis pulchritudine. Res Chriſtianorum a fundamentis ipſis everſæ ſunt. Quibus quis alius Jeremias digne ingemiſcat? Quis ſuis lamentationibus poſſit tantæ ſolitudinis tragicæ explicare, & oſtendere magnitudinem? Sed hæc quidem etiam tacendo clamant. Tu vero mihi alioqui vale, & pro noſtra mediocritate ora.

DI-

nuerit. Hinc hiſce verbis patriarcha ſeſe appoſite excuſat. Ceterum Euthymius Photianum ſchiſma, cui prius hæſerat, in VIII. generali ſynodo adeo deteſtavit, ut cum patribus aliis publice anathematizaverit quos antea habuerat erroris ſocios non dum reſipiſcentes, ut patet ex actis ejuſdem concilii.

(*a*) Photius ſcribit Gregorio ſchiſmatis ſocio, & pari Romanæ Sedis ſententia proſcripto. Conſule Dipl. CCLXXXII. & quinque immediate ſequentia.

DIPLOMA CCXC.

Fragmentum epiſtolæ apologeticæ Ludovici imperatoris Occidentis ad Baſilium imperatorem novæ Romæ. Baſilium ad mittendam claſſem adverſus Saracenos hortatur, ſuumque illi conſilium de recuperanda Sicilia manifeſtat.

ET quia nonnulli Saracenorum Panormi (*a*) latrunculi cum ſagenis, ſolatio, & refugio jam memoratorum Neapolitanorum freti, per Tyrrhenum mare debacchantur: oportet ut ad hos capiendos, tuæ fraternitatis ſtolus ſine dilatione mittatur. Iſti ſunt, qui cum Calabritanis Saracenis indefeſſa ſtipendia præbent, & iis qui Panormi ſunt, auxilia quotidiana miniſtrant. Unde ſi capiantur ſagenæ, maxima ex parte Saraceni, tam Panormi, quam Calabriæ conſtringentur. *Anno* 870. Baron. ann. 871. n. 51. & Goldaſt t. 1. Cōſtit. Imper. ann. 871.

Nos enim Calabria Deo auctore expugnata, Siciliam (*b*) diſpoſuimus, ſecundum commune placitum, libertati reſtituere, quod tantum erit utrumque facilius, quantum illi, divina dextra captis navibus, & latrunculis, fuerint amplius, & celerius infirmati. Nulla ergo tarditas nulla mora, frater cariſſime, in mittendo ſtolo proveniat, ne vel per eſcarum a mari receptarum abundantiam, vel per adventarium Agarenarum claſſium numeroſitatem horum vires non infirmentur, ſed roborentur: & ſic roborentur, ut poſtea difficilius infirmentur, ſed & fruſtra noſtræ per ſiccum indefeſſe certamen arripient, ſi ſic ipſi per æquora fuerint aliqua ſtipendia, vel copioſam multitudinem conſecuti.

(*a*) De Saracenis Panormum ingreſſis agunt præterea Leo Marſicanus *Chron. Caſin.* ad annum 820. Erempertus *Epitom. Hiſt. Longobar.* ad annum 812. & Johannes Curopalata *in Baſilio Macedone*.

(*b*) Ludovicus imperator Occidentis, etſi ad eum Sicilia non pertineret, ejus tamen ærumnas compatitur, & reſtituendæ libertati intendit. Hocce exemplum æmulati inde ſunt imperatores, Otto I. & Henricus I. infra Dipl. CCXCIII. & CCXCV.

DIPLOMA CCXCI.

Epiſtola (a) Theodoſii (b) monachi ad Leonem archidiaconum. De excidio Syracuſarum.

Anno 878. *circiter.*

Ex Cod. M.S. Monaſt. S. Salvat. Meſſanæ.

EOrum quæ nobis evenerunt, vir diviniſſime, ſingula perſequi velle, ſane diuturnius opportuniuſque temporis ſpatium poſtulare videtur; breviorque epiſtola eſt, quam ut totam rerum geſtarum ſeriem complectatur. Contra vero penitus hæc ſilere, communemque doloris ſenſum, quem ex his cepit totus ferme orbis terrarum; facile enim mihi perſuadeo, condoluiſſe nobis eos, apud quos vel ſolum Syracuſarum nomen devenerat: valde ſtupentis animi, morboque indolentiæ apprime laborantis, futurum fuiſſe exiſtimavi. De qua re prophetarum quidam, tamquam ex ore Dei, ſic eſt locutus: male illos accepi flagris, nec tamen doluerunt. At ſi quocumque modo narrationem harum rerum inſtituam, bene utriſque conſultum erit, mihi quoque aliquam afferet conſolationem oratio, qua mœroribus illis relevatum iri confido, quibus nunc male diſcrucior (c). Quippe ſic natura comparatum eſt, ut ea quæ nobis moleſtiæ ſunt, ſi ſermone vulgaveris, animi levent ægritudinem. Tibi vero merces minime fluxa hinc accedet, ſi compatiendo lacrymis narrationem proſequeris. In hoſtium (d) tandem poteſtatem devenimus: capti demum fuimus, o vir divinis honoribus perfuncte; nec ſane pejora ſunt Jeroſolymæ expertæ, quum caperentur, nec Samaria, prior Jeroſolymis expugnata: talem paſſi ſumus direptionem, quam non inſulæ Chetim umquam agnovere: non regiones barbaricæ, non urbes quæcumque in medium afferri poſſent. Ejuſmodi fuit hoc excidium, ut eodem die, quibus antea propugnatum erat, arcus & pharetras contriverit, arma gladium & bellum dejecerit, ſtrenuos quoſque cum viros, tum etiam mulieres debilitaverit, propugnatoreſque gigantes, (ſic enim magnanimos illos appellaverim, qui egregie operam ſuam præſtiterunt, qui & famem antea tolerare, & labores quoſcumque ſu-

Jerem. c. 2.

(a) Epiſtolam hanc ex Græcis codicibus manu exaratis Bibliothecæ S Salvatoris Meſſanæ exſcriptam publicaruut, Octavius Cajetanus tom. 2. *Sanctor. Siculor.* pag. 272. Rocchus Pyrrhus *Notit. Eccleſ. Syracuſ.* ad annum 878. Johannes Baptiſta Caruſius *Biblioth. Hiſtor. Sicil.* tom. 1. pag. 24. Ludovicus Antonius Muratorius *Rer. Ital. Script.* tom. 1. par. 2.

(b) De eo diſerte agunt, Octavius Cajetanus cit. tom. 2. *in Animad.* pag. 102. Hieronymus Renda - Raguſa *Siciliæ Vet. Biblioth.* elog. 328. pag. 269. Antoninus Mongitor. *Biblioth. Sicul.* tom. 2. verbo *Theodoſius* pag. 249.

(c) Ex eo enim horrido carcere Theodoſius epiſtolam dedit, quem infra diſtincte deſcribit.

(d) Syracuſanam hanc cladem ulterius deſcripſerunt, Nicetas cognomento David in *Vita S. Ignatii patriarchæ Conſtantinop.* & Johannes Curopalata *in Baſilio Macedone.*

ſubire, & vulneribus confici prope infinitis pro Chriſti amore non dubitarunt, & poſt captam urbem gladiis contrucidati ſunt) hoſtium violentiæ cedere coegerit. Tandem in hoſtium manus incidimus, quum antea diu ac ſepius fuiſſet ad muros propugnatum, quum etiam navali prælio (horrendum ſane ſpectaculum, ipſiſque intuentium oculis conſternationem ingenerans conſternatur enim aſpectus rerum atrocitate, quæ ſæpe illi objiciantur) fuerit multoties decertatum. Victi fuimus poſt multas nocturno tempore factas obſidiones, & hoſtiles inſidias; poſt admotas muris machinas, quibus totum fere diem tundebantur; poſt gravem illam in noſtra propugnacula lapidum conjectorum procellam; poſt illas urbium vaſtatrices teſtudines, mureſque ſubterraneos, quos vocant: nihil enim eorum, quæ ad urbis expugnationem cenſebantur idonea, intentatum reliquerunt ii, quibus obſidendæ urbis cura incumbebat, quibus quum jampridem urbis potiundæ cupiditas animos inflammaſſet, ſumma animorum contentione decertabant, quo quiſque pacto ceteris præſtaret, novas in ſingulos dies machinas excogitando, quibus urbs capi, diripique facilius poſſet, quamquam ab hiſce Deus altiſſima ſui conſilii ratione admirabili nos quodam modo protexit. Quid vero neceſſe eſt more tragico ejulantem latius perſequi, quantam & qualem in nos malorum congeriem invehere ſummo ſtudio conati ſunt hoſtes? Quid indictum infectumque reliquerunt, quod ad timorem incutiendum iis, qui detinebantur obſeſſi, animoſque conſternandos, facere viſum eſſet?

Tempus admonet, ut ad ea quæ intus gerebantur, orationem convertamus, deque iis excurſim aliqua dicamus: Foris vaſtabat gladius, & intus pavor, ut pervetuſto illo oraculo Moyſen res noſtras vaticinatum eſſe plane aſſeverarim. Quum enim æque ac a populo Iſraelis, in Deum antea nobis peccatum eſſet, eumdem quem olim ille, divinæ iracundiæ calicem potavimus: capti ſumus, poſteaquam ſordida quæque rerum egeſtate compulſi in os congeſſimus. Quin & ad liberorum etiam comeſtiones (rem nefariam, & ſilentio prætereundam) proceſſimus, quum antea nec ab humanæ carnis eſu (heu quam horrendum ſpectaculum) abhorruimus. Sed quis hæc pro dignitate tragice deploraverit? Non a coriis, bubuliſque pellibus abſtinuimus; non ab aliis quibuſcumque rebus, quæ fame enectis quidquam ſolatii afferre poſſe crederentur; ne oſſibus quidem aridis parcentes injucundam nobis cœnam apparabamus. Novum profecto, & ab omni mortalium uſu abhorrens alimenti genus. Etenim Syracuſanorum complures (quid homines non cogit fames importuna) quadrupedum oſſa molere primum, tum aquæ per pauxillo conſpergere, quamvis abunde nobis aquas ad hos uſus Arethuſæ fons (*a*) ſuppeditaret; atque hoc invento famem ſedare miſerrimi homines cogebantur: jam enim

(*a*) Hocce de fonte agunt, Seneca *de Conſolat. ad Marciam.* cap. 27. M. Tullius Verr. 4. Diodorus Siculus lib. 5. Strabo lib. 6.

enim tritici modius centum, & quinquaginta nummis aureis venalis erat; piſtores vero pluris vendebant, quippe ducentis aureis. Unde fiebat, ut duarum unciarum panis, rem miram, nummo aureo venderetur; adde quod trecentis aureis, & eo amplius jumentum quomodocumque edule venum ibat, & quinque ſupra decem, quandoque etiam viginti conſtabat equinum caput. Aſininæ carnes etiam in deliciis habitæ; jamvero domeſticarum avium defecerat genus. Oleum autem, & falſamentorum cujuſcumque generis obſonia, vel ea quæ, ut ait Gregorius theologus pauperum eſſe cibus ſolent, jam erant abſumpta; caſei, leguminum, & piſcium eſus omnino nullus; jam enim unius, atque alterius portus (*a*), quibus interjacent Syracuſæ, per vim hoſtes poſiti fuerant: quum antea arces quæ brachiola dicebantur, & ab ingreſſu portuum hoſtes arcebant ſolo funditus adæquaſſent. Illud vero longe moleſtiſſimum accidit, nam ſæviſſima peſtis proh dolor! famem ſubſecuta eſt. Morbus etiam tetanus a nervorum contractione ſic dictus quoſdam divexabat: quibuſdam autem apoplexia dimidiam partem corporis arefaciebat, alios repentino mori cogebat; nec defuere qui eodem morbi genere correpti, aut corporis dimidium movere tantum poterant, aut omnino omni movendi corporis facultate deſtituebantur. Alii inſtar utrium inflato corpore, horrendum ſui ſpectaculum intuentium oculis exhibebant, quouſque mors illis ſuperveniens (nam hæc quoque divino imperio parebat, atque ex hujus præſcripto nonnihil retardabatur) ægre tandem miſeros graviſſimis doloribus liberabat. Enimvero iis quæ jam a nobis memorata ſunt, per multa alia adjungi poſſent, quæ longiore indigerent oratione, quam ea quæ ab homine in cuſtodiam dato proficiſci poteſt. Quid enim aliud potero, quam res tam grandes paucis perſtringere ac tenuare, qui in carcere incluſus, ne horam quidem habeo pacati otii? Denſiſſima carceris caligo quæ ob oculos verſatur aſpectum hebetat atque obtundit: tumultus eorum qui ſimul in eadem aſſervantur cuſtodia, mentem agitant, atque perturbant.

Turris quæ ad majorem portum in dextero urbis angulo erat extructa, catapultarum vi, quibus hoſtes ſaxa prægrandia jaculabantur, conceſſa primum, mox ex parte cecidit: ab hujus turris excidio, quinque poſt diebus, murus propugnaculi qui fuerat antea turri conjunctus, eodem catapultarum impetu diſruptus eſt. Quo facto magnus timor in obſeſſorum animos injectus; hoſtium tamen impreſſionem ſuſtinebant egregii illi viri, valdeque ſtrenui ſub auſpiciis beatiſſimi ducis patricii, ſummæque contentioni hujus obſecundari conabantur, ſupra quam oratione explicari poſſit. Dies viginti, totidemque noctes, ubi murus corruerat contra eos qui aditum ex illa parte tentabant, egregie, ſtrenueque depugnabant, animi ingenitam nobilitatem præ ſe

Cives ſtrenue hoſtem propulſant.

(*a*) Syracuſarum urbi duo erant portus, quos in Verr. memorat cit. M. Tullius: *Portus habet prope in ædificatione, adſpectuque urbis incluſos.*

ſe declarabant, inſignem quoque laudem eſſe ducebant, pro tuenda urbe vulnera toto corpore excipere. Jamvero ſi quis ad illud urbis propugnaculum ſe contuliſſet, quod adverſum, vulgi ſermone dici conſueverat, per multos ibi viros poterat intueri miris, diverſiſque modis mutilatos: erant qui effoſſos oculos haberent, his quidem nares truncæ: his vero aures cernebantur amputatæ, aliis palpebræ, aliis maxillæ ex telorum & ſagittarum ictibus ſanguine rubeſcebant, quibuſdam frons, & cor etiam ipſum modis variis vulnerabantur, venter aliis, aliis pectus acceptis vulneribus ſcatebat; atque ut compendio dicam, non aliqua tantum, ſed omni ex parte laborabant. Hoſtes enim totis copiis urbem obſidebant, erantque numero ſuperiores adeo ut centum ex illis, quod vix aſſequitur fidem, cum uno e noſtris manus confererent; gloriaque non vulgari antagoniſtas augerent, egregiæ virtutis facto periculo. Equidem Athletarum ſtudium appellabam, quoties eo loci ventitarem, in quo fortiter, præclareque agentes, magnam ſibi ex præclare geſtis gloriam comparabant, quum vero flagitiorum noſtrorum numerus uſque adeo excrevit, ut diſtrictum in nos divinæ ultionis gladium inebriaret; die prima poſt vigeſimam menſis Maji, quarta vero ab eo die quo murus corruit, civitas in hoſtium poteſtatem redacta eſt. Modum autem quo fuerit expugnata, opere pretium erit dicere; fuit enim horroris plenus, quum enim Dei ſevera in nos animadverſio, eorum qui fortiter hoſtibus reſiſtebant, ſtrenuiſſimum quemque huc atque illuc diſſipaſſet, & inclytum patricium, cum ejus commilitonibus, ad corpora procuranda, a mænibus in domos proprias avocaſſet, barbarorum animos impulit, ut ad fatalem illam turrim, de qua ſuperius obſidionem integrarent, machinis illis adhibitis, quæ ad lapidum projectum uſui erant. Tali enim ludicro parricidæ illi urbem invadentes ſeſe oblectabant, nec ſane difficili negotio graſſabantur paucis admodum militibus cuſtodientibus partem illam, propterea quod opportunum illud pugnandi tempus cives non extimabant, ſecurique propugnatores alia omnia, quam ad propugnacula ſe conferre meditabantur. Dum igitur hoſtes in urbem lapides horrendum in modum, conjectarent, totumque illius ambitum complerent, ſcala quædam lignea per quam propugnatoribus erat pervia ſemidiruta turris effringitur, quo facto rumor ingens exortus eſt, quem quum audiviſſet patricius continuo ſurrexit impranſus e menſa, pro ſcala valde ſolicitus animi.

Turris ſemidiruta tãdem expugnatur.

Jam vero barbari ſimul illam diſruptam perſenſere, quippe quum prope ipſam lapidum projectio contigiſſet, muro magna cum alacritate propinquam. Quumque nonniſi paucos in turris præſidio poſitos conſpicati eſſent, hos fortiter ibi repugnantes contrucidarunt, inter quos erat etiam beatus Johannes patrianus: quo facto libere in illam conſcendunt, eamque demum potiti ſunt. Hinc vero deinceps in morem fluminis, per totam urbem diffuſi, in illorum conſpectu volitabant, qui ad repugnandum adhuc congregabantur. Ac primum iis qui ad Servatoris ædis veſtibulum contra eos aciem inſtruebant ad unum trucidatis, magno impulſu valvas aperiunt; templumque

ſu-

ſubeunt ſtrictis enſibus, crebro anhelitu ignem naribus, oculiſque ſpirantes. Tum vero omnis ætas eodem temporis momento in acie gladii corruit. Princeps & omnes judices terræ, quod in pſalmis canere ſolemus, juvenes, & virgines, ſenes cum junioribus, monaſticam profeſſi, tum matrimonio copulati, ſacerdotes, & populus, ſervus, & liber, quique in lectis multo jam tempore valetudinarii decumbebant. Nam ne his quidem parcere, Deus bone, carnifices illi didicerunt. Animus enim humani ſanguinis ſitiens eorum mortibus, qui primo iratis occurrunt, minime ſatiantur: erat igitur tum videre, ut divini Sophoniæ verbis utar diem illum, diem calamitátis & miſeriæ, diem anguſtiæ & ruinæ, diem tenebrarum & caliginis. Poſt hæc autem (quid enim pluribus oportet ſingula eorum percenſere, quæ primariis urbis viris evenere; præſertim cum auribus ipſis, ne dum animis horrorem incutiant?) inclytus patricius qui ſeſe in arcem quamdam receperat, poſtridie una cum ſeptuaginta viris vivus capitur, atque octavo ab urbe expugnata die, capitali ſupplicio plectitur. Quod quidem adeo excelſo, fortique animo pertulit, ut nihil humile, nihil ſua conſtantia indignum admiſerit, ne leve quidem timiditatis alicujus argumentum monſtraverit; nec mirum, quando antea nullo pacto adduci potuit, ut urbis proditionem ſalutis propriæ cauſſam faceret, præſertim quum per multos haberet hujus conſilii non probatores tantum, verum ſi voluiſſet, etiam adminiſtros. Ille vero maluit cum honeſtate mortem oppetere, ut eorum qui cum ipſo erant, ſaluti proſpiceret; atque unum pro multis ad Chriſti imitationem caput objicere periculo, (quamquam hoc homicidarum animos ad commiſerationem neutiquam flexit) quam aliquid nobilitate ſua indignum mente complecti: cujus animi magnitudo, atque ad ſubeundum ſupplicium alacritas ipſi quoque Buſæ, Ameræ Chagebis filio, qui mortis auctor fuit, magnæ admirationi fuere. Verum ipſe ad bene, beateque moriendum hinc ſibi talia præſidia comparaverat, propterea quod omne belli tempus in mortis contemplatione tranſegerat, eiſque qui ſecum obſeſſi erant viam, quæ ducit ad immortalitatem optimis cohortationibus commonſtraverat. Unde per hæc pietatis officia exceſſum vitæ minime habuit formidandum quibus enim aſſidua præméditatione cautum eſt, ne imparatum pectus habeant ad hæc extrema ſubeunda, hiſce non injucunda erit, hinc ad cælum, quum contigerit, tranſmigratio. Ceterum barbari in illos etiam, quos cum patricio ceperant, (erant autem omnes hi Syracuſis honeſtiſſimo loco nati) cum quibuſdam aliis captivis, extra urbem ductos, & in orbem diſpoſitos uno impetu invadunt agreſtium canum in morem, & hos quidem lapidibus, hos vero baculis, alios haſtis quas præ manibus habebant, quoſdam etiam quibuſcumque, quæ ſe fortuito obtuliſſent, inſtrumentis crudeliſſime inſectantes, morti dabant: & adhuc animis immaniſſime ſævientes horum corpora ambuſtione abſumebant.

Secuta omnium cædes. — *Et particeps dux cum 70. viris.*

Nec vero ſilentio præteribo qualia barbaræ crudelitatis exempla in Nicetam exercuerint; erat hic Tarſenſis genere, atque in re militari apprime eruditus & ſtrenuus, qui oppugnationis tempore im-

Nicetas vivus decorticatur.

impium Mahometem, apud eam nationem prophetarum eminentiſſimum habitum, maledictis compluribus quotidie proſcindebat; hunc ab interficiendorum numero ſevocatum, humi reclinantes ſupinum, (tuam, Deus, clementiam imploro) a thorace pectoris ad pubem uſque vivum decorticarunt; effuſa vero perſectionem viſcera contis dilaniabant, ad hæc cor ipſum, manibus avulſum ab homine adhuc ſpirante, pluſquam immaniter dentibus mandebant primum, poſtea ad terram alliſum, petitumque lapidibus, tum demum exſaturati reliquerunt, verum de his alias.

Ego vero, qui jam iterum cum epiſcopo in gratiam redieram, atque in epiſcopii templo, una cum ipſo, ſtatis precibus, hora ſexta, operam dabam, turrim a Barbaris expugnatam auribus cepi, quum ad finem cantici ventum eſſet: quo nuntio non mediocris fuit audientium animis pavor injectus. Etenim quid ni timendum nobis eſſet, incruentas hoſtium manus mox certiſſime incurſuris? Animum tamen quoquo modo recipientes, dum adhuc hoſtes ante proſpectum templi in deprædando eſſent occupati, nudi ac verecundi, quippe detractis omnibus aliis indumentis, præter illa quæ ex corio confecta geſtabamus, ad altare ædis maximæ cum duobus aliis clericis perfugimus: conſueverat ad hanc aram beatiſſimus pater Deum iratum conciliare, opemque ipſius pro ſuis filiis implorare, ac voti compo fieri; qua in re illum experientia mirificum ſæpiſſime comprobavit, quamquam id temporis arcano divinorum judiciorum conſilio preces ejus rejectæ fuerant: quum ergo in his eſſemus periculis conſtituti, alter ab altero, ſi quid peccatum eſſet, veniam petebamus, ac viciſſim donabamus. Deo vero gratiæ agebantur, quod iſta nos perpeti decreviſſet. Jam vero dum epiſcopus Angelo (*a*) tutelari ſuam eccleſiam commendaret, en adſunt extemplo hoſtes diſtrictis gladiis, ſanguineque perfuſis, qui per totam ædem vagantes alius alio deflectebat, quorum unus a circumfuſa multitudine digreſſus ſacrum altare adit, ibique nos inter ſedem & aram latitantes offendit, comprehenditque, nihil tamen barbarum in nos eſt molitus, nempe Deo cor ipſius quadamtenus permulcente; nihil iracundum ſonuit, aut minax, vultu ad terrorem compoſito, quamvis eſſet enſe nudato armatus, qui fumabat adhuc calidum ſanguinem atque diſtillabat: is in epiſcopum intuitus, ab illo Græce (*b*) percontatus eſt, quiſnam eſſet? Remque ut erat edoctus, ubi nam, inquit, ſunt eccleſiæ ſacra vaſa? Quum autem cognoviſſet de loco, educit e ſacro templo epiſcopum ſeorſim ab omni turbatione,

Epiſcopus Angelo tutelari eccleſiam commendat.

(*a*) Cuilibet eccleſiæ Angelum tutelarem eſſe, patrum docet traditio: conſulendi itaque ſunt, Orig. hom. 23. *in Luc.* D. Hilarius in pſalm. 129. S. Hieronymus quæſt. 8. *ad Hæditiam* S. Greg. Naz. orat. 35.

(*b*) Arrepta ex hoc loco occaſione, aliqua de uſu Græcæ linguæ in Sicilia expoſuit idem Cajetanus *in Animad.* ad hanc epiſtolam n. 20. Quod argumenti genus opportunius illuſtravimus in noſtro *de Divinis Sicul. Offic.* Tractatu cap. 4. & 8.

ne, atque tumultu, noſque cum ipſo tamquam agnos poſt paſtorem ſequentes: quumque in ſacellum, ubi repoſita ſacra vaſa aſſervabantur, noſtro ductu perveniſſet, in eo nos incluſos detinet, eodemque ſatagit, uti majores natu barbaræ nationis quamprimum conveniant: quo facto de nobis apud ipſos narrationem inſtituit Semnoen; id enim nominis tum illi inditum, quem claris ortum eſſe parentibus, poſtea comperimus: cujus oratione permoti, dicam melius, Deo ad bonum exitum omnia perducente, bene animati hoſtes in nos eſſe cœperunt, eodemque die ſacra deprædati, (erant autem hæc omnia perfecti operis, quinque millia librarum ponderis) captivos nos egredi ex urbe fecerunt, dolore, ut omittam cetera, vehementi confectos, atque ad Ameram qui in veteri majore eccleſia conſederat, traduxerunt. Hic autem in una earum, quæ ibi reperiebantur cameræ, concluſos reliquit; illic omnimodis incommodis affici corpuſculum fuit neceſſe; nam & gravi odore locus repletus eſt eo ſcilicet qui ex naturalibus excrementis exoritur, vermibus etiam, qui ſolent indidem ingenerari & ſcatere, necnon & muribus conſueto ibi degentibus, tum pediculorum examine, & cimicum, & pulicum prope modum exercitibus inhorruit. Ut vero nox facta eſt, tenebris obruti ſumus, ſub tactum ferme cadentibus, fumo etiam, qui forte externe fiebat oppleta domus, qui & reſpirationem miſeris interclusit, & mutuos aſpectus maxima ex parte nobis ademit in hac ipſe camera cum ſacrorum antiſtite, & altero e clericis fratribus conſtricti fuimus. Nam qui reliqui fuerunt urbis excidio, una omnes contrucidati ſunt; dies ibi triginta complevimus. Propterea quod ad Syracuſanas munitiones demoliendas id temporis voluerunt inſumptum, per idem ſpatium ea quæ intra murorum ambitum continebantur, incendiis abſumpta. Captæ vero prædæ ſpolia tot fuere, tantique pretii, ut ejus ſubducta ratio millies mille nummum reperta ſit.

Epiſcopus & Theodoſius in ſordidam cameram conjecti.

Non multo poſt iter Panormum verſus egreſſi, quod ſex dierum intervallo perfecimus, vecti jumentis ferendis oneribus natis; abduxerunt vero nos immites efferique æthiopes (*a*), tandem diurnis æſtibus, nocturniſque frigoribus divexati, die ſeptimo quum interdiu, noctuque iter facere non fuiſſet deſitum, celeberrimam, civibuſque frequentem urbem Panormum (*b*) ingreſſi ſumus, obviam nobis urbem ingredientibus a popularibus proditum, qui ob lætitiam effuſi epinicia concinebant, dumque prædas in urbem victores importare viderent, pæane, fauſtiſque acclamationibus excipiebant. Jamvero in urbem ſuccedentes convenarum, ac civium multitudinem juxta atque fa-

Inde Panormum adducti.

(*a*) Iis pro rebus arduis, atque difficillimis utebantur Saraceni. Conſule Johannem Diaconum *de Martyrio S. Procopii Epiſc. Tauromen.* apud eumdem Cajetanum tom. 2. pag. 60. & ſeqq. & apud Socios Bollandianos *Act. SS. Januarii* tom. 1. pag. 1098.

(*b*) Adi quæ exhibuimus in notis ad Dipl. CCXC.

famam illius, tum demum comperimus, nihilque imparem opinioni noſtræ fuiſſe. Illuc enim univerſum Saracenorum genus confluxiſſe putares, a ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone, & mari juxta beatiſſimo Davidi conſuetum loquendi morem. Unde in tanta incolentium colluvie, homines coanguſtati, in circuitu ædes ſtruere, atque habitare occœperunt; adeo ut per multas adjacentes urbes poſuerint, primariæ, ſi quis vellet, ad oppugnandum & repugnandum non impares. Quum igitur, ut dicere inſtitui, nequiſſima urbs rerum omnium potirretur, Contarchum (*a*), imperii nomen id eſt, ſui nominis celebritate neutiquam dignum putavit, donec nos ſub jugum mitteret. Quin & ſe facturum ſibi promittit & comminatur, ut ab ſe longe poſitos, atque adeo ipſius imperatricis urbis (*b*) viros in ſuam redigat poteſtatem. His ita ſe habentibus poſt diem quintum ad majorem Ameram introducimur; is autem ad ſolarium ſuperbe in ſolio conſidens valde ſibi ex tyrannica poteſtate placebat, & quaſi mantile nobis, ipſique medium, ſuſpenſum utriuſque aſpectibus obverſabatur. Siſtunt epiſcopum miniſtri, tum ille per interpetrem tenes, inquit, noſtratem orandi modum? Minime, inquit ſapientiſſimus præſul; is vero, cujus rei gratia? Reſpondet epiſcopus: quia ſummus ego ſacerdos Chriſti ſum Chriſtique ſervorum myſtagogus, de quo prophetæ, & juſti olim vaticinati ſunt. Non ſunt, inquit, Ameras apud vos revera prophetæ, ſunt vero nomine; non enim ab illis abalienatus eſſes ob tuas doctrinas, neque a recta deflexiſſes, in circuitu enim impii ambulant. Quid enim prophetam noſtrum blaſphemiis impetitis vos? Minime nos prophetas blaſphemamus, excipit epiſcopus, propterea quod non in prophetas invehi, ſed pro ipſis loqui, magnificeque ſentire, condidicimus; hunc vero, qui apud vos colitur, ignoramus. His reſponſis attonitus, extemplo nos in carcerem retrudi jubet. Ducti incedebamus media urbis platea in popularium conſpectu. Chriſtianorum permulti ſubſequebantur, de noſtra miſeria non obſcure ejulantes, necnon contrariæ ſectæ homines ſpectandi ſtudio exciti, nos circumſtipaverant, inquirebantque, quiſnam eſſet celeberrimus ille Siciliæ archiepiſcopus, hunc ad modum populum evaſimus. Tandem in deſmoterium conjicimur, id autem lacus eſt, quatuor ſupra decem gradibus depreſſum habens pavimentum adeo ut illi oſtiolum pro feneſtra eſſet. Tenebræ hic miræ, & palpabiles; luminæ tantum lucernæ, vel interdiu, aliqua ex parte colluſtratæ; neutiquam in iſto carcere luciferum, mane exorientem fas eſt aſpicere, nec lunam radios emittentem. Corpuſculum hic æſtivis caloribus percuſſum, æſtas enim erat, & cohabitantium halitu torridum; propterea cimices, & pedicoli, & pulicum examina, ceteraque hiſce beſtiolis ſimilia, per tenebricoſum hoc pavimentum miſellum hominem ſtigmatiam reddunt. Sunt & eodem in carcere concluſi, promiſcueque nobiſcum harum miſeriarum mercaturam facientes,

(*a*) Id eſt, præfectum.

(*b*) Nempe, Conſtantinopolis.

tes, Æthiopes, Tarſenſes, Arabes, Hebræi, Longobardi, tum Chriſtiani noſtrates e diverſis locis profecti; in queis erat quoque ſanctiſſimus Militenſis epiſcopus, duabus compedibus pedes obſtrictus. Tum vero pontifices alter alterum complexi, ſanctoque oſculo exoſculati, paululum ob ea quæ ſibi evenerant, ſunt collacrymati. Mox Domino eadem de re gratias agentes ex noſtra philoſophia depromptis rationibus doloris ſenſui repugnabant.

Dum in his verſaremur, execrabilis ille dies ſtati apud hoſce ſacrificii recurrit, quo die memoriam facere ſe jactitant ſacri illius, quod olim Abraham fecerat, quando datum arietem pro rationis participe victima, Deo immolavit. Hunc per inſcitiam Paſcha nominant: nec abs re diem ſic indigitant, non enim ab Ægypto in terram promiſſionis eſt ille tranſitus, juxta veterem Paſchatis nomenclaturam, neque ex hac terra in cæleſtem oram, aut ex vita ad vitam, ut Chriſtiana fides hoc vocabulo uti nos docet, ſed ex vita ad mortem, & ex hoc corporeo interitu, & ſub ſenſum cadente ad ſempiternum illum, & ad id quod numquam fine ſit cariturum incendium: in hac diei celebritate, o dementiam ſingularem! Archiepiſcopi comburendi cepere conſilium ſanctiſſimum quæ Chriſti pontificem malis Dæmonibus hoſtiam offerendi: quidam enim ex iis qui populo præerant, os habens patenti ſepulchro adæque ſpirans: æquum eſt, inquit, ad circumſtantes converſus, o cives, in hunc Chriſtianorum antiſtitem manus injicere, pro noſtra incolumitate, tum quo fæſtivius ac ſi umquam alias, celebre nobis Paſchatis feſtum agamus. Sic enim proſpere nobis res noſtras ceſſuras, & incrementa meliora capturas eſſe confido, hæc ille. Verum hæc audientes ſenes quidam, canitie juxta ac prior, togaque honeſtiſſimi ad populum habiti, eo conſilio factum improbarunt, non enim hoc fas eſſe dicebant; ſatis putabant ad illius diei celebrationem cohoneſtandam inſigne pervigilium egiſſe, excidium putato Syracuſanæ urbis. Itaquæ in hunc modum mali conſiliarii, in archiepiſcopum, & in nos concitati, opitulante, & pro nobis pugnante Deo, funeſtum conſilium diſſipatum eſt. Jam ex illo in hunc uſque diem perſiſtimus ærumnis multis detenti, mortemque ipſam quæ ſemper nobis captivis imminet, quotidie præſtolantes. Tu vero o dilectum Caput, o venerabile, tui Theodoſii factis uſque memor, Deum placatum propitiumque reddito, ut noſtros hoſce fluctus componat ſiſtat atque compeſcat; noſtramque captivitatem convertat, ſicut torrens in auſtro juxta Prophetam regem, Deique Parentem. Amen.

Fructus laborum ſume meorum, pater;
Sunt quippe pleni quæſtuum, & lacrymis madent;
Sume pater, mandata; ſume his litteris
Excidia quæ in nos hoſtis invexit ferox.
Deum rogato, tendat ut amicas manus,
Jamjam propinquo funeri, gnato huic tuo.

DI-

DIPLOMA CCXCII.

Fragmentum Diſpoſitionis de patriarchatu Conſtantinop. ſub Imp. Leone, cognomento ſapiente, confectæ: ubi de Syracuſano metropolita, ipſi patriarchæ ſubjecto, & de reliquis Siciliæ epiſcopis qui ſub eodem metropolita erant (a).

CAtanenſi metropolitæ nullus ſubeſt thronus, ... Sub Syracuſano metropolita Siciliæ, Tauromenitanus, Meſſanenſis, Agrigentinus, Cronienſis, Lilybœi, Drepani, Panormitanus, Thermarum, Cephaludii, Aleſæ, Tyndarii, Melitenſis, Liparenſis....... Præter has metropoles ejuſdem Leonis ævo & triginta octo archiepiſcopatus patriarchæ Conſtantinopolitano erant ſubjecti, *quos enumerans decimo ſeptimo loco ponit* Meſſanenſem eccleſiam in Sicilia. *Anno 886. circiter.* Auber. Miræus Not. Epiſcop. Orb. Chr. lib. 1. cap. 10.

DIPLOMA CCXCIII.

Fragmentum Donationis imperatoris Ottonis I. ad Romanum pontificem. Confirmat jura eccleſiæ Romanæ, cui concedit patrimonium Siculum, e manibus Saracenorum recuperandum (b).

ITem in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam; necnon patrimonia ad poteſtatem, & ditionem veſtram pertinentia, ſicuti eſt patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ ſuperioris, & inferioris. De civitate autem Neapolitana cum caſtellis, & territo- *Anno 962. die 13. Feb.* Baron. tom. 10, ann. 962. n. 3. & ſeqq.

to.

(a) Eadem habet Nilus archimandrita, cognomento *Doxopatrius*, in ſuo Tractatu *de quinq. Thronis Patriarch*, quem juſſu Rogerii Siciliæ regis digeſſit, lib. 1. cap. 24. *Sicilia*, inquit, *præterea, & Calabria ſe Conſtantinopolitano ſuppoſuerunt, & ſancta Severina, quæ & Nicopolis dicitur. Sicilia autem univerſa unum metropolitam habebat, Syracuſanum; reliquæ vero Siciliæ eccleſiæ Syracuſani erant epiſcopatus, etiam ipſe Panormus, & Thermæ, & Cephaludium, & reliquæ.* Et paullo infra in indiculo metropolitarum Conſtantinop. patriarchæ ſubjectorum, hæc ſubjungit: *Syracuſæ Siciliæ, habens epiſcopos viginti unum. I. Cataniæ. II. Tauromeniæ. III. Meſſenæ. IV. Cephaludii. V. Thermarum. VI. Panormi. VII Lilybœi. VIII. Trocalorum. IX. Acraganentis. X. Tyndaris. XI. Carines. XII. Leontines. XIII. Aleſæ. XIV. Gaudi inſulæ. XV. Melitæ inſulæ, quæ dicitur Malta. XVI. Liparis inſulæ. XVII. Vulcani. XVIII. Didymi. XIX. Uſtinæ. XX. Tenari. XXI. Baſiludii.*

(b) Hujuſmodi donationem indicant & laudant, Natalis Alexand. *Hiſt. Eccleſ.*

toriis, & finibus, & inſulis ſuis, ſibi pertinentibus, ſicut ad eaſdem reſpicere videntur; necnon patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Cajetam, & Fundum cum omnibus earum pertinentiis. Inſuper offerimus tibi, B. Petre apoſtole, vicarioque tuo domno Johanni papæ, & ſucceſſoribus ejus, &c.

DIPLOMA CCXCIV.

Fragmentum Diplomatis imperatoris Henrici I. De regalibus S. Petro, & Romanæ eccleſiæ conceſſis. Et ſignanter de patrimonio Siculo e poteſtate Saracenorum recuperando (*a*).

Ann. 1014. Baron. ann. 1014. n. 7. & Goldaſt Conſtit. Imperial. tom. 1. ad ann. 1014.

ITem in partibus Campaniæ, Sora, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam; necnon & patrimonia, ad poteſtatem & ditionem veſtram pertinentia, ſicut eſt patrimonium Beneventanum, & Neapolitanum, atque patrimonia Calabriæ ſuperioris, & inferioris. De civitate autem Neapolitana cum caſtellis, & territoriis, ac finibus, & inſulis ſibi pertinentibus, ſicuti ad eaſdem aſpicere videntur; necnon patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Cajetanam, & Fundum cum omnibus earum pertinentiis.

DI-

cleſ. ſæcul. 10. cap. 7. art. 8. Franciſcus Pagius *Breviar. Rom. Pontif.* tom. 2. *in Johanne XII.* n. 7. Ceterum quod eccleſiæ Romanæ ingens in Sicilia patrimonium fuerit, oſtendemus infra, Diſſert. v. ubi exponemus etiam qualiter idem patrimonium adminiſtrari ſolebat, & quomodo illud, imperatore Leone Iſaurico, Romano pontifici abjudicatum fuerit.

(*a*) In Diſſertatione noſtra modo laudata, agemus etiam de pia hac promiſſione, ab Henrico I. imperatore Romanæ eccleſiæ facta, ad exemplar illius, quam imperator Otto I. fecerat, quamque nos hic proxime exſcripſimus. Ipſam eamdem Henrici donationem ulterius laudat Franciſcus Pagius ſuperius laudatus *in Benedicto VIII.* n. 6.

DIPLOMA CCXCV.

Epiſtola Popponis Trevirorum archiepiſcopi ad Benedictum papam IX. S. Simeonem monachum Syracuſanum, recluſum in porta Trevirenſi, canonizari petit (a).

Reverendiſſimo patri patrum, gratia & nomine Benedicto, Poppo, licet indignus, divina tamen largiente clementia, S. Trevirenſis eccleſiæ miniſter, cum totius affectus dilectione, debitam ſubjectionem.

SUperiore tempore, quum annuente venerandæ memoriæ Johanne, in hac S. Sede apoſtolica prædeceſſore veſtro, amore viſionis ſepulcri Dei hominis Jeſu Chriſti, Jeruſalem profectus peregre fuiſſem; in regione noſtra pravorum hominum ſupercrevit iniquitas, ita ut nec adhuc manus poſſint ab incæpta retrahere nequitia, omnia per circuitum diripientes ac devaſtantes. Super quo ſæpiſſime deprecatus faciem Domini mei regis, quatenus manum mihi porrigeret ſuæ animadverſionis, nihil profeci. Sæpe etiam ſupranominato prædeceſſori veſtro pro eodem ſupplicavi, nec quidquam uſque adhuc conſolationis impetravi. Quamobrem deſidero, ut vel nunc ſolatietur mihi, Deo amabilis, paternitas veſtra; mittatque virum de honoratioribus, ac prudentioribus veſtris, qui mihi in neceſſitatibus meis conſilio ſimul, & auxilio ſuffragetur. Auxilietur, dico, de adverſis; conſilietur vero de his quæ latere non credo aures veſtræ ſanctitatis. At vero ſi hactenus vos latuerunt, jam nunc obſecro, uti benignum litteris meis accommodare velitis auditum.

Anno 1040. *circiter*.

Socii Bolland. tom. 1. Actorum Junii die 1. *de S. Simeone*.

Vir quidam vitæ ſanctitate laudabilis, apud nos diebus iſtis ex hac vita migravit: quem, ſi ſignis, & virtutibus quæ per eum Dominus operatur, credere debeamus, procul dubio eum cum ſanctis æternæ beatitudinis habere conſortium non dubitamus. Sed non tam ſigna quæ fidelibus, & infidelibus communia ſunt; quam fidei virtus, qua

(a) S. Simeonis vitam, auctore Eberwino abbate, publici juris effecit Laurentius Surius *de Vit. Sanctor.* die 1. Junii, & ex eo Octavius Cajetanus tom. 1. *Sanctor. Siculor.* pag. 101. eamdemque poſtea cum octo Codicibus manu exaratis collatam, emendatius recuſit continuator Johannis Bollandi, Godefridus Henſchenius *Act. Sanctor.* die 1. Junii *de S. Simeone monacho recluſo*. Sed quoniam de ſollemni ejuſdem ſancti canonizatione minus quam par erat antedicti ſcriptores diſſeruerant: hinc fuit opus, ut ſingularem de hoc argumento obſervationem inſtitueret alter ejuſdem Bollandianæ continuationis ſocius, Daniel Papebrochius cit. die 1. Junii: ex quo hocce monumentum & duo præterea ſequentia exſcripſimus.

qua fideles ab infidelibus ſequeſtrati ſunt, qua ipſa, dum adhuc in corpore maneret, plurimum viguit, de ejus ſanctitate nos certos reddit. Proinde accerſivit nos tam clerus, quam populus eccleſiæ noſtræ, obſecrantes, uti litteris noſtris ad hanc apoſtolicam Sedem, cui vos, auctore Deo, præſidetis, cum illius viri ſancti vita, & miraculis miſſis peteremus; quatenus, ſi ita ita vobis cautum videatur, dato nobis veſtri apoſtolatus decreto, nomen ejus liceat cum ſanctorum nominibus conſcribi, ceteraque honoris ſanctis debiti, ipſi impendi; itaque, quid ſolatii, quid conſilii, ſuper allevatione anguſtiarum noſtrarum, hinc & inde obortarum, prudentia veſtra mihi ineundum decrevit, ſine longa temporis dilatione dignemini inſinuare. Honor veſter & meritum apud Deum, & homines augeatur.

DIPLOMA CCXCVI.

Bulla Benedicti IX. Sanctorum confeſſorum canoni aſcribit eumdem B. Simeonem Syracuſanum.

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, ſacerdotibus, & univerſo clero, cunctiſque populis, tam regni Teutonici, quam etiam quarumcumque nationum, vel linguarum, ſalutem cariſſimam cum benedictione apoſtolica.

Anno 1041.

Iidem Socii Boll. & Fontaninus Codic. Canonizat. Bull. 3.

DIvinæ majeſtatis auctoritas, ſemper inenarrabilia faciens, ſicut in ſanctis ſuis mirabilis prædicatur, ita & operibus declaratur, dans eis virtutem & fortitudinem curare omnem languorem & omnem infirmitatem. Quod donativum ipſe Deus, ſpiritualium donorum diſtributor & auctor, militibus ſuis quorum non eſt numerus, in hoc etiam mortali corpore, dum in ſæculo degerent, propterea conceſſit, ut & iiſdem ipſi ſemper ſpe divinæ retributionis habentes ſancti Spiritus fidele pignus, fiducialius, ac fortius inniterentur, & gentes divina myſteria intuentes, omni ſuperſtitione poſtpoſita, ad viam Chriſtianæ veritatis ex intimo cordis converterentur; alios vero, quorum ſimiliter incomprehenſibilis eſt multitudo poſt vincula tantum carnis, his quibus virtutem donavit, atque magnificavit; ut corporeis exuviis in ſepulcro poſitis, & membris in favillas reſolutis, ſentientibus, atque videntibus mirabilia, fides inculcaretur, & cumularetur, eos illic feliciter vivere, ubi vera eſt, & æterna vita: ad quam nemini accedere licet, niſi vitæ temporalis oblectamenta exoſus, ad illam tota ſemper mentis intentione ſuſpiret, ſi quando mereatur de peregrinatione ad patriam, de exilio ad poſtliminium revocari. Igitur quoniam crebris nuntiorum indiciis, crebriſque litterarum characteribus clamor magnus, ſtrepenſque rumor ex Trevirorum partibus uſque Romam pervolavit, eſſe inbi viri cujuſdam Simeonis admira-

ra-

rabile corpus ſignis & prodigiis, virtutibus & miraculis radians, ut ſol meridie ſereno aere; terram ſtrictius oſculati, Dominum benediximus toto corde, tota mente, totis viribus; qui noſtris temporibus dignanter intra ſanctam ſuum corpus Eccleſiam, hoc præcipuum membrum divino lumine accendit, ut ſit lucerna ardens, poſita ſuper candelabrum, quæ luceat omnibus qui ſunt in domo Domini.

Itaque conventi, atque pulſati a cariſſimo fratre noſtro domino Poppone ejuſdem Treveris archiepiſcopo, ut quod nobis viſum fuiſſet de celebratione ejuſdem ſanctiſſimi viri, ſalubri definitione noſtræ apoſtolicæ auctoritatis ſtatueremus atque decerneremus; omnibus quos in ſalutatione prænotavimus, notum his litteris facimus, quid ex ea re cenſuerimus. Nam collecta Romani noſtri cleri ſplendida fraternitate, cum partus ſacratiſſimæ Virginis annuo recurſu per hunc orbem radiaret, concordi deliberatione determinavimus, & alta ſententiæ radice fundavimus, eumdem virum Dei Simeonem quem Dominus commendat atque probat, ſignificatione tantarum virtutum, ſanctitatis & gratiæ plenum, ab omnibus populis, tribubus, & linguis ſanctum procul dubio eſſe nominandum, ejuſque natalem ſingulis annis recurrentem paſſim ſollemniter obſervandum, & ferialiter celebrandum & venerandum ad inſtar diei feſti: nomen quoque ipſius Martyrologio cum ſanctorum nominibus ſuo loco * inferendum. Cui ſententiæ hoc etiam ſubdidimus, ut quiſquis hujus noſtræ conſtitutionis temerarius contemptor, & cervicoſus refragator exſtiterit, primo ſe noverit Dominum graviter offendere, deinde ſancti illius patrocinia, immo omnium ſanctorum quorum contubernio gratulatur, noſtramque de cetero apoſtolicam nullatenus debere benedictionem ſperare; conſervatoribus ea multipliciter donatis, in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

* Forte *inſerendum*.

DIPLOMA CCXCVII.

Epiſtola ejuſdem Benedicti ad Popponem Trevirorum archiepiſcopum. De ſollemni canonizatione ejuſdem S. Simeonis.

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Popponi patri, tam ſuis meritis, quam divino cariſmate Trevirorum archiepiſcopo, ſalutem cariſſimam cum benedictione apoſtolica.

Anno 1041.

Iidem Socii Boll. die 1. Junii de S. Simeone.

SUmptis reverentiæ veſtræ litteris, & lectis, atque relectis; in imo cordis earum vim repoſuimus, ut vobis petentibus deſiderata concederemus. Nam illius regula magiſtri nos oportet, in quantum poſſumus imitari, qui ſe bene petentibus non eſt obſtinatus, ſe in veritate quærentibus non eſt prolongatus, nec ad fores ſuas perſeveranter pulſantibus ad aperiendum retardatus. At nos, licet tar-

dius quam cupivimus, ad ſonum tamen paginæ veſtræ, ut debemus, pro affectu reſpondemus. Neque enim facimus quod volumus; ſed divinitus ut faciamus accipimus, quæque ſuis temporibus ſuperna diſpoſitio coaptavit. Quod igitur meminiſtis, Sedem apoſtolicam cui ex divina dignatione præſidemus, totius eccleſiaſticæ paſtoralitatis eſſe refugium, ut votis veſtris ad eam confugientibus annueremus, meritis amplexibus hæc ipſa verba donavimus. Quippe quum ſit origo, & fundamentum eccleſiarum, Domino confeſſionem Petri taliter compenſante: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Dignum plane videtur, ut omnis Chriſtiana fidelitas ad eam concurſum habeat, & ipſa omnibus manum ſolatii porrigat. Vobis vero, in congreſſu poſitis, ad iniquitates pravorum hominum debellandas, ac ſpirituali gladio puniendas, quem in rebus divinitus vobis commiſſæ vicis adjutorem præſulem a nobis popoſciſtis...... dirigimus; quem quidem & honeſtas morum, ſicut nomine indicat, & ſagax animi pulchritudo decorat. Quem huic negotio aptiſſimum cenſuimus, quia Domini fidelem ſervum, & prudentem cognovimus; ut cui & aſtutia ſerpentis eſt, & columbæ ſimplicitas; de cujus quodammodo labiis fluunt mella, pro captu audientium cæleſtis ambroſiæ plena. Quare & eum a corpore noſtro velut dextrum ſeparavimus brachium, precantes ei ſalutem, & gaudium. Dirigimus ergo illum ut ſolatietur vobis in neceſſitatibus veſtris, tam ſcilicet in opere conſecrationis, quam & in unctione Confirmationis; & ſi quid in neceſſitatibus aliis, Domino favente, valebit, pro libitu ſanctæ veſtræ fraternitatis. Ut autem illum tractare uti decet non detrectetis, vel diſſimuletis, nulla credimus admonitione indigetis: quum veſtra benignitas inde ſit profuſior, unde eſt ſanctior.

De cetero ad virum illum Simeonem veniendum, quem numeroſis coruſcantem miraculis, divinis præfulgentem virtutibus, oſtendiſtis. Ex quo liquet, eum in fragili corpore theſaurum bajulaſſe ſpiritualis gratiæ, ut non ſolum ſibi præviderit ad ſalutem; ſed aliis quoque atque aliis ad multiplicem ſanitatem. Quia igitur ad illam æternam beatitudinem, illamque ſummæ felicitatis perpetuitatem, ac cæleſte conſortium perveniſſe creditur; ſicut opere ſignorum frequentius panditur; noſtræ apoſtolicæ auctoritatis ſententia, judicium divini arbitrii ſecuta, & conſenſu complurimum fratrum noſtrorum ſuffulta, decernit eumdem virum Dei Simeonem, poſthac ſemper, & ubique ſanctum debere nominari, ejuſque natalem ſicut aliorum ſanctorum, reverentiſſime ſingulis annis celebrari: *non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*, dicit Apoſtolus. Ergo laudetur vigeat placeat celebretur perametur & colatur, nomenque illius Martyrologio inſeratur. Ipſe intercedat pro peccatis & negligentiis noſtris, & omnium commiſſorum nobis apud clementiſſimam divini Numinis majeſtatem: ut mirabilia quæ viſibiliter exhibet circa infirmorum corpora, in animabus noſtris occulta virtute dignanter exhibeat.

DI-

DIPLOMA CCXCVIII.

Capitula confraternitatis venerabiliſſimæ imaginis S. Mariæ, collocatæ in templo ſancti Michaelis Naupactiteſſæ Panormi.

ΤΟῦ δεσπότου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦτο πρὸς τοῖς ἄλλοις εἰπόντος. ὅπου δύο ἢ τρεῖς εἰσὶ συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν. οὐ μικρά τις ἔφεσις ἐπῆλθε τοῖς πρὸ ἡμῶν εἰς τὸ συνελθεῖν, καὶ χορὸν ἵνα συστήσασθαι ἱερὸν, ἵν' ἐκεῖνον κτήσωνται φύλακα, καὶ συνοχέα τῆς ἱερᾶς ὁμηγύρεος. Καὶ ἐπεὶ τοῦτο παρ' ἐκείνων τετύπωται καὶ ἐσπουδήεσθαι λίαν συντετηρημένως, καὶ ἀσφαλεῖ. καὶ δι' ἔργου ἐπεραιώθη κατὰ τὸ ἑξακισχιλιοστὸν πεντακοσιοστὸν πεντηκοστὸν ἕκτον ἔτος τῆς τηνικαῦτα ἀνυσθείσης πρώτης ἰνδικτιῶνος. καὶ τόμος συνετέθη τὰ τότε δοξαντ.... ἔχον ἐν ἑαυτῷ. ἔφθη δὲ ὑπὸ τοῦ χρόνου διαφθηρῆναι, καὶ πρὸς ἀφαντωσι... τελείαν παρ' οὐδὲν καταντῆσαι. ἵνα μὴ ἀμνημόνευτα τὰ τυπωθέντα τε, καὶ γραφέντα ἡμῖν τε, καὶ τοῖς μεθ' ἡμᾶς ἔσονται, κοινια..... τοῦτον ἡμεῖς δεῖν ᾠήθημεν. καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα παραδοῦναι εἰς μνήμην. καὶ φυλακὴν, καὶ συντήρησιν ὡς οἴονται πρὸς τὴν τοῦ καλοῦ μονιμότητα. Διὸ δὴ καὶ τὸν παρόντα συνθέντες τόμον, καὶ ταῖς οἰκείαις ἡμῶν ὑπογραφαῖς τοῦτον κατεμπεδώσαντες, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου·

Ann. 1048. Ex autographo membr. regię Cappellæ S. Petri Panorm.

QUum Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus Deus & hoc inter cetera dixiſſet: ubi duo, vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum; non parum inſtiterunt anteceſſores noſtri, ut ſimul convenirent, & locum conſtituerent ſacrum ad efficiendum illum cuſtodem perpetuum ſacri cœtus. Quapropter ab illis conſtructus fuit, & magno ſtudio firmiter conſervatus. Atque opus quidem ad finem perductum fuit juxta ſexmilleſimum quingenteſimum quinquageſimum ſextum annum (*a*), prima indictione tunc peracta. Sed & Codex conſcriptus fuit, ea quæ tunc decreta fuerunt continens in ſeipſo. Accidit autem ut præ tempore videretur corrumpi, & quaſi omnimode in poſterum legi non poſſe: ne itaque in oblivionem nobis, & poſteris noſtris abeant ſtatuta, & conſcripta, nos hunc renovari debere cenſemus: atque his deinde tradere in memoriam & cuſtodiam & conſervationem, ac in tanti ſcilicet boni ſtabilitatem. Quamobrem & præ-

Xx 2 ſen-

(*a*) Hujuſmodi Capitula ſcripta dicuntur anno a creatione mundi 6556. id eſt Chriſti 1048. juxta æram Græco-Siculorum, qui Chriſtum natum volebant anno orbis conditi 5508. atque ita, Saracenis adhuc in Sicilia dominantibus; licet eorum renovatio principibus Nortmannis antiquior non ſit. Scripturam hanc latinitate donavit eruditiſſimus vir Franciſcus Paſqualinus.

ἁγίου πνεύματος. τῆς μιᾶς καὶ ἀσυγχύτου, καὶ βασιλικῆς ἀρχῆς, τυποῦμεν. ὡς ἂν ὑπηρετῶμεν. ἐν ταῖς θείαις καὶ ἱεραῖς δοξολογίαις τῇ πανσέπτῳ καὶ θεία εἰκόνι τῆς ὑπεράνου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. τῆς καὶ τὴν στᾶσιν ἐχούσης ἐν τῷ ναῷ τοῦ πανενδόξου, καὶ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ τοῦ τιμωμένου ἐν τῇ τῶν ναυπακτιτησσῶν μονῇ κατὰ τὴν τοῦ γυρίου γειτονίαν. πρὸ μὲν ἄλλου παντὸς, κοινῶς ἅπαντες ἅπαξ ἑκάστου μηνὸς, ἐν ᾗ ἐκκλησία τῆς στάσεως ἔτυχεν. ἐκεῖθεν δέ μεθ' ἱερῶν ὕμνων ταύτην λαμβάνοντες, ἀπάγωμεν, ὅπου ἂν ἑτοιμάσει εἷς ἐξ ἡμῶν τὴν μηνιαίαν στᾶσιν αὐτῆς. ἐκεῖθεν δέ πάλιν πρὸς ἑτέραν ὅπου ὁ ἕτερος, καὶ καθεξῆς τροχικῶς ἕως ἂν ἡ ὅλη ἀδελφότης ἐκμετρηθῇ. τὴν πᾶσαν ὑπηρεσίαν ποιοῦντος ἑκάστου ἡμῶν ἐν τῇ αὐτῇ ἁγίᾳ εἰκόνι κατὰ τὸ ὅλον μηνιαῖον διάστημα. ἐπιτελουμένης καὶ τῆς θείας μυσταγωγίας ἐν ταῖς ἑβδοματικαῖς περιόδοις κατὰ τετράδα τε καὶ παρασκευήν. μνείαν ποιοῦμεν ἡμεῖς τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν βασιλέων. ἁγιωτάτου πατριάρχου, τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου ἡμῶν τοῦ κανοσίου ἐκείνου... καὶ ἡγουμένου τῶν... .... κῦρ θεοδόρου τοῦ λεονάρδου. τοῦ περιόντος τῆς αὐτῆς μονῆς τῶν ἡγουμενευόντων ἐν τῇ τῶν ναυπακτιτησσῶν μονῇ. τῆς ὅλης ἡμῶν ἀδελφότητος τῶν τε περιόντων, καὶ τῶν προαπελ-

ſentem componentes tomum, & propriis noſtris ſubſcriptionibus hunc ſuffulcientes, in nomine Patris, & Filii, & ſancti Spiritus, unius & inconfuſi, & regii principatus, ſtatuimus quemadmodum inſervire debeamus in divinis, & ſacris celebritatibus venerabiliſſimæ, & divinæ imagini ſupremæ dominæ noſtræ Deiparæ, & ſemper virginis Mariæ (*a*), collocatæ in templo glorioſiſſimi & exercituum principis Michaelis, qui colitur in Naupactiteſſarum (*b*) regione juxta Gyrii vicinium. In primis quidem communiter omnes ſemel ſingulis menſibus, in qua die convocatio ſtationis inciderit, illinc cum ſacris hymnis hanc capientes imaginem eo abducamus (*c*), ubi paraverit unus ex nobis menſtruam ſtationem ipſius: illinc vero rurſus ad aliam ſtationem, ubi alter paraverit, & ſic deinceps per circulum, donec tota fraternitas expleta ſit, omni ex parte miniſterium præſtante unoquoque noſtrum circa ipſam ſanctam imaginem, ſecundum totum menſis ſpatium. Dum perficitur autem divina ſacrorum actio in hebdomadarum circulis per quartam & ſextam feriam, memoriam faciemus nos

(*a*) De Panormitanorum cultu & devotione in Virginem, etiam quum Saracenorum tyrannidem Sicilia ſubiret, diſerte agit rerum antiquarum indagator diligentiſſimus, Antoninus Mongitorius *Palermo divoto di Maria*, tom. I. cap. 3.

(*b*) Scilicet, eorum qui navigia compingunt: nam templum S. Michaelis, quod antiquiſſimum volunt, juxta mare intra urbem tunc temporis ingrediens, ſitum erat.

(*c*) Saracenorum tyrannidis non eo pervenit, ut patriam religionem Siculis prohiberet: ſed divina facere & ſacra, immo & publicas proceſſiones permittebat: id vel ex hoc tantum loco plane liquet, ſicut ex brevi Chronica fratris Conradi Dominicani die I. Aprilis anni 1290. ſcripta, ubi ad annum 1027. agens auctor de Saracenorum rege Melauta, Bulfaraci filio, a Gayto Maymono Saraceno de Hiſpana interfecto, *Conceſſit*, inquit, *Siculis Chriſtianis, ut audirent divina palam, & ſacerdotibus, ut portarent corpus Chriſti ad infirmos.*

πελθόντων, καὶ παντὸς τοῦ χριστιανικοῦ πλη-
ρώματος. ταῦτ' οὖν τετυπῶται γίνεσθαι
παρ' ἡμῶν, κατ' αὐτὴν τὴν εἰσβολὴν
τῆς πρώτης ἡμέρας ἑκάστου μηνός. εἰ ....
χειμῶν τις σφοδρὸς ἐπεισφρήσας τὴν λειτουρ-
γίαν ἐμποδίσει, τὴν μετ' ἐκείνην ἡμέ-
ραν, ἢ τὴν μετ' αὐτὴν ἢ τὴν ἀφεξῆς,
ἵν' ἐκπληρῶμεν τὸ λειτούργημα. Καὶ μὴν
καὶ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, τελεῖν ὀφείλομεν τὴν
θείαν καὶ ἀναίμακτον μυσταγωγίαν, ἔνθα
ἂν παρ' ἡμῶν τυπωθείη, ὑπὲρ εὐχόμε-
νοι ἀλλήλων, καὶ πάντων κοινῶς, ὡς προ-
λέλεκται. πᾶσαν σεμνοπρέπειαν ἔχοντες,
καὶ χριστιανοῖς ἁρμόδιον πολιτείαν καὶ κα-
τάστασιν. Ἀλλ' ἐπεὶ ἐκ τῶν ὁμοίων, καὶ τὰ
ὅμοια τεκμέρεσθαι δεῖ, ὁ τῆς πολιτείας λό-
γος διαρρήδην βοᾷ· εἰ συμβῇ τῶν ἀδελ-
φῶν ἡμῶν ἐν ἀφθόνῳ τοῦ τὰ τῆς σωτηρίας
ἡμῶν βασκύνοντος. Ἀρχαίου ἐχθροῦ καὶ
ἀποστάτου δαίμονος σκανδαλισθῆναι. ὥσ-
περ ὁρῶμεν τοῦτο γινόμενον ἐν πολλοῖς.
ἢ κατὰ τοῦ ἑτέρου παροξύνεσθαι, ἢ ἀπορρα-
γῆναι τῆς ἱερᾶς ἡμῶν ἀδελφότητος, τι τοῦ
κυριακοῦ λογίου, διαπραττόμεθα ἐν αὐτῷ.
ἰδίᾳ τε τοῦτον νουθετοῦν τε καὶ δημόσια, καὶ
ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας ταύτης. καὶ ἡ εὐδοκία τοῦ
ἀγαθοῦ θεοῦ ἡμῶν τῆς κακίστης ἐκείνης, ὁ-
ποία ἂν καὶ εἴη ἀποστάτου διαγωγῆς, τῶν
μελῶν, καὶ μερῶν αὖθις ἔσεται τῆς θεο-
πάτης συναυλίας ἡμῶν, ὥσπερ τὸ ἀνάπα-
λιν τῷ δε περιπεσόντι νόσῳ τινὶ σώματος
ἀδελφῷ ἡμῶν, συναχθραϊζομένων ἡμῶν πάν-
των, εὐχὴ γενέσθω εἰς ἀπαλλαγὴν τοῦ ὀχ-
λοῦντος αὐτῷ νοσήματος. ἀλλὰ καὶ περὶ
τοῦ τὴν ὧδε ἀπολελειπότος ἀδελφοῦ ἡμῶν.
καὶ μεταχωρήσαντος πρὸς τὰ ἐκεῖθεν μονή-
ματα,

nos orthodoxorum noſtrorum regum, ſanctiſſimi patriarchæ, ſacratiſſimi metropolitani noſtri, omnino ſancti illius.........& ductoris eorum qui ſunt in........, domini Theodori filii Leonardi, ſuperioris ejus regionis, eorum omnium degentium in ipſa Naupactiteſſarum regione (*a*), totius noſtræ fraternitatis vivorumque ſimul, & mortuorum, & totius Chriſtianæ plenitudinis. Hæc igitur, ſtatutum eſt, fieri a nobis per ipſum ingreſſum primi diei uniuſcujuſque menſis. Sin autem procella aliqua vehemens ſuperingreſſa publicum miniſterium impediat ſubſequentem diem, aut aliam poſt eam, aut aliam deinceps eligere debemus ut publicum miniſterium tandem expleamus. Quin etiam ſemel in anno celebrare debemus divinam & incruentam ſacrorum actionem, ubi a nobis ſtatutum fuerit, orantes invicem pro nobis, & pro omnibus communiter, ut ſupra dictum eſt, omnem dignam morum gravitatem præferentes, & aptam Chriſtianorum vitæ rationem & inſtitutum. Sed, quum ex ſimilibus & ſimilia conjicere oportet, Evangelicus ſermo aperte clamat: ſi contingat fratrum noſtrorum aliquem livore antiqui hoſtis, & deſertoris dæmonis ea quæ ad noſtram ſalutem pertinent invidentis, ſcandalizari (quemadmodum cernimus hoc fieri in multis) ſive adverſus alium ſe præferre

(*a*) Quæ hic narrantur de Naupactiteſſarum regione facile intelligit qui non ignorat, aliam olim fuiſſe, quam nunc eſt, Panormitanæ urbis formam. Panormus enim, qui *Totus Portus* ſonat, undique mari cinctus erat, & tutum navibus præſtabat receptum. Conſule Fazellum, Cluverium, Inveges, alioſque Panormitanæ antiquitatis ſcriptores diſertiſſimos.

ματα, καὶ ἀθάνατα, συναθροιζομένων ἡμῶν περὶ τὴν ἐκφορὰν τοῦ λειψάνου αὐτοῦ, τῆς εἰωθείας δοξολογίας ἐπιτελῶμεν μετ' ἡμετέρων κηρῶν, εἰ καὶ τοῦτο δρήσειεν καὶ — ἔτι διαμνημονεύοντες αὐτοῦ ἐσόμεθα κατὰ τὴν ἐπικρατήσασαν παρὰ τοῖς Χριστιανοῖς συνήθειαν. κατὰ τε τρίτην ἐννάτην, καὶ τεσσαρακοστὴν ἡμέραν τῆς τούτου ταφῆς. καὶ κατὰ τὰς ἐνιαυσιαίας μνήμας αὐτοῦ, καὶ ταῦτα ποιοῦντες, καὶ ὑπὲρ τῆς ἑκάστου ἑταίρου ἡμῶν σωτηρίας φροντίζοντες. πάσῃ σπουδῇ καὶ προθυμίᾳ, τὸ ἱερὸν ἡμῶν σύνταγμα ὡς ἡμέραι αὐξάνεσθαί τε, καὶ πληθύνεσθαι, καὶ ὑπὲρ τὰς κέδρους ὡς εἰπεῖν τοῦ λιβάνου ἐπεκτείνεσθαι, δι' ἔργων σπουδάζομεν ὅπως καὶ τὸν τῶν ἀνθρώπων ἔπαινον ληψάμεθα, καὶ τὴν πρὸ θεοῦ πολυπλάσιον ἀνταπόδωσιν οὐ μόνον ἐνταῦθα, ἀλλὰ πολλῷ δεῖ που καὶ πλέον, κατὰ τὴν τελευταίαν καὶ μόνην ἐκείνην τῶν πρακτέων ἀντεπιμέτρησιν. ὁ δὲ θεὸς εἰρήνης. ὁ τὰ ἀμφότερα καταλλάξας, καὶ ἑαυτῷ ἑνώσας ἡμᾶς διὰ σπλάγχνα ἐλέους τῆς αὐτοῦ ἀγαθότητος, εἴη διαφυλάττων τὴν ἱερὰν ἡμῶν ἀδελφότητα. καὶ πᾶν ζιζάνιον ἐξ ἡμῶν ἐκκαθαίρων ὁδηγῶν ἡμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, παρ' ὅλην ἡμῶν τὴν ζωὴν, εὐχαῖς, καὶ ἱκεσίαις τῆς ὑπεράγνου μητρὸς αὐτοῦ, καὶ πάντων τῶν ἁγίων τῶν εὐαρεστησάντων αὐτῷ, ᾧ ἡ δόξα, καὶ ἡ τιμὴ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

✠ Δια-

re aut expellendum fore a ſacra noſtra fraternitate ea quæ Dominici ſunt ſermonis exſequentes in eo, ſecreto hunc corripiamus, & publice, & in Eccleſia ipſa. At ſi benevolentia boni Dei noſtri a peſſima illa, qualiſcumque ea ſit, revertatur vitæ ratione, in membris rurſus & partibus ſit diviniſſimæ noſtræ congregationis, ut vice verſa ſi non reſipiſcat. Verum ſi aliquis noſter frater in morbum inciderit corporis, tunc congregatis nobis omnibus, oratio fiat pro liberatione moleſtantis morbi. At ſi frater noſter ab hac vita deceſſerit, & ad illas æternas tranſierit manſiones, congregati nos circa feretrum cadaveris ipſius aſſuetas recitationes perſolvamus cum noſtris cereis: quod quamvis hoc fiat adhuc tamen memores ipſius erimus, juxta inveteratam apud Chriſtianos conſuetudinem, in tertio, nono, & quadrageſimo die poſt ejus ſepulturam & in anniverſariis (*a*) commemorationibus ipſius. Et hæc facientes & pro uniuſcujuſque ſodalis noſtri ſalute curam gerentes omni ſtudio, & alacritate ſacras noſtras conſtitutiones, in dies augeri, implerique & ſuper cedros, ut ajunt, Libani excreſcere operibus ſtudeamus, ut hominum laudem conſequamur, & a Deo multiplicem retributionem, non ſolum hic, ſed multo utique amplius in finali, & ſola illa operationum ſuperabundante remenſuratione. Deus autem pacis, qui utraque conciliavit & ſibi ipſi

nos

(*a*) Anniverſarias commemorationes pro defunctis, fruſtra reclamantibus hæreticis, admittit Eccleſia patrum traditione edocta. Adi Tertullianum *de Exhort. caſtitatis* cap. 11. *Pro qua oblationes annuas reddas?* Et *de Corona Milit.* cap. 3. *Offert annuis diebus dormitionis ejus.*

✠ Διονύσιος ἀυ̃ς . . . ὁ ἱερεὺς τῆς μονῆς τοῦ σαερῆυ ὁμολογῶ εἶναι δοῦλος τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης.

✠ Ἰωάννης εὐχέτου καὶ πρεσβύτερος ἁγιοφορίτων ὁμολογῶ εἶναι δοῦλος τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠

✠ Ματθαῖος πρεσβύτερος ὁ καλοπράγμων ὁμολογῶ εἶναι δοῦλος τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠

✠ Χριστόφορος ὁ Κοψηνὸς ὁμολογῶ ἐγὼ αὐτὸς δοῦλος εἶναι, εἰ καὶ ἀνάξιος τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης, ἧς ὁ παρὼν τόμος ἐστίν.

✠ Θωμᾶς ἱερεὺς ὁ Καλπιέρης ὁμολογῶ τοῦ εἶναι δοῦλος τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠

✠ Μιχαὴλ ἱερεὺς ὁ βλαπᾶς ὁμολογῶ τοῦ εἶναι μὲ δοῦλον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠

✠ Μιχαὴλ ἱερεὺς ὁ σάκας ὁμολογῶ τοῦ εἶναι μὲ δοῦλον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠

✠ Γεώργιος ἱερεὺς ὁ μαλάσυρος ὁμολογῶ τοῦ εἶναι μὲ δοῦλον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠ ✠

✠ Σωτηρικὸς ἱερεὺς ὁ κοπάδρυος ὁμολογῶ τοῦ εἶναι μὲ δοῦλον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠

✠ Θεοφύλακτος ἱερεὺς ὁ Καλέτης ὁμολο-

nos univit per viſcera miſericordiæ ejus bonitatis ſit conſervans ſacram noſtram fraternitatem, & omne zizania a nobis expurgans, dirigens nos in omne opus bonum per totam noſtram vitam, precibus & ſupplicationibus puriſſimæ Matris ejus, & omnium ſanctorum complacentium ipſi, cui gloria & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

✠ Dionyſius . . . . ſacerdos ecclecleſiæ Saerei profiteor eſſe ſervus ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ.

✠ Johannes Euthechi, & presbyter ſacriferorum profiteor eſſe ſervus ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Matthæus presbyter Calopragmon profiteor eſſe ſervus ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Chriſtophorus Copſenus profiteor & ipſe ſervus eſſe, etſi indignus ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ, cujus eſt præſens volumen. ✠

✠ Thomas ſacerdos Calpieres profiteor eſſe ſervus ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Michael ſacerdos Blatas profiteor eſſe ſervus ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Michael ſacerdos Sacas profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Georgius ſacerdos Maloſyrus profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠ ✠

✠ Sotericus ſacerdos Copadrius profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Theophylactus ſacerdos Caletes pro-

λογῶ τȣ̃ εἶναι μὲ δȣ̃λον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκȣ τῆς ναυπακτητίσσης. ✠

✠ Γρηγόριος ὁ ἐτέλλης ἱερεὺς ὁ σάκας ὁμολογῶ τȣ̃ εἶναι μὲ δȣ̃λον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκȣ τῆς ναυπακτιτίσσης ✠.

✠ Γρηγόριος ἱερεὺς ὁ κάλανδρος ὁμολογῶ εἶναι μὲ δȣ̃λον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκȣ τῆς ναυπακτητίσσης. ✠ ✠

✠ Κονσταντῖνος ἱερεὺς ὁ μάντης ὁμολογῶ τȣ̃ εἶναι μὲ δȣ̃λον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκȣ τῆς ναυπακτητίσσης. ✠ ✠

✠ Γρηγόριος δȣ̃λος ἱερεὺς λο Βλάτας ὁμολογῶ τȣ̃ εἶναι μὲ δȣ̃λον τ ὑπεραγίας θεοτόκȣ τῆς ναυπακτητίσσης. ✠ ✠

Σίγνον | Ῥογερίȣ
τȣ̃ να | ναϊνά.

✠ Μελεȣ̃ . . . & ἁμαρτωλὸς ὁμολογῶ δȣ̃λον εἶναι μὲ τ ὑπεραγίας θεοτόκȣ τ ναυπακτητίσσης. ✠

Σίγνον | Θεοδώρȣ
τȣ̃ χα | ρυσίȣ

Σίγνον | ἰωάννȣ
τȣ̃ | μοαν . . .

Σίγνον | εκ . . .
μονα | χȣ̃.

Σίγνον | Δαμιανȣ̃
τȣ̃ | μαλοβάτȣ.

Σίγνον | λέοντος
τȣ̃. | . . χαγυσε.

Σίγ-

profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Gregorius Etelles ſacerdos Sacas profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Gregorius ſacerdos Calander profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠ ✠

✠ Conſtantinus ſacerdos Mantes profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠ ✠

✠ Gregorius ſervus ſacerdos lo Blatas profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠ ✠

Signum | Rogerii
Nana | ina

✠ Melee . . . Ich & peccator profiteor ſervum eſſe me ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

Signum | Theodori
Cha | ryſtii

Signum | Johannis
Mo | an . . .

Signum | Ec . . .
Mo | nachi

Signum | Damiani
Ma | lobati

Signum | Leonis
. . . ch | agyſe . .

Si-

Σίγνον	λέοντος	Signum	Leonis
τοῦ	περιματόνος.	Peri	matonis.
Σίγνον	Ἀνδρέου	Signum	Andreæ
τοῦ	ἀχάτου.	Ach	ati.
Σίγνον	Κωνσταντίνου	Signum	Conſtantini
τοῦ	σαπωλε.	Sapo	le..
Σίγνον	ἀδελφίου	Signum	Adelphii
τοῦ	Κουιτρουλίου.	Quitru	lii.
Σίγνον	γρηγωρίου	Signum	Gregorii
τοῦ	χωλιξίου.	Choli	xii.
Σίγνον	μαρτίνου	Signum	Martini
τοῦ	δέκαν.	Deca	n.
Σίγνον	στεφάνου	Signum	Stephani
τοῦ	κορινθίου.	Corin	thii.

✠ Νικόλαος ἀναγνώστης ὁ πέτρου ταχ... καὶ αὐτοποιός. ✠ Nicolaus Lector filius Petri Taca... & ipſe me ſubſcribo.

Σίγνον μαρ	σαμαίου	Signum Ma	rſamæi
Θεοδώρου	τοῦ καμάτου.	Theodori	Camati.
Σί	γνον	Sig	num
γεωργίου	σα.. μ. τ..	Georg	ii Sa . .m . ti . .
Σί	γνον	Sig	num
εἰρηνῆς	τοῦ σκαρδόνου.	Irenes	Uxoris Scardoni.
Σίγνον	Μαρίας	Signum	Mariæ
τῆς τοῦ	Μαρ .. δρ.	Uxoris	Mar.. dr..

Σίγνον | νι . . . υ
τοῦ | Δεκ . .

Signum | Ni . . . i
Dec . .

Σί | γνον
μοχ . . | ς τοῦ φηγελλητοῦ.

Sign | um
Moch . . | s Phegelletæ.

✠ Νικόλαος ἱερεὺς Κουσουραν . . ὁμολογῶ τοῦ εἶναι με δοῦλον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠

✠ Nicolaus ſacerdos Cuſturan . . profiteor eſſe me ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

✠ Μανουὴλ ὁ νυπολ . . ἱερεὺς ὁ Καντὸς ὁμολογῶ τοῦ εἶναι με δοῦλον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης. ✠

✠ Manuel Nipol . . ſacerdos Cantor profiteor eſſe ſervum ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

Σίγνον | λεόντος
τοῦ ἀνεμίου.

Signum | Leonis
Ane | mii.

Σίγνον | ἀχιλλέως
τοῦ | εὐριπίτου.

Signum | Achillis
Euri | pitu.

Σίγνον | νικολάου
τοῦ . . | γίδου.

Signum | Nicolai
. . | gidi.

Σί | γνον
Νικολάου | τοῦ ἀδριανοπολίτου.

Sign | um
Nicolai | Adrianopolitæ

✠ Ἰωάννης ἱερεὺς ὁ μαλοσειρός ὁμολογῶ τοῦ εἶναι δοῦλος τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῆς ναυπακτιτήσσης τοῦ ἐκδουλεύειν αὐτῇ καθὼς ἀνωτέρω εἴρηται. ✠ ✠ ✠

✠ Johannes ſacerdos Maloſirus profiteor eſſe ſervus ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ ad ſerviendum ipſi, ut ſupra dictum eſt. ✠ ✠ ✠

Σί | γνον
μιχαὴλ | τοῦ κριμ . . λ . .

Sign | um
Michaelis | Crim . . l . .

Σί | γνον
Ρο . . ετ . . | τοῦ κουκουμάρα.

Sign | um
Rho . . et . . | Cucumara.

Σίγ-

Si-

Σίγνον	ἐλπιδίȣ.	Signum	Elpidii
τȣ̃	ρω..τρ..	Rho	..tr..

✠ Ἰωάννης ἀναγνώστης ἱερεὺς ἀβ..λ.. ὁμολογῶ εἶναι μὲ δȣ̃γον τῆς ὑπε-ραγίας θεοτόκȣ τ̃ ναυπακτιτήσσης ✠.

✠ Johannes Lector, ſacerdos Ab.. l... profiteor eſſe ſervus ſanctiſſimæ Deiparæ Naupactiteſſæ. ✠

Σίγνον	νικολάȣ	Signum	Nicolai
τȣ̃ ἀνα	τολικȣ̃.	Orien	talis

Σίγνον	εὐςαθίȣ	Signum	Euſtathii
τȣ̃	....	.....	......

Σίγ	νον	Signu	m
Νικο	λάȣ μαυριτάνȣ.	Nicolai	Maur.. ſta

...	...	....	....
...	...	....	.....

DIPLOMA CCXCIX.

Juramentum de ſolvendo canone a Roberto duce Apuliæ, & Calabriæ, ac futuro Siciliæ, Nicolao papæ II. præſtitum (a).

EGo Robertus, Dei gratia, & ſancti Petri dux Apuliæ, & Calabriæ, & utroque ſubveniente, futurus Siciliæ ad confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis, de omni terra quam ego proprie ſub dominio meo teneo, & quam adhuc ulli Ultramontanorum, umquam conceſſi, ut teneat; promitto me annualiter pro unoquoque jugo boum penſionem ſcilicet duodecim denarios Papienſis monetæ perſoluturum beato Petro, & tibi domino meo Nicolao pa- *Ann.* 1059. Baron. ad ann. 1059. cap. 70.

(a) Qui minus quam par eſt, rebus Siculis favent vel ex duplici hoc juramento, Siciliam feudum Romanæ eccleſiæ fuiſſe contendunt, quos erudite ac ſobrie rejicit Hieronymus Settimo marchio Jarratanæ in ſuo MS. Opuſculo, quod de hoc argumento ſingillatim digeſſit, quodve nos, Deo auſpice, publici juris efficere ſperamus.

papæ & omnibus ſucceſſoribus tuis, aut tuis, aut tuorum ſucceſſorum nuntiis. Hujus autem penſionariæ redditionis, erit ſemper terminus finito vere anno, ſanctæ reſurrectionis die dominico. Sub hac conditione hujus perſolvendæ penſionis, obligo me, & omnes meos, ſive heredes, ſive ſucceſſores tibi domino meo Nicolao papæ, & ſucceſſoribus tuis. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Evangelia.

DIPLOMA CCC.

*Juramentum fidelitatis ejuſdem Roberti ipſi Nicolao præpoſitum**.

* *præſtitum*.

Anno 1059. Baron. cit. ann. 1059. cap. 71.

EGo Robertus, Dei gratia, & ſancti Petri dux Apuliæ, & Calabriæ; & utroque ſubveniente, futurus Siciliæ, ab hac hora, & deinceps ero fidelis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & tibi domino meo Nicolao papæ; in conſilio, vel in facto, unde vitam, aut membrum perdas, aut captus ſis mala captione non ero. Conſilium quod mihi credideris, & contradices, ne illud manifeſtem, non manifeſtabo ad tuum damnum me ſciente. Sanctæ Romanæ eccleſiæ ubique adjutor ero ad tenendum, & ad acquirendum regalia ſancti Petri, & principatum: ne invadere, nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præſumam, abſque tua, tuorumque ſucceſſorum qui ad honorem ſancti Petri intraverint, certa licentia, præter illam quam tu mihi concedes, vel tui ſucceſſuri ſunt ſucceſſores. Penſionem de terra ſancti Petri, quam ego teneo, aut tenebo, ſicut ſtatutum eſt, recta fide ſtudebo, ut illam annualiter Romana habeat eccleſia. Omnes quoque eccleſias quæ in mea perſiſtunt dominatione, cum earum poſſeſſionibus dimittam in tua poteſtate. Et defenſor ero illarum ad fidelitatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Et ſi tu, vel tui ſucceſſores ante me ex hac vita migraveritis, ſecundum quod monitus fuero a melioribus cardinalibus, clericis Romanis, & laicis, adjuvabo, ut papa eligatur, & ordinetur ad honorem S. Petri. Hæc omnia ſupraſcripta obſervabo ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & tibi cum recta fide, & hanc fidelitatem obſervabo, tuis ſucceſſoribus ad honorem S. Petri ordinatis, qui mihi firmaverint inveſtituram, a te mihi conceſſam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.

AP-

APPENDIX
TOMI PRIMI
CODICIS DIPLOMATICI
SICILIÆ
Complectens aliquot Diplomata dubia, & ſpuria.

ADMONITIO.

Veras ſinceraſque ſcripturas hactenus, ſuppoſitas nunc, dubias, & quomodocumque ſuſpicionem redolentes ſeorſim ab illis edamus oportet. Prior enim monumentorum edendorum ratio, legitimis ſpuriiſque immixta, adeo inſuavis atque injucunda eruditis amicis viſa eſt, ut nobis monita efflagitantibus doctiora ingenue contrarium ſuaderent; licet non ignoraverint omnia nos documenta minime probare; ſed uniuſcujuſque fidem ſingillatim in notis ita fore expenſuros, ut culpa ſua æque erraturus ſit qui vera omnia, atque is qui cuncta conficta credet: *quemadmodum prælocuti ſumus in noſtro Proſpectu Operis duobus retro annis jam publicato pag. 7. Cave dicas quas hanc in Appendicem compingimus ſcripturas omni prorſus probabilitate carere: nam ex priori claſſe non falſas modo, ſed dubias quoque & incertas extruſimus, quibus defendendis ſi aliquis poſthac intenderit animum, nihil moleſtiæ ſuſcipiemus.* Epiſtolam *beatæ Mariæ virginis ad Meſſanenſes tum in una, tum in altera ſcripturarum claſſe publicare prætermiſimus; non quod editione noſtra digna non eſſet, ſed quod ejus nomen portaret, quæ excellentior eſt, quam ut cum ſcriptoribus aliis indiſcriminatim confunderetur.*

DI-

DIPLOMA I.

Epiſtola S. Marciani epiſcopi Syracuſani ad S. Pancratium Tauromenii epiſcopum. S. Marcianus queritur, quod S. Pancratius diœceſis ſuæ fines egreſſus, in Syracuſanam provinciam contra apoſtolorum decreta irruperit.

Παγκρατίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἐπισκόπῳ τῆς Ταυρομενιτῶν πόλεως ἡμετέρῳ συμπράκτορι, καὶ συλλειτουργῷ. ἐπίσκοπος Μαρκιανὸς τῆς Σαρακουσῶν πόλεως. ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

Pancratio ſanctiſſimo epiſcopo Tauromeniorum civitatis ſocio, & conſacerdoti noſtro Marcianus epiſcopus Syracuſarum in Chriſto ſalutem (*a*).

Anno 50. *circiter.*

Ex actis M.SS. Græcis S. Pancrat. Bibliot. Cryptæ Ferratæ.

Οὕτως ὑμῖν ἀδελφὲ τὸ πρέπον τῆς ἀληθείας ἐμφέρειν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας ἅπασι παράδοσιν διαφυλάττειν, καὶ μὴ παρέρχεσθαι, μήτε παρορᾷν τι ἐκ τῶν ἁγίων ἀποστόλων παραδοθὲν. ἀλλ᾽ ἔργῳ, καὶ λόγῳ φυλάττειν τὴν ὑπόστασιν τῆς κληρονομίας ἡμῶν ἣν ἐκληροδόθημεν. τὸ γὰρ ἀδελφὲ Παγκράτιε ὁ ἀφελόμενος τὴν κληρονομίαν τοῦ ἀδελφοῦ ἐν τῇ παλαιᾷ διαθήκῃ οὐχὶ τὴν μισθαποδοσίαν εἴληφεν; θαυμάζω, ἡ σὴ ἁγιωσύνη τοῦτο πεποίηκε τὰς

DEcet nos, frater, eccleſiaſticæ diſciplinæ ſinceritatem in omnibus retinere, nihilque præterire, aut aſpernari eorum quæ tradita ſunt a ſanctis apoſtolis; ſed verbo & opere cuſtodire terminos ſortis noſtræ, quam ſortiti ſumus. Quid enim, frater Pancrati, qui fratris hereditatem abſtulerat in veteri teſtamento, nonne ab eo repetita eſt retributio? Miror ſi ſanctitas tua hoc admiſit, ut ſanctorum apoſto-

lo-

(*a*) Prædicatæ in Sicilia fidei SS. Pancratium & Marcianum auctores fuiſſe dubitare non ſinunt quæ dabimus infra, Diſſert. I. Deperditis genuinis eorum actis, quædam hiſtoria in lucem prodiit, Evagrii nomine inſignita; ſed ejuſmodi eſt, ut eam communiter reprobent, qui partium ſtudiis non abrepti, uni inquirendæ veritati ſedulo incumbunt. Adi Socios Bollandianos, die 3. Aprilis *de S. Pancratio*; die 10. Maji *de SS. Alph. Philad. & Cyrin.* die 6. Julii *de SS. Maria, Martha, Æſia, Suſanna, & Zenaide*; die 14. ejuſdem *de S. Marciano*, & alibi paſſim. Quamobrem *duas has litteras a nugatore quopiam confictas* arbitratur Cajetanus noſter, minus alioquin ſeverus cenſor, *Animad. in Vitam S. Marciani* pag. 6. ſub n. 12. Et quidem ſcripturæ contextus nullam venerandæ antiquitatis gravitatem ſapit: quin potius degenerem ſe prodit ab illo caritatis æſtu, cui in diſſeminando Evangelio, ſtudebant ultimæ antiquitatis patres: ii enim cor unum & animam unam habentes, communi magis conſenſu & ſpiritu, quam juriſdictionis zelo munus obibant Evangeliſtarum; Conſule S. Ambroſium *Commentar. in Epiſt. ad Epheſ.* cap. 5. verſ. 11.

τας ὅρους τῶν ἀποστόλων παρελθεῖν. εἰ ἡμεῖς ταῦτα διδάξωμεν οἱ αὐτόπται τούτων ἁπάντων γεγονότες, οἱ ὑπὸ ἡμᾶς διδάσκεσθαι μέλλοντες, ποίαν ὠφέλειαν ἐν τοῖς τῆς ἐκκλησίας ὅροις ἕξωσιν; μὴ νομίσῃς δὲ ὅτι ἰρωνίᾳ τινὶ ταῦτα τῇ σῇ ἁγιωσύνῃ γεγράφηκα. ἀλλ' ἵνα ὑπόμνησιν λαβὼν, ὑγιαίνων τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τηρήσῃς, καὶ δηλοποιήσῃς ἡμῖν ἐὰν κατὰ θείαν ἀποκάλυψιν ἐγένετο. εἰ δὲ μὴ, συμβιβασμὸς περὶ τοὺς ὅρους τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἀναμεταξὺ ἡμῶν γενήσεται. διὸ τὰς ἐπαρχείας σου ἐάσας, τῶν ἐπαρχειῶν τῆς πόλεώς μου ἐπέβης. ὡς προεῖπον τῷ ἀδελφέ, οὐχ ἰρωνίᾳ ταῦτα ἔγραψά σοι. ἀλλ' ὅτι λύπη πεπλήρωκε τὴν καρδίαν μου δι' ὧν παρῆλθες τὴν ἐντολὴν τὴν ἡμῶν παραδοθῆσαν ὑπὸ τῶν ἁγίων τούτων ἀποστόλων. ὡς ἐκ τοῦ ἐχθροῦ διαβολικοῦ τι κατηγορεῖν ἡμῖν βουλομένου. θαῤῥῶ δὴ εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. ὅτι ἐν ἑνώσει, καὶ ἐν ἀγαθοεργίᾳ πνευματικῇ ὄντων, ὁ διάβολος ἐκπορθεῖται καὶ ἀπολεῖται, καὶ ἡ τοῦ Χριστοῦ ποίμνη ἱδρυνθήσεται. ἔῤῥωσο ἐν Κυρίῳ ἀδελφὲ παγκράτιε.

lorum terminos tranſgrederetur. Nam ſi ita nos doceamus, qui ſpectatores horum omnium fuimus, qui nobis ſucceſſori ſunt, quem fructum capient ex Eccleſiæ conſtitutionibus? Cave autem exiſtimes, me ridendo hæc. Sanctitati tuæ ſcripſiſſe; ſed potius ut tecum ſana mente recogitans, cuſtodias mandatum Dei, & nobis ſignifices, an ex Dei revelatione hoc feceris. Sin minus, quæſtio inter nos erit de limitibus per apoſtolos conſtitutis; quare provinciæ tuæ fines egreſſus, in meos irruperis. Non joco, inquam, hæc ſcripſi, ſed gravi dolore motus, quod mandatum nobis ab apoſtolis traditum, diabolo nobis inſidiante, violaveris. Confido autem in Chriſto Domino noſtro, quod in unione noſtra, & boni operis fructu evertetur diabolus, & peribit; Chriſti vero grex confirmabitur: vale in Chriſto, frater Pancrati.

DIPLOMA II.

Epiſtola S. Pancratii epiſcopi Tauromenitani ad S. Marcianum Syracuſanum epiſcopum. Propoſitæ ſibi querelæ reſpondet S. Pancratius; cæleſtique monitu in alieno territorio presbyterum ordinaſſe, aſſeverat.

Μαρκιανῷ τῷ ἁγιωτάτῳ ἐπισκόπῳ τῆς σαρακουσῶν πόλεως, καὶ ἡμετέρῳ συλλειτουργῷ, παγκράτιος ἐπίσκοπος πόλεως ταυρομενίας, ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

Τιμιώτατε πάτερ, καὶ φίλε Χριστοῦ. δεξάμενος τὰ γράμματα σοῦ, καὶ ὑπαναγνοὺς τὴν κατὰ θεὸν διδασκαλίαν σου, ὡς τὸ μὴ παρέσχεσθαι

Marciano ſanctiſſimo epiſcopo Syracuſarum, & conſacerdoti noſtro, Pancratius epiſcopus civitatis Tauromeniorum in Domino ſalutem.

Honorande pater, & Chriſto dilecte, perlectis litteris, recognovi divina monita tua, quibus hor-

Eod. Anno

Ex cit. Actis S.Pancratii.

σχέσθαι ἡμᾶς τὰ ὑπὸ τῶν ἁγίων ἀποστόλων ὁροθετηθέντα· ἀλλ᾽ ἕκαστος τὰς φροντίδας τῶν ἰδίων ποιεῖσθαι κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κίνδυνον ἔχειν. ὡς ἐκ τῶν ἡμετέρων πατέρων κληροδοθέντες, ὡς τέκνα ὑπὸ γονέων, καὶ μὴ ὑπερπηδᾷν ἡμᾶς ἀφ᾽ ἑτέρας πόλεως εἰς ἑτέρας, καὶ χειροτονείας ποιεῖσθαι, ἢ ἐκκλησίας ἀνοικοδομεῖν, ὡς διδαχθέντες. ἕκαστος ἐν ᾧ ἐκλήθη, ἐν τούτῳ μενέτω. λοιπὸν ἁγιώτατε μὴ ὑπολάβῃ ἡ σὴ ἁγιωσύνη, καὶ πνευματικὴ συνδιαγωγή. ὅτι κερδᾶναι τι τῶν ἐπαρχειῶν σου, ἢ καθαρπάσαι ἐβουλευσάμεθα, ὡς ἀρχὴν ὑπονοίας τινὸς εἰληφότες, ἢ ὡς τῶν διδασκαλιῶν τῶν ἁγίων ἀποστόλων καταφρονοῦντες, ἢ ὡς καταφρονηταὶ, ἢ ὡς ἐξ ἀμαθείας τινὸς λήθης ἡμῖν διαδραμούσης. μὴ γένοιτο. ἐρῶ σοι ἁγιώτατε Μαρκιανὲ ἐπίσκοπε τῆς Συρακουσῶν πόλεως λειτουργὲ πῶς ἀπέσταλκα τὸν ἄνδρα, καὶ ποίῳ τρόπῳ ἤκουσα τρίτον φωνῆς. ἀλλ᾽ οὐδὲ τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς ἀπὸ σοῦ ἀποκρύψω ἁγιώτατε. ἀρχὴ ἡμῖν ἐγένετο, τὸν λόγον τοῦ θεοῦ διαγγέλλειν ἐν τῇ πόλει οὗτος ὁ ἀνὴρ καὶ φιλόσοφος, καὶ ἁπάσης τῆς πόλεως διακατέχων τὰς ἰαβικὰς βίβλους, καὶ τὰ χαρτῷα τῶν συγγραμμάτων. ἦλθεν δὲ οὗτος μετὰ τὸ πιστεῦσαι τοὺς ἐν τῇ πόλει, καὶ ἐπέδωκέ μοι εὐαγγέλιον, εἰπών. ὅτι τίς ἀνὴρ φοβερὸς, ὡς ἤμην ἐν τῷ οἴκῳ μου, ἦλθεν, καὶ ἐπιδέδωκέ μοι βιβλίον τὸ ἐκ τῆς ἄνωθεν σοφίας τευχθέν. ὡς δὲ λελάληκέ μοι ὁ ἀνὴρ ταῦτα ἐπιδεδωκώς μοι καὶ τὸ βιβλίον. ηὐχαρίστησα τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ θεῷ ἡμῶν τῷ ἐπισκεψαμένῳ τὸ ἴδιον πλάσμα. γνοὺς δὲ ὦ ἁγιώτατε τὸν ἀν-

hortaris, ne prætereamus quæ ab apoſtolis diffinita ſunt; ſed ut ſuum quiſque opus curet in Eccleſia: periculum enim eſſe, ne exemplo noſtro, qui ſuccedent, a recta deflectant. Ideo ne ab una civitate in aliam tranſiliamus, vel ordinationibus faciendis, vel eccleſiis extruendis; ſed in quo quiſque vocatus eſt, in eo maneat. Ceterum ſanctitas tua non arbitretur, nos ſurripere, aut uſurpare aliquid voluiſſe ex provinciis tuis, quaſi dominatum quemdam affectemus, aut magiſtros & doctores ſanctos apoſtolos contemnamus, vel obliti ſimus; abſit. Quod enim rogas ſanctiſſime Marciane, quonam pacto virum miſerim, & quo inſtinctu: ter voce admonitus ſum; ſed neque celabo te hominis virtutem, ſanctiſſime, qui principium nobis fuit divini verbi in civitate prædicandi. Philoſophus hic erat, & totius urbis libros patrios, & tabulas obtinebat, quumque ad fidem cives accederent, Evangelii Codicem mihi exhibuit, dicens ſibi eum domi traditum a terribili quodam viro dicente: Cape hoc volumen, cæleſti ſapientia conſcriptum. Quod ubi ex eo cognoviſſem, accepto libro, gratias egi Domino noſtro Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro, qui creaturam ſuam aſpexiſſet. Animadvertens porro in hoc viro divinam gratiam emicare, totondi ipſum, & diaconum feci, paucis vero diebus interjectis, vocem audivi: Pancrati, Epaphroditum (*a*) diaconum in

(*a*) Hominem quemdam Epaphroditum nomine, ad apoſtolatus munera adimplenda ſatis idoneum, ſocium Evangelicæ prædicationis ſibi aſciviſſe S. Pancratium, refert gravis & antiquus ſcriptor, Gregorius Byzantinus

ἄνδρα. ὅτι θεία χάρις ἦν ἐπ' αὐτόν, λαβὼν ἀπέκειρα αὐτόν, καὶ ἔδωκα αὐτῷ τὴν τοῦ διάκονος χειροτονίαν. ὀλίγων δὲ ἡμερῶν διελθουσῶν, ἤκουσα θεομήνυτον φωνὴν λέγουσαν πρός με. παγκράτιε, ἐπαφρόδιτον τὸν διάκονα χειροτόνησον πρεσβύτερον, καὶ ἀπόλυσον ἐν τοῖς μέρεσι ταραχίνης. τρίτον δέ μοι ταῦτα ἤκουσα. λαβὼν δὲ πεποίηκα ὡς ἐκελεύσθην. ὡς προεῖπον οὐχ ἁρπάσαι σοῦ τί θελήσας, ἁγιώτατε, μὴ γένοιτο. τί γάρ μοι ὡς τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν εἰς ἀλλοτρίας ἐπαρχείας πεποιηκέναι πρεσβύτερον. φησὶν ὡς μὴ ἐπαρχειῶν οὐσῶν μοι. οἶδε Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ καλέσας ἡμᾶς κλήσει ἁγίᾳ διὰ τῶν ἁγίων αὐτοῦ ἀποστόλων καὶ μαθητῶν. ὁ καὶ ἐπαφρόδιτον καλέσας εἰς κλῆσιν ἁγίαν. ὅτι οὐ κατὰ ἴδιον θέλημα ἔπεμψα ἐν ταῖς ἐπαρχείαις σου τὸν ἡμέτερον ἀδελφόν, ἀλλὰ κατὰ ἰδίαν ἀποκάλυψιν. ὅμως οὖν ἁγιώτατε σὸς καὶ ὁ πρεσβύτερος, καὶ αἱ ἐπαρχεῖαι. τοῦτο δὲ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἀποκαλύψει τῇ ὑμετέρᾳ ἁγιωσύνῃ. μοχθηρὸν δὲ (a) γενέσθω ὦ πάτερ τοῦ ἐπισκέψασθαι τὸν ἡμέτερον ἀδελφὸν καὶ σύνδουλον ἐπαφρόδιτον, καὶ ἡμῖν εὔχεσθαι. ἵνα κατευοδώσῃ ἐν πᾶσι, Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς τοῖς αὐτὸν ἐπικαλουμένοις. Ἀμήν.

promove ad presbyteratum, & dimitte eum in partes Toracineæ, atque hanc ipſam vocem ter audivi: quare feci, quod juſſus eram; quippe non uſurpandi juris tui ſtudio, ut dixi, ſanctiſſime; abſit. Quid enim juvaret, trium dierum iter in alienam provinciam presbyterum mitti, quaſi ipſe provinciis carerem? Novit Dominus Jeſus Chriſtus qui nos vocavit per ſanctos apoſtolos ſuos, & diſcipulos, qui & Epaphroditum aſſumpſit in vocationem ſanctam, quod non mea voluntate miſerim fratrem noſtrum in provinciam tuam; ſed divina revelatione. Verumtamen tuus eſt, ſanctiſſime, hic presbyter, & tuæ provinciæ. Hoc enim Dominus Jeſus Chriſtus revelabit tuæ ſanctitati, quare grave tibi non ſit fratrem, & conſervum noſtrum Epaphroditum protegere, & pro nobis precari ut glorificetur Dominus Jeſus in omnibus, qui invocant eum. Amen.

---

nus *Encom. in S. Pancratium*, quem poſt Cajetanum noſtrum publicavit continuator Johannis Bollandi, Godefridus Henſchenius die 3. Aprilis *de S. Pancratio Epiſc. Taurom.* quare ex genuina hac hiſtoria figmentum ſuum Pſeudo-Evagrius effinxiſſe videtur.

(a) Forte deficit μή.

DIPLOMA III.

Epiſtola Zephyrini papæ ad omnes epiſcopos Sicilienſes. De judiciis epiſcoporum, & majoribus cauſſis, in Sede apoſtolica terminandis.

Romanæ urbis archiepiſcopus Zephyrinus omnibus per Siciliam conſtitutis epiſcopis in Domino ſalutem (*a*).

Anno 203. circiter.

Labbe tom. 1. Cõc. col. 620.

*Hilarii papæ epiſt. 3.

*S. Proſp. ſent. 120. ex S. Aug. in pſal. 93.

* Felix I. Et in Decr. Ivon. lib. 4.

* Anianus in conſt. 1. tit. 40. lib. 9. Cod. Theod.

* DIvinæ circa nos gratiæ memores eſſe debemus, quæ nos per dignationis ſuæ miſericordiam, ob hoc ad faſtigium ſacerdotale provexit, ut mandatis ipſius inhærentes, & in quadam ſacerdotum ejus ſpeculatione conſtituti, prohibeamus illicita, & ſequenda doceamus. * Sicut ſtellas cæli non extinguit nox, ſic mentes fidelium firmamento inhærentes ſanctæ Scripturæ non obſcurat mundana iniquitas. Iccirco meditari vos oportet, & Scripturas, & præcepta divina, quæ in Scripturis continentur, diligenter attendere; ne tranſgreſſores legis Dei, ſed impletores appareatis.

Patriarchæ vero, vel * primates accuſatum diſcutientes epiſcopum, non ante ſententiam proferant finitivam, quam apoſtolica fulti auctoritate, aut reum ſeipſum confiteatur, aut * per innocentes, & regulariter examinatos convincatur teſtes; qui minori non ſint numero, quam illi diſcipuli fuerunt, quos Dominus ad adjumentum apoſto-

(*a*) Epiſtolam hanc Zephyrini, & illam Eutychiani, infra ſub n. VII. exſcribendam una ſimul cum reliquis decretalibus aliorum Romanorum pontificum Siricii deceſſorum, quas ſub Iſidori Mercatoris nomine publicavit Franciſcus Turrianus, ſuppoſititias eſſe, atque poſt ſeptimum ſæculum confictas, eruditorum hodie nullus dubitat. Et ut de argumentis taceam, quæ omnium ſimul falſitatem demonſtrant, quæque in unum colligere fuit operis Natal. Alexand. *Hiſt. Eccl.* tom. 3. ſæcul. 1. Diſſert. 21. duas has epiſtolas, non tertio Eccleſiæ ſæculo, ſed longe tardius ſcriptas eſſe, quinque potiſſimum convincunt rationes. I. Sacri Textus ſententiæ non unæ juxta verſionem, quam ſtudio S. Hieronymi ſæculo quinto Eccleſia obtinuit. II. Falſa temporum deſignatio: nam nec ſedente Zephyrino, Saturninus & Gallicanus, nec Eutychiano pontifice, Corus & Carinus conſulatum ſimul geſſerunt. III. Scripturæ contextus: de judiciis enim, & delictis rectorum eccleſiæ tractant, quod a primis illis ſæculis calido adhuc martyrum ſanguine flagrantibus abhorret omnino. IV. Nomina archiepiſcopi, primatis, & patriarchæ, quæ tunc temporis apud Occidentalem ſaltem eccleſiam, ut communis eſt eruditorum ſententia, nondum obtinuerant. V. demum ſententiæ & verba mutuata ex operibus recentiorum ſcriptorum, quos in margine citamus juxta accuratam obſervationem, quam erudite fecit Blondellus, temerarius alioquin auctor ex Calviniſtarum ſecta, *in Prologominis Pſeudo-Iſidori* cap. 13.

ſtolorum eligi præcepit, id eſt ſeptuagintaduo. * Detractores quoque, qui divina auctoritate eradicandi ſunt, & auctores inimicorum ab epiſcopali ſubmovemus accuſatione vel teſtimonio. Nec ſummorum quiſpiam minorum accuſationibus impetatur, aut diſpereat. * Neque in re dubia certa judicetur ſententia: nec ullum judicium, niſi ordinabiliter habitum, teneatur. Abſens vero nemo judicetur, quia & divinæ, & humanæ hoc prohibent leges. Accuſatores autem eorum, * omni careant ſuſpicione, quia columnas ſuas Dominus firmiter ſtare voluit, non a quibuslibet agitari; nullum namque eorum ſententia, * a non ſuo judice dicta, conſtringat, quia & leges ſæculi id ipſum fieri præcipiunt.

* Hadrian. coll. 58.

*Greg. ep. 30. lib. 8. & ep. 52. lib. 11.

* Hadrian. coll. 15.

* Cod. conſt. unica lib. 4. tit. 16.

Duodecim enim judices, * quilibet epiſcopus accuſatus, ſi neceſſe fuerit, eligat, a quibus ejus cauſſa juſte judicetur. Nec prius audiatur, aut excommunicetur, vel judicetur, quam ipſi per ſe eligantur, & regulariter vocato, ad ſuorum primo conventum epiſcoporum, per eos ejus cauſſa juſte audiatur, & rationabiliter diſcernatur. Finis vero ejus cauſſæ ad Sedem apoſtolicam deferatur, ut ibidem terminetur. Nec antea finiatur, ſicut ab apoſtolis, vel ſucceſſoribus eorum olim ſtatutum eſt, quam ejus auctoritate fulciatur. Ad eam quoque ab omnibus, maxime tamen ab oppreſſis appellandum eſt, & concurrendum, quaſi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & a ſuis oppreſſionibus releventur quia * *non poteſt*, nec debet *mater oblivifci filium ſuum*.

*Cōcil. Carth. I. & Tribur. Can. 10.

* Iſa. 49.

Judicia enim epiſcoporum, majoreſque Eccleſiæ cauſſæ, * a Sede apoſtolica, & non ab alia ſicut apoſtoli, & ſancti ſucceſſores eorum ſtatuerunt cum aliis epiſcopis ſunt terminandæ, quia licet in alios transferantur epiſcopos, beato tamen apoſtolo Petro, dictum eſt: * *Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*; & reliqua privilegia quæ ſoli huic ſanctæ Sedi conceſſa ſunt, & in conſtitutis apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, aliiſque quamplurimis cum eis concinentibus habentur inſerta.

* S. Greg. lib. 2. epiſt. 7. hic Dipl. 81.

* Matth. 10.

Septuaginta enim apoſtoli ſententias præfixerunt cum aliis quamplurimis epiſcopis, & ſervandas cenſuerunt. De occultis enim alieni * cordis temere judicare peccatum eſt; & eum cujus non videntur opera, niſi bona, iniquum eſt ex ſuſpicione reprehendere, quum eorum quæ hominibus ſunt incognita, ſolus Deus judex ſit; ipſe vero novit abſcondita cordis, & non alius. Injuſta enim judicia ab omnibus cavenda ſunt, maxime tamen a ſervis Dei: * *Servum autem Dei non oportet litigare*, nec quemquam damnare; epiſcopi namque a plebibus, & clero, & Domini ſervis * ferendi ſunt, & ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia, ſperentur æterna. Auget enim merita virtutis, quod propoſitum non violat religionis. Satagendum eſt vobis, ne aliquis fratrum veſtrorum graviter laceretur, vel pereat. Succurrere ergo vos oportet oppreſſis, & liberare eos de manu perſequentium, ut cum beato Job dicatis: * *Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitiâ in-*

* Profp. ſent. 21. ex S. Aug. in pſ. 118.

* Pſalm. 43. 2. Tim. 2.

* Profp. ſent. 34. ex S. Aug. in pſ. 124.

* Job. 29. ex verſ. vulgata.

dutus ſum , & veſtivi me veſtimento , & diademate ; judicio meo. Oculus fui cæco , & pes claudo . Pater eram pauperum , & cauſſam quam neſciebam diligentiſſime inveſtigabam . Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam ; Et reliqua.

Vos ergo, qui in ſpecula a Domino eſtis poſiti, comprimere & repellere eos ſummopere debetis, qui fratribus inſidias præparant, aut in eos ſeditiones, & ſcandala excitant. Facile eſt enim verbo fallere hominem, * non tamen Deum. Ideo hos repellere, & ab his vos cavere oportet, quatenus extincta funditus hujuſmodi caligine, * lucifer eis reſplendeat, & lætitia oriatur ſanctiſſimi fratres. Data 12. Cal. Octobris Saturnino, & Gallicano viris clariſſimis conſulibus.

* Sixti ſent. 176.

* Steph. Dorenſis conſu t. 2. ſyn. Later. ſub Martino I.

DIPLOMA IV.

Epiſtola Valeriani ſocii & aſſeſſoris Licinii imperatoris ad Diomedem Puteolorum principem. Ut ſanctos tres fratres, Alphium, Philadelphum, & Cyrinum ad Tertyllum in Siciliam mittat: eorumque ſocios multis ipſe tormentis interimat.

Valerianus ſocius & aſſeſſor Licinii ſemper auguſti & imperatoris Diomedi principi Puteolorum, & totius regioni eorum, ſalutem plurimam dicit (*a*).

Anno 253. circiter.

Socii Bolland. die 10. Maji pag. 775. n. 10.

QUoniam novimus promptam & conſtantem voluntatem tuam, quam erga deos immortales habes, miſimus ad te hos qui nobis miſſi fuerunt a Nigellione, cariſſimo nobis tamquam filio, viros quatuordecim, & puerulos tres fratres, & alium horum trium nepotem. Sunt autem viri ad maledicendum prompti, atque pro-

(*a*) Caremus hodie actis genuinis & ſinceris SS. Alphii, Philadelphi, & Cyrini. Quæ ſub eorum nomine circumfertur hiſtoria græca ſimul & latina, vel ſtilo indice, eruditis omnibus ſuſpecta eſt & fabuloſa. Conſule Baronium *ad Martyr. Rom.* die 10. Maji, Cajetanum *de Ss. Sicul.* tom. 1. *in Animad. ad vitam SS. Alph. Philad. & Cyrin.* Tillemont *Hiſtor. Eccleſ.* tom. 1. *de Perſec. Decii* art. 4. & aliis prætermiſſis, Socios Bollandianos, die 10. Maji *de Ss. Alph. Philad. & Cyrin.* §. 3. Hoc fuit in cauſſa, quamobrem epiſtolam hanc, & duas immediate ſequentes ex eiſdem actis exſcriptas, huc in Appendicem veluti ſuſpectas rejecimus. Quem enim eruditorum latet, ut de argumentis aliis taceam, Licini perſecutionem per Orientem ſolum graſſatam eſſe? Sane Occidentalis imperii habenas magnus ille Conſtantinus tum moderabatur, qui a perſequendis fidelibus prorſus abhorrens, de Chriſtiana religione propaganda magnopere erat ſolicitus.

protervi valde, utpote qui per ſingulas interrogationes deos noſtros deteſtari non ceſſent: eſtque ipſorum Oneſimus, quem quidem cum aliis quatuordecim iſtic multis acerbiſque tormentis interimi mandamus: reliquos vero tres pueros mittito in Siciliam ad Tertyllum qui eam inſulam gubernat. Vale.

DIPLOMA V.

Epiſtola ejuſdem Valeriani ad Tertyllum Siciliæ gubernatorem. Ut ſanctos tres fratres, Alphium, Philadelphum, & Cyrinum, ubi conſtantes in confeſſione veræ fidei cognoverit, omni genere tormentorum adhibito, perquam crudeliter occidat.

Valerianus præſes, conſors & aſſeſſor domini Licinii ſemper auguſti, maximi, ac perpetui imperatoris (a quo commiſſum hoc ipſum accepit) Tertyllo dilecto tamquam filio, Siciliam provinciam gubernanti ſalutem.

QUoniam univerſus terrarum orbis imperatoris paret edicto, & diis invictis quos colit, ſacrificat; peſſimum autem Chriſtianorum genus nullo modo ad imperatoris edictum flecti poteſt, miſſi nobis fuerunt ex Vaſconum regione a Nigellione nobis cariſſimo, viri quidam ſtulti & idiotæ, numero decem & octo, quibus non potuimus perſuadere ut diis noſtris ſacrificarent: & ideo eos miſimus Puteolos ad Diomedem unanimem nobis, ut niſi perſuaderentur ſacrificare, quindecim ex iis plurimis & aſperrimis cruciatibus ſuppoſiti, e vita pellerentur. Tres autem pueros miſimus ad te, ut jucundo placidoque vultu tuo diis noſtris immortalibus ſacrificare perſuadeas; cujus rei gratia ipſos ab aliis improbis ſeparari mandavimus, a quibus hi decepti nobis contradicunt. Quod ſi tuis adhortationibus adhæſerint, & diis ſacrificaverint, veniam conſequantur, & omni cum honore ad nos remittantur, nam ipſi ſunt opus imperatori; ſin autem hoc non fuerit perſuaſum, omne genus tormentorum excogitato, & multos varioſque inferens cruciatus e vita pellito. Idque tibi mandavimus, eo quod, ſtudium tuum, bonamque & promptam voluntatem erga deos immortales, ipſumque imperatorem, & nos cognoſcimus. Vale.

Eod. Anno

Citati Socii Bolland. pag. 776.

DI-

DIPLOMA VI.

Epiſtola S. Theclæ virginis ad Romanum pontificem. De S. Neophyto eligendo epiſcopo Leontino.

Domino ac beatiſſimo papæ (*a*).

Ann. 255. *circiter.*

Oct. Cajetan. de SS. Sicul. tom. 1. *in Animad.* pag. 76.

DIvino ſane conſilio miſit ad te Deus hominem frugi, quem nobis epiſcopum creares, ut ipſius populum baptizaret, & paſceret; præſertim quum Deus certam tibi fecerit hominis puritatem. Sunt autem apud me ſtipendia quædam, quæ ſatis erunt ad eccleſias tum maxime laudandæ Deiparæ, tum ſanctis glorioſiſque Martyribus ædificatas; ſuburbia duodeviginti, aliaque octo Juſtinæ conſanguineæ meæ: jumenta quoque, & ovium mearum novem millia, Juſtinæ vero tria millia; multæque aliæ, tum pecuniæ, tum poſſeſſiones quas Dominus daturus eſt communis patris noſtri ſanctitati, qui talem hic & nomine, & moribus ſe præbiturus eſt. Quamvis enim, ut mihi certe videtur, ſanctos ac valde honorandos apoſtolos latuerit, urbem hanc epiſcopo dignam in epiſcopatum decernere. At muto mentem, & veniam peto, ne irritare atque ad iram incitare videar ſpiritum Dei; mihique adeo idem contingat, quod Ananiæ, & Saphiræ, in quos apoſtolorum princeps Petrus ob ipſorum temeritatem mortis tulit ſententiam. Id vero potius indignitatis, humilitatiſque meæ conſcia dico non latuiſſe quidem, ſanctos ac glorioſos apoſtolos, quod ego indigna jam ſcribere auſa ſum, ſed vero divinæ providentiæ diſpenſatione factum eſſe, ut res ad tua uſque tempora, cujus eſt admirabilis in Deum amor, ſervaretur, ac pro voto noſtro compleretur. Jamdiu enim (quod te, communis pater noſter minime fugit) palmites in Sicilienſem provinciam miſſi ſunt. Nemo tamen ex patribus eccleſias ipſis deſtinatas circumluſtrantibus noſtram in metropolim eſt ingreſſus. Quamobrem litteras ad tuam beatitudinem ſcribere in animum induximus, ut ſupplices preces noſtras ad te ne deſpicias, verum adſtipuleris, & annuas; minimamque hanc noſtram metropolim, vel Dei potius urbem, populumque, & oves paſcuæ ejus in reliquarum earum urbium numerum aſcribas, quæ in hac Sicilienſi provincia ſub epiſcopis ſunt a ſanctorum ac beatorum apoſtolorum Sede conſtitutis, ordinatiſque prout tibi Dominus perſuaſerit. Vale ſemper in Domino beatiſſime.

DI-

(*a*) Qualem cenſuram ſubeat hiſtoria SS. Martyrum Alphii, Philadelphi, & Cyrini expoſuimus hactenus; reſtat jam nunc ut exponamus quid de tertia ejuſdem hiſtoriæ parte epiſtolam hanc continente, ſingillatim ſcripſerint iidem Socii Bollandiani cit. §. 3. n. 16. *Hæc vero pars quanto*

DIPLOMA VII.

Epiſtola Eutychiani papæ ad epiſcopos Siciliam conſtitutos. De forma judicii eccleſiaſtici.

Dilectiſſimis fratribus univerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis, Eutychianus (*a*).

Anno 275. circiter.

Labbe tom. I. Cõcil. col. 934.

* Epheſ. I. ex verſione mixta ex Italica & Hieronymiana.

* *Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in caritate, prædeſtinans nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificatus eſt nobis in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in nobis in omni ſapientia, & prudentia, ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo. In quo etiam ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ut ſimus nos in laudem, & gloriam ejus, qui ante ſperavimus in Chriſto: in quo, & vos quum audiſſetis verbum veritatis, Evangelium ſalutis veſtræ: in quo, & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius. Propterea & ego audiens fidem veſtram in Domino Jeſu Chriſto, & dilectionem in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ, & revelationem in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credidimus ſecundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſuper omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed*

to accuratiori ſtilo videtur conſcripta, expreſſis ſcrupuloſe annorum ac dierum numeris, tanto notiorem facit ſcriptoris audaciam; qui velut de ſingulis informatiſſimus, tot interim tantaſque abſurditates huic parti admiſcuit, ut nec tolerabilis quidem figmenti ſpeciem præſeferat.

(*a*) Conſule quæ dedimus ſupra in monitis ad epiſtolam Zephyrini, in hac Appendice Dipl. III.

ſed & in futuro; & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam quæ eſt corpus ejus, & plenitudo ejus: qui omnia in omnibus adimplet. * Ephef. 2. * *Et vos, quum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi hujus, ſecundum principem poteſtatis aeris hujus ſpiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus, & nos aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filii iræ, ſicut & ceteri.*

Modo fratres, quia ex filiis iræ ſua gratia, & gratuita miſeratione fecit nos Deus filios ſuos: & nos qui digni ſervi non eramus, nullis meritis præcedentibus, ſed * Rom. 8. * *ſua*, ut diximus, *gratia facti ſumus filii ejus, in quo clamamus: Abba Pater*: ſequentes ejus exempla, ſimus filii miſericordiæ, & juſtitiæ, atque dilectionis, ut veri filii Dei, & dici & eſſe ipſo auxiliante valeamus, deponentes juxta * 1. Petr. 2. * Petrum apoſtolum, *omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones*: Hi vero, qui talia agunt, non filii Dei, ſed potius filii nequam eſſe comprobantur, ſicut Paulus * Galat. 5. * ait Apoſtolus: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Grave, fratres verbum, & horrendum nimis, quod ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Et ipſa per ſe veritas dicit: * Matth. 16. * *Quid prodeſt homini, univerſum mundum lucrari, animæ vero ſuæ detrimentum pati?* Gravia ſunt nimis quæ prætulimus, & pervalde cavenda. Quibus enim regnum Dei præcluditur, procul dubio, & Eccleſia denegatur. De quibus Dominus in Evangelio poteſtatem apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum annuntians, ait: * Johann. 20. Matth. 18. * *Quorum dimiſeritis peccata, dimittuntur eis: & quorum alligaveritis, alligata erunt*: id eſt quibus Eccleſiam interdixeritis, niſi reconciliati per ſatisfactionem fuerint, ipſis, & janua regni cæleſtis clauſa erit.

DECRET. I. De modo recipiendi accuſationē adverſus clericos.

Unde iſta præcaventes, & ſtultorum animos prævidentes, cura paſtorali cum omnibus epiſcopis, & ſanctæ Romanæ, atque univerſalis Eccleſiæ utriuſque ordinis fidelibus ſtatuimus, non ita in eccleſiaſticis agendum eſſe negotiis, ſicut in ſæcularibus. Nam in ſæcularibus legibus, poſtquam vocatus quis venerit, & in foro decertare cœperit, non licet ei ante peractam cauſſam recedere; in eccleſiaſticis vero dicta cauſſa recedere licet, ſi neceſſe fuerit, aut ſi ſe prægravari viderit. * Adr. coll. 7. ex Cod. Theod. lib. 9. tit. 1. cōſtit. 2. * Accuſationis vero ordinem talem & dicimus, & ſervari jubemus, id eſt: Si quis clericorum in crimine impetitur, non ſtatim reus exiſtimetur, qui accuſari potuit, ne ſuſpectam innocentiam faciamus. Sed quiſquis ille eſt, qui crimen intendit, in judicium veniat: nomen rei indicet: vinculum inſcriptionis arripiat: cuſtodiat ſimilitudinem: habita tamen dignitatis æxtimatione potiatur. Nec forte tibi noverit licentiam mentiendi, quum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii. Hæretici enim omnes, & ſuſpecti, & excommunicati, homicidæ * Adr. coll. 63. * quoque,

que, atque malefici, fures, ſacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falſum teſtimonium dixerint, ſeu qui ad ſortilogos, magoſque concurrerint, nullatenus ad accuſationem ſunt admittendi.

Nulli infami umquam, atque ſacrilego de quocumque negotio liceat adverſus religioſum Chriſtianum, quamvis humilis, ſervilisque perſona ſit, teſtimonium dicere, nec de qualibet re, actione, vel inſcriptione Chriſtianum impetere. Omnibus quoque ſimiliter accuſandi, vel teſtificandi licentia denegetur, qui Chriſtianæ religionis, & nominis dignitatem, & ſuæ legis, vel ſui propoſiti normam, aut regulariter prohibita neglexerint. DECR. II. De his qui nõ debent admitti ad accuſationem religioſorum.

Similiter prohibemus ut nullæ cauſſæ a judicibus eccleſiaſticis audiantur, quæ legibus non continentur vel quæ prohibitæ eſſe noſcuntur. Hæc non ſolum eccleſiaſticæ, ſed & ſæculi leges obſervari præcipiunt. Non enim paſſim * vageque ſacerdotum accuſatio debet fieri. Nam ſi facile admitteretur, perpauci nimis invenirentur: *Quia * omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto perſecutionem patiuntur. Beati tamen, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*. Unde & ipſe per ſe veritas ait: * *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt. * Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dediſti mihi abs te ſunt, quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt: & cognoverunt vere, quia a te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro eis quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis. Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo; quos dediſti mihi, ut unum ſint, ſicut & nos. Quum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi cuſtodivi; & nemo ex his periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum: & mundus odio habuit eos, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos a malo. De mundo non ſunt, ſicut ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt, ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate; non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, & mundus credat, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, ut cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater juſte, mundus te non cognovit; ego au-*

DECR. III. In negotiis eccleſiaſticis nõ procedatur modo ſeculari.

* Conc. Carth. II. c. 6.
* I. Tim. 3.
* Matth. 5.
* Johan. 17.

tem te cognovi, & hi cognoverunt, quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti me in ipſis

* Johann. 4.

ſit, & ego in ipſis. Et idem Johannes * apoſtolus & evangeliſta in prima epiſtola ſua loquitur, dicens: Cariſſimi, diligamus invicem, quia caritas ex Deo eſt: & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quia Deus caritas eſt. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum ut vivamus per eum. In hoc eſt caritas, non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Cariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & caritas ejus in nobis perfecta eſt. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit filium ſuum Salvatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Jeſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognovimus, & credimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas eſt: & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt caritas nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Timor non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet non eſt perfectus in caritate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos: ſi quis dixerit, quoniam diligo Deum & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui autem non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum,

* 1.Johann.5.

diligat, & fratrem ſuum. * Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus. Ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit diligit & eum, qui natus eſt ex eo. In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, quum Deum diligamus, & mandata ejus faciamus. Hæc eſt enim caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non

* Pſal. 33. ex verſione S.Hieronymi, quam cum vetere, & Italica permiſcet.

ſunt. Et per Prophetam * Dominus, monendo, ne lædantur diſcipuli ſui, eorumque ſucceſſores, inquit; Circumdat Angelus Domini in gyro timentes eum, & eruat eos. Guſtate, & videte, quoniam bonus eſt Dominus. Beatus vir qui ſperat in eo. Timete Dominum omnes ſancti ejus, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Leones indiguerunt, & eſurierunt: quærentibus Dominum non deerit omne bonum. Ambulate filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis eſt vir, qui velit vitam, diligit dies videre bonos? Cuſtodi linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Recede a malo, & fac bonum: quære pacem, & perſequere eam. Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad clamorem eorum. Vultus autem Domini in facientes malum; ut perdat de terra memoriam eorum. Clamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Juxta eſt Dominus contritis corde, & confractos ſpiritu ſalvabit. Multa mala juſto, & ex omnibus illis liberabit eum Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa ejus, unum ex his non confringetur. Interficiet impium malitia, & odientes juſtum culpabuntur.

* Re-

* *Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum, & liberabit eos. Vos ergo fratres ſuper Dominum ponite corda veſtra, & ipſe enutriet vos, quia non dabit in æternum fluctuationem juſtis. Deus autem Dominus noſter deducet inimicos noſtros*, juxta Prophetæ vocem, *in puteum interitus, quoniam viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Vos autem ſemper ſperate in Domino, & fiduciam habetote in eo, quia ipſe liberabit nos.* * *Ipſe eſt enim benedictus a ſæculo uſque in ſæculum, & regni ejus non erit finis*. Data decimo tertio Cal. Octobris, Caro ſecundo, & Carino viris clariſſimis conſulibus.

* Pſalm. 54.

* Luc. 1.

DIPLOMA VIII.

Fragmentum donationis Conſtantini magni. Maſſæ & territoria in Sicilia eccleſiæ Romanæ donantur (a).

Maſſam in Caſtis in territorio Catanenſi, præſtantem ſolidos mille. Maſſam Trapeas in territorio Catanenſi, præſtantem ſolidos mille ſexcentos quinquaginta.... Maſſa intra Siciliam Taurana ex territorio Parentienſi, præſtans ſolidos quingentos.

Anno 324.

Baron. ann. 324.

(a) Quod eccleſiæ Romanæ Conſtantini liberalitate temporalia bona ſat ſuperque abunde acceſſerint, nemo umquam ivit inficias; xeniorum nihilominus charta, *Donatio Conſtantini* communiter nuncupata, cujus fragmentum hic exſcripſimus, ſuppoſititiam eſſe, fruſtra reclamantibus aliquibus ſcriptoribus, ex propoſito demonſtrant, Petrus de Marca *Concord. Sacer. & Imper.* lib. 3. cap. 12. Joſeph Cantelius *Hiſtor. Metropol. Vrb.* tom. 1. par. 2. Diſſert. 2. cap. 2. Natalis Alexand. *Hiſtor. Eccleſ.* tom. 4. ſæcul. 4. Diſſert. 25. Gerardus Caſteel *Controverſ. Eccleſ. Hiſtor.* Controv. 27. Et abſque ulteriori argumento ſcripturam hanc fictitiam convincunt ipſæ donatæ maſſæ, a S. Gregorio patrimonii S. Petri in Sicilia ſcriptore diſertiſſimo alioquin non memoratæ. Vide, ſis, Diſſertat. V. n. 2.

DIPLOMA IX.

Privilegium Arcadii imperatoris. Quo Meſſanenſium urbs in tota magna Græcia, & Sicilia protometropolis conſtituitur, aliiſque muneribus, beneficiis, exemptionibus, ac privilegiis liberaliter donatur (a).

Anno 400. *circiter.*

Bonfil. hiſtor. Meſſan. lib. 8. in fine.

ARcadius ſanctæ brachio Trinitatis in orbe monarcha Chriſtianorum baſis, & protector Romanorum auguſtus imperator hæc notari juſſimus Cryſobullam per manus Arſenii Durachi ſcribæ noſtri civibus, & civitati Meſſanæ propter honorem quem ex illa conſequentur, pateat omnibus auxilium quod nobis, & imperio præſtiterunt.

Eramus in civitate Theſſalonicæ a Bulgaris noſtris hoſtibus, & imperii rebellibus obſeſſi: qui adhæſerant Conſtantio proditori prævaricanti Conſtantinopolim fere, totamque Traciam, & alias imperii provincias, ſcripſimus multis gentibus pro ſuccurſu: quæ nequientes defecerunt. Siculos non tetigimus quia moleſtabantur ab Agarenis, ſed prædicta civitas Meſſanæ non requiſita, nec citata claſſem animoſe paravit, quæ ab inſperato ſupravenit; galeas quæ non obſidebant in pelago vicit, ſubitoque impetu proſtravit hoſtes qui non etiam terras cohercebant, ut ſic errarent diſperſi, qui fuga turpi ſine vexillo .... fœdam haberent ſalutem. Quibus voluerunt ſervitiis ſervitia cumulare, & ad noſtram petitionem noſtram perſonam, & noſtros cum eorum claſſe Conſtantinopolim honorifice detulerunt. Ubi civitate nobis reducta, Conſtantius factionis caput cum proditoribus Megapalatio ſe tutaverunt; quod Meſſanenſes oppugnantes ceperunt in manibuſque noſtris Conſtantium, & ceteros proditores aſſignarunt: propter quod juſta duximus civitatem, & ipſos cives maximis præconiis decorare, quum maxima promereantur; ideo fecimus ipſam civitatem in tota magna Græcia, & Sicilia protometropolim, dominium loco noſtri, & ſucceſſorum noſtrorum totius Siciliæ perpetuo dedimus. Exemptam & liberam fecimus, ut illam Romani fecerunt ab omnibus angariis, perangariis taxis, dohanis, & contributionibus ubicumque fuerint. Stolum motu proprio fecit in noſtrum, & im-

(a) Hocce privilegium memorant, Fazellus, Maurolycus, & Bonfilius, quibus ſe ultro ſubſcribunt, Piccolus, Reina, Morabitus, de Angelo, ceterique omnes ſcriptores Meſſanenſes; vellem nihilominus, ut eadem ſit apud omnes hujus chartæ fides: nam Rocchus Pyrrhus *Notit. Eccleſ. Meſſ.* ad annum Chr. 400. eam cordate fabuloſam ac pene ridiculam prædicat; ipſiuſque ſive exemplum, ſive auctoritatem ſecutus, totis ingenii ſui viribus ex propoſito rejiciendam ſibi delegit Franciſcus Strada *Glor. Aquil. Trium.* cap. 45. pag. 302. & ſeqq. Ii rem videant, quorum eam eſſe veram intereſt plurimum: nobis enim ſat eſt oſtendiſſe, monumentum iſtud jure ac merito hic inter dubia recenſiſſe.

imperii ſuccurſum, propterea nullus Meſſanenſis quum noluerit ad armatam per mare, nec terra ire cogatur. Dignificamus etiam ipſam ſic, quod æquetur Conſtantinopoli, nulla umquam vexatione ſuſtantiali vel perſonali cives ejus graventur, ſed ubique perhonorentur. Nullus ei, vel eorum alicui contumeliam, vel ignominiam, & injuriam audeat inferre, conſcius illam imperatori feciſſe, ſeque in magno crimine incidiſſe, & habere ſceptrum imperatorium pro ultore, & ipſius civitatis ſtrategotus licet non fuerit miles ad ipſius civitatis honorem dum in officio præfuerit, militum inſignia portet, & quum transfretare voluerit imperator Meſſanenſium galeam aſcendat, cui ceteræ de claſſe reverentiam præſtabunt, ſibique cedant etiam ſi perſona imperatoris affuerit. Rhegium civitatem, & Hymeram ipſi civitati aſſignavimus peculium, & imperatoriæ coronæ de membris nobilibus conſtituimus in æternum a qua nullo eventu ſegregetur. Utque ſit notum omnibus quantum cupimus ipſam civitatem eminere: ſibi noſtrum dedimus vexillum & arma, quæ geſtabit honore ſummo noſtris æquale, ceterarum civitatem armis, & vexillis ſubjacentibus excellere illam decrevimus velut extulit ſemetipſam nobis, & imperio ſuccurrendo. Præſentem Cryſobullam propriis manibus Mitrodoro, & ceteris civibus Meſſanæ conſignavimus Conſtantinopoli in campo Panhierio, congregatis illic patriarcha reverendo, archiepiſcopis, epiſcopis, magnatibus, & plebe nobis ad honorem, & gloriam ipſius civitatis in throno imperatorio, cum inſigniis conſedentibus. Dat. poſt mundum creatum annis . . . . .

DIPLOMA X.

Decretalis epiſtola S. Leonis papæ I. ad omnes epiſcopos Siciliæ. De rebus eccleſiæ ab epiſcopis non alienandis.

Leo papa univerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis, in Domino ſalutem (*a*).

OCcaſio ſpecialium querelarum, curam nobis providentiæ generalis indicit, ut quod in duabus provinciæ veſtræ eccleſiis improbe geſtum, injuſteque præſumptum eſt; id conſtitutione perpetua ab omni epiſcoporum uſurpatione reſecemus. Tauromenitanis enim clericis eccleſiæ de-

Anno 447. *die* 22. *Oct.*

S. Leo ep. 17. alias 104.

(*a*) Hanc epiſtolam ex pervetuſto Codice manu exarato Cardinal. Sirleti primus in lucem emiſit Gerardus Voſſius: non quod illa nomen S. Leonis magni præſetulerit; ſed propter fraſim, & conſolatus notam; at rationes tamen iſtæ adeo infirmæ videntur eruditiſſimo Paſquali Queſnel, ut vel ipſo ſtile indice, & conſulis nomine longe ſimilius vero exiſtimet, *hanc epiſtolam ſuppoſititiam eſſe*; vel certe *alterius eſſe Leonis quam primi: ſecundi puta, vel tertii, vel etiam poſterioris*. Paria ſentit Van-Eſpen *Jus Eccl. Univer.* par. 2. tit. 36. cap. 3. n. 7. & ſeq. quos conſule.

deplorantibus nuditatem, eo quod omnia ejus prædia, vendendo, donando, & diverſis modis alienando, epiſcopus diſſiparet: etiam Panormitani clerici quibus nuper eſt ordinatus antiſtes, ſimilem querimoniarum, in ſancta ſynodo cui præſidebamus, de uſurpatione prioris epiſcopi, cauſſam detulerunt. Quamvis ergo ordinatum a nobis ſit, quemadmodum utriuſque eccleſiæ utilitatibus conſulatur; ne tamen hoc pernicioſum nequiſſimæ deprædationis exemplum cuiquam poſthac fiat imitabile, hanc præcepti noſtri formam apud dilectionem veſtram volumus eſſe perpetuam: qua, ſine exceptione decernimus; ut, ne quis epiſcopus de eccleſiæ ſuæ rebus, audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere; niſi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat, & cum totius cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium eccleſiæ profuturum. Nam presbyteri, vel diaconi, aut cujuſcumque ordinis clerici qui conniventiam in eccleſiæ damna miſcuerint, ſciant ſe & ordine, & communione privandos: quia plenum juſtitiæ eſt, fratres cariſſimi, ut non ſolum epiſcopi, ſed etiam totius cleri ſtudio eccleſiaſticæ utilitatis incrementa ſerventur, & eorum munera illibata permaneant, quæ pro animarum ſuarum ſalute, fideles de propria ſubſtantia eccleſiis contulerunt. Dat. II. Calend. Novembr. Alipio V. C. Conſ.

12.q.2.c.*Sine exceptione.*

DIPLOMA XI.

Donatio a Tertullo patricio S. Placidi patre S. Benedicto facta. Inter alia concedit bona ipſi Tertullo in Sicilia ſpectantia.

Tertullus Dei gratia inviċtiſſimæ Reginæ cæli, terræque, civitatis Romanæ patricius dictatoribus, magiſtratibus, ſenatoribus, conſulibus, proconſulibus, præfectis, tribunis, centurionibus, decurionibus, & omnibus hominibus per totum orbem commorantibus, Romanæque ditioni ſubjacentibus, ſalutem & perpetuam pacem.

Anno 522. *die* 17. *Jun.*

Ex Append. Chron. Caſin Leon. Oſtienſis.

NOſce vos (*a*) non ambigimus ſenatum, populumque Romanum, totius mundi dominos, dominatores orbis, & præſules; quum quidquid ſubjacet cælo, annis viciſſent, & in ſervitutem redigiſſent, totius orbis Reginam cæleſtem conſtituiſſe æternam, & adeo conſervandam urbem Romanam ſingulari virtute, fertilitate, potentia, ſapien-

(*a*) Scriptura hæc, & octo aliæ immediate ſequentes, necnon & XXII. XXIII. XXVI. & XXVII. ex Appendice Chronici Caſinenſis Leonis Oſtienſis

pientia, pulchritudine, bonitate, ædificiiſque toto orbe ſacratam. Ergo quia tantorum bonorum auctorem Deum nobis hæc omnia concedente, adorare colere venerari, necnon ejus baſilicas poſſeſſionibus dicare deberemus. Iccirco ego Tertullus Domini gratia Romanæ urbis patricius concedo tibi in perpetuum patri patrum Benedicto, & tuis ſucceſſoribus, in Caſini cœnobio ſancti Baptiſtæ Johannis degentibus, omnes patrimonii mei curtes (*a*) quæ eſſe videntur in Sicilia, cum ſervis ſeptem millia, exceptis uxoribus eorum, & filiis. In Meſſana modia terræ triginta cum portu ſuo; in Acio modia terræ viginti millia; juxta civitatem Catanienſem modia terræ quinque millia centum quinquaginta; in Agrigento trecenta; juxta Syracuſam quadraginta (*b*); in Drepanis modia terræ quatuor millia; in aquis Sergeſtianis nongenta; in Sounto triginta; in Thermis quadraginta; in Parthenico octingenta; in Jochara ſexcenta; juxta Panormum trecenta cum portu ſuo; in Cephalodio quindecim millia; in Alexo quinquaginta ſeptem; in Galcate centum ſexaginta; in Athaliate trecenta; in Agamino duo millia; in Tyndare centum quinquaginta. Has omnes cum eccleſiis, villis, ſilvis, aquis, piſcariis, aquarumque decurſibus ad eaſdem curtes pertinentibus, in eodem S. Cœnobio beati Baptiſtæ Johannis in perpetuum corroboro & confirmo. Si quis autem hoc decretum noſtrum violare præſumpſerit quatuordecim millia talenta auri puriſſimi Romano ſolvat imperio. Et hoc decretum priſtinum robur obtineat. Actum eſt hoc decretum decimoquinto Calendas Julii, Anno imperii Juſtini quinto CCCXXVI. Olympiade.

Ego Tertullus patricius manus meæ ſigno roboravi.
Ego Symmachus patricius conſul ſubſcripſi.
Ego Boetius bis conſul ſubſcripſi.
Ego Vitalianus (*c*) conſul ſubſcripſi.

DI-

ſis exſcriptæ, adeo ſuppoſitionem redolent, ut rudis ſit oportet, aut certe partium ſtudiis abreptus, qui his defendendis tenaciter hærere cogitat. Conſule Baronium *Annal. Eccl.* ad annum 541. n. 28. & 29. & necnon ſequentes noſtras obſervationes: pudet enim in refutatione tam putidi figmenti immorari.

(*a*) Quibus in locis hæ *curtes* fuerint, explicatur quoque, cum aliqua tamen diverſitate, in longiſſima illa inſcriptione, quam ex Mazochio publicavit Janus Gruterus; ſed ipſe Gruterus optime ſibi cavit, dum nihil illi auctoritatis tribuens, inter ſpurias recenſuit & ſuppoſititias.

(*b*) Vel *quadringenta*, ut in ſequenti Diplomate.

(*c*) Is non hoc anno, nec hiſce cum collegis conſulatum geſſit, ſed anno 520. cum Ruſtico.

DIPLOMA XII.

Divalis ſacra Flavii Juſtiniani imperatoris. Confirmat quæ in Sicilia, & alibi etiam S. Benedicto donaverat Tertullus patricius, S. Placidi pater.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Imperator Cæſar, Flavius Juſtinianus Æneida, Alamanicus, Gothicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Guandalicus, Herculicus, Africanus, pius, felix, inclitus, victor, præcelſus, triumphator, auguſtus, humano generi habitanti in orbe Romano, ſalutem & perpetuam pacem.

Anno 538. *die* 13. *Sept.* Ex Append. Chron. Caſin. Leon. Oſtieſis.

ROmani imperii præpoſitum eſt univerſo orbi providere viris religioſis manum porrigere: præcipue tamen cælibatis per eos divinitati placentes, a quo imperandi & dominandi Æneidis ſub ſole donatum eſt. Hac de re cunctis notum eſſe volumus: quia Romani imperii ſtatus divina pietate regitur, atque firmatur: Deo enim propitio conſtitato, proſpere & ſecundum vota noſtra gubernari ſtatus Æneidarum, & proficere ſolet. Imperium ergo avitum divino nutu ſortiti, ſubditis proprietate, & manſuetudine neceſſario ſolicitudinem impertimur: quatenus veſtra religio, & noſtra reſpublica cultu Dei puriſſimo, & pietate firmata, perfulgeat. Quapropter univerſis habitantibus in orbe Romano notum eſſe volumus: qualiter Placidus noſter dilectiſſimus nepos ex Adelphi noſtri Tertulli magnificentiſſimi patritii filius ad noſtram celſitudinem veniens, una cum Theodora auguſta...... rogavit per noſtram divalem juſſionem confirmari cuncta quæ ipſe una cum jam dicto Tertullo patritio Benedicto ſervo Dei obtulit. Cujus petitioni aurem accommodantes: confirmamus & corroboramus in perpetuum cuncta quæ idem patricius cum jam dicto Placido filio ſuo Benedicto ſervo Domini obtulit. Caſtrum ſcilicet Caſinum: Caſtrum fortunæ: *Et poſt aliqua*. Pari etiam modo concedimus, & confirmamus in perpetuum eidem ſervo Domini curtes quas idem noſter Exadelfus cum jam dicto Placido filio ſuo in Sicilia obtulit: quarum nomina hæc ſunt. In Meſſana modia terræ triginta cum portu ſuo; in Agrigento trecenta; in Syracuſis quatuorgenta; juxta Catanenſium civitatem quinque millia quingenta; in Tyndaride quingenta; in Drepanis quatuor millia; in aquis Sergeſtianis nongenta; in Parthenico octingenta; in Icaria ſexcenta; in Panormo trecenta cum portu ſuo; in Sounto triginta; in Thermis undecim; in Cephaludio quindecim millia; in Alexo ſexaginta duo; in Galeate centum novem; in Acaliate trecenta; in Agantinoii mille; in Acio viginti millia. Necnon etiam villas quæ jam ad dictas curtes attinent, quarum nomina hæc ſunt. Juxta Syracuſas, Villabidenſis,

Cen-

Centuripinenſis, Halicienſis, Himera, Soluntina, Heraclea, Hennenſis, Herbitenſis, Agirinenſis, Æthnenſis, Habitenſis, Murgentinenſis, Aſſorinenſis, Macarenſis, Menenia....... Ameſtra: Petrina Calactina, Mutticenſis, Hyblenſis, Halintina Apollonia, Pachinum, Aggina, Caputina Aſſorona, Florina, Letina, Girattiarina Acherina, Leontina, Plinphia, Hentellena, Helora, Phaſilis, Lichrilla, Mamertina, Aluncia Inguina, Achardina, Tycheneritana, Neapolis, Pritanea, Gillenſis, Lilybœum, Tamaricii Palma Tauromininium, Naxum (*a*), Acium, Capitonia, Gelaſia, Pebilia, Gena, Allava, Aquenſis, Lanarium, Mazatis, Aquis laridis, Calviſana, Nible, Agris, ſolus apræ Capitoniana, Philoſophiana, Calloniatana, Cornoniana, Dedalia, Plintis refugio callis, plaga Calviſiani, plaga Meſopotami, plaga Reoſinocymbi, refugium Apollinis, Pitamana, Comiciana, Petrina Pyrina, Logarica, Oliva, Aqua Pertiniana. *Et aliquibus interpoſitis hæc adjicitur clauſula*. Contradictoribus hujus divalis edicti tredecim millia talentorum auri pœna mulctantes & capitalem ſententiam proponentes. Propterea huic Chryſobullio ex minio manu propria (*b*) ſcripſimus in anno XII. noſtri a Deo conſervandi imperii die XIII. menſe Septembris, conſulatu (*c*) Boetii, & Cethegi, anno tertio. Ego Flavius Juſtinianus auguſtus Eneida pius, & in Chriſto Deo fideliſſimus imperator Romanorum. Data die XV. menſe Septembris, in civitate ſanctiſſima Conſtantinopoleos novæ Romæ. Ego Juſtinus in Chriſto Deo fideliſſimus, & percelſus cæſar Romani imperii, & comes excubitorum jam dicti auguſti filius ex juſſione triumphalis imperii ſubſcripſi. Ego Theodoricus (*d*) conſul Romanorum, & aquilifer (*e*), & rex Gotthorum, ex juſſione invicti imperii ſubſcripſi. Ego Beliſarius conſul, & patritius, ac draconifer invicti auguſti ſubſcripſi. Ego Tyberi Mauritius comes excubitorum, & leonifer ſacri imperii ſubſcripſi. Ego Tyberius Conſtantinus conſul patritius, & gener jam dicti Juſtini magnificentiſſimi cæſaris, & lupifer ſacri imperii candidatus ſubſcripſi. Ego Germanus magiſter officiorum imperialium, & cuſtos palatii ſubſcripſi. Ego Phocas exarcus, & centurio Romani imperii ſubſcripſi. Ego Heraclius præfectus Africæ, & primus a ſecretis ſubſcripſi. Ego Baſilius conſul Romanorum ſubſcripſi. Ego Narſis cubicularius, & chartularius ſacri imperii ſubſcripſi. Ego Longinus præfectus, & protodomeſticus imperialis ſubſcripſi. Ego Venantius patritius, & conſul ſacri imperii ſubſcripſi. Ego Liberius patritius, & conſul ſacri imperii ſubſcripſi.

(*a*) Urbs, teſte Diodoro Siculo lib. 16. a Dionyſio exciſa; cujus ne rudera quidem ætate ſua, id eſt circa medium ſecundi ſæculi, extitiſſe refert Pauſanias lib. 6.

(*b*) Si Svidæ fides, Juſtinianus litterarum fuit expers.

(*c*) Falſa conſulum deſignatio: hoc enim anno Fl. Johannes abſque collega conſul fuit.

(*d*) Is longe ante hunc annum e vivis exceſſerat.

(*e*) Nomen *Aquilifer* Theodorico tributum, *Draconifer* Beliſario, *Leonifer* Mauritio, & *Lupifer* Conſtantino, chartam hanc ab otioſo ſcriptore, ſtili exercendi gratia, confictam demonſtrat.

DIPLOMA XIII.

Epiſtola Sicilienſium monachorum ordinis S Benedicti ad ipſum S. patrem Benedictum. De martyrio S. Placidi, & ſociorum ejus, Meſſanæ in Sicilia conſummato.

Univerſali monachorum inſtitutori, atque doctori Benedicto, ſervi, & filii ejus deſolati, & deſtituti paſtore cum ſubjectione, reverentiam (*a*).

Anno 541.
Ex Append. Chron. Caſin. Leon. Oſtienſis lib. 4.

QUia nihil paternitati veſtræ incognitum eſſe ratum duximus, de his quæ apud nos actitata ſcire veſtram ſanctitatem volumus, religioſiſſimum, & ſanctiſſimum diſcipulum veſtrum Placidum tertio nonas Octobris poſt multa tormentorum genera gladii animadverſione migraſſe ad Dominum. A duce namque Sarracenorum Mamucha cum fratribus ſuis Eutitio, Victorino, ac ſorore virgine Flavia, Fauſto, Firmiano, & monachis triginta captus, poſt verberum mactationem, ſuſpenſionem, fumi adminiſtrationem, membrorum omnium tortionem, arteriarum & dentium confractionem, necnon & linguæ abſciſſionem, capite cum omnibus ſociis ſuis truncatus eſt: unde ſuppliciter veſtram paternitatem poſcimus, ut ad curtes, & poſſeſſiones retinendas veſtros diſcipulos mittere dignemini. Clamat namque Sicilia, clamat per univerſam inſulam longe lateque fundata eccleſia. Oſtende in nobis, pater ſanctiſſime, gratiam tuam: deſcendat ſuper nos benedictio tua, mittendo diſcipulos tuos: doce nos facere præcepta tua. Quoniam quidem de reliquo tempus eſt, ut ſuper Placidi filii veſtri paſſione Deo, & vobis gloriam & gratiam referamus. Hic enim in vita, & in morte nihil aliud egit, atqui nihil aliud ſtuduit, quam ut ſoli Deo viveret: quia mortuus vivit quiſquis Deo placite non vivit, etiam & ante tempus moritur. Placidus namque diſcipulus veſter vixit in Chriſto, & mortuus eſt pro-

(*a*) Quæ hic, atque in ſequentibus epiſtolis de martyrio S. Placidi narrantur, ex turbido ſatis ac lutoſo fonte hauſta videntur: ex actis ſcilicet ejuſdem S Placidi a Pſeudo-Gordiano confictis, quæ ad unum repudiant cordati noſtri temporis critici, continuator Johannis Bollandi Daniel Papebrochius, die 10. Maji *de SS. Alph. Philad. & Cyrin.* §. 3. n. 18. Antonius Pagius *Critica Baroniana* ad annum 541. n. 8. & aliis prætermiſſis, ipſi Monachi Benedictini, quorum ea eſſe vera intererat plurimum, *Act. SS. Benedict.* tom. 1. ad annum 541. In *Not. ad Opera S. Gregorii* tom. 2. *Dialog.* lib. 2. cap. 8. Et in *Annal. Benedict.* tom. 1. lib. 3. n. 25. *Scriptorem*, inquiunt, *longe recentiorem arguit imperita narratio plurimis reſperſa erratis, quæ niſi in poſteriorum temporum hominem, & quidem imperitum cadere non poſſunt, nec modo interpolatorem, ſed falſum auctorem omnino arguunt*. Conſule Differt. III. Cap. I. n. 7.

propter Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Ergo quum ejus memoriam notificando recenſemus, illius vitam, & paſſionem laudamus. Jam tempus eſt, pater venerande, ut filiis, & ſervis tuis verbi miniſtros mittere digneris. Eccleſia namque in Sicilia locata clamat: Tunica mea ſciſſa eſt, os meum clauſum eſt, ſpes mea obſcurata eſt, exterminavit, & occidit ſingularis aper Mamucha paſtorem ovium mearum Placidum patrem ſanctiſſimum; contaminavit invidia Abdalæ regis Saracenorum ſanctificationem Placidi patris mei, quaſi in ſilva lignorum, ſecuribus exciderunt januas monaſterii ejus ante me. Inſuper in litore maris, & in deſerto diripientes, occiderunt eum, dixerunt in corde ſuo, cognatio Agarenorum in idipſum, ſilere fecimus os Placidi loquentis plurima adverſus Luciferum deum noſtrum: humiliavimus aurum decoris ejus, ad terram dejecimus nobilitatem ejus: non eſt jam docens, neque amplius confutando claudet os noſtrum. Uſquequo, pater ſanctiſſime, de filiorum tuorum abſentia improperat mihi inimicus? Reſtitue mihi ſocios Placidi diſcipuli tui, repreſenta mihi ancillæ tuæ ſpiritales tuos filios paſtores meos. Quamvis enim crudeliſſimus Mamucha injuſte & nequiter in me damnavit, & occidit Placidum patrem meum, tamen caritatis coagulum retinere te convenit, mittendo diſcipulos tuos, ſine quo nemo videt Deum. Jam enim tranſiit Sarracenorum perfidia; ſed in Sicilia in perpetuum tua manet poſſeſſio. Ego in æternum ancilla tua. Lætifica cor filiorum tuorum, mittendo diſcipulos tuos, qui me tibi repræſentent: qui pro me omnipotentis Dei implorent clementiam. Si hoc feceris, non ſolum jam dictas poſſeſſiones retinebis; verum etiam ſanctæ religionis habitum longe lateque propagabis. Ecce nunc quaſi ad patrem præſentem & verbis, & ſcripto dirigo preces, poſcens meæ te compati neceſſitati. Indulge mihi profundum tuæ, non capienti, & quærenti ſapientiæ. Nunc autem fiens, audacter rogo, non jubeo: ne avertas, obſecro ſecundo, me confuſum præbe teipſum nobis mittendo diſcipulos tuos, & deſiderantes doctrinam tuam hilariter intueri. Deſtina proprios ad propria tua, quia gratanter ſuſcipientur.

DIPLOMA XIV.

Epiſtola Gordiani ad Maurum. De eodem martyrio ſancti Placidi.

Dominico levitæ Mauro Caſinenſis cœnobii præpoſito, & ſanctis fratribus Feliciſſimo, Honorato, Peregrino, Aquino, Probo, Severo, ac ceteris ibidem commanentibus, Gordianus ultimus patris Benedicti diſcipulus in nova Roma Conſtantinopoleos conſtitutus, ſalutem in Domino, & ſpiritum fidei.

Anno 541.
Ex ead. Append. Leonis Oſtienſis.

QUia omnibus modis deſiderandam nobis, & totis fibrarum præcordiis amplectendam ſanctitatem veſtram, nihil patimur ignorare eorum quia maxime, quod ad augmentum ſanctitatis inſtitutoris noſtri ac legislatoris pertinere noſcuntur. Operæ pretium duximus, innoteſcere ea quæ turpibus iſtis circa ſanctum, & dominum meum Placidum in Sicilia evenere. Is nam poſt innumera prodigiorum portenta in fidei petra greſſus ſuos defigens, a feroce Agarenorum duce Mamucha captus, & diverſis ſuppliciis affectus: nec fluminibus, nec ventis diverſorum eventuum impetu potuit a ſtabilitate ſua demergi: vel a novis ſibi ſuppliciis illatis potuit a fide revocari. Cum fratribus namque ſuis Eutitio, Victorino, ac ſorore virgine Flavia, & monachis triginta tribus, catenis vinctus, & fame ac ſiti cruciatus, ſuſpenſus tortus verberatus aduſtus fumigatus, arteria dentibuſque confractus, præciſa & lingua, apud Meſſanam civitatem tertio nonas Octobris capite truncatus, & inſepultus avibus cæli & beſtiis devorandus relictus eſt: & monaſterium omne propter eccleſiam S. Baptiſtæ Johannis a fundamentis evertunt. Quorum corpora monachorum colligens in maris littore: ipſius vero Domini mei, & fratrum ejus in eccleſia humare curavi, quanto ſcilicet die paſſionis eorum, gratias agens dominatori & gubernatori omnium quod & illis virtutis conſtantiam, & martyrii lauream tribuit, & perſecutoribus illorum dignum retributionis præmium intulit: comprehenſus namque eſt idem ſævus tyrannus in operibus manuum ſuarum, & cum omni exercitu ſuo in medio phari ſubmerſus eſt: & lacus quem aperuit, effodit eum, & incidit in foveam quam fecit: convertatur dolor ejus in caput ipſius, & in verticem ejus iniquitas ejus deſcendat. In quo facto omnipotenti Deo gratias referre convenit: qui & ſanctis martyribus dignam recompenſationem, & perſecutoribus æternæ vindictæ opprobrium intulit, unde veſtram finitatem in Domino Jeſu rogamus, & obſecramus; ut ejuſdem loci ſancti deſtructionem, etiam dicti domini mei Placidi paſſionem venerabili magiſtro noſtro Benedicto referre curetis: & noſtras, noſtrique deſtructi cœnobii preces audire: ſervorum ſingultus proſpicere: & tanti gemitus lacry-

crymas inceſſanter effuſas ſtudeatis attendere. Quatenus ſolito more, & ſolitæ pietatis viſceribus familiæ jam dicti domini mei Placidi in Sicilia conſtitutæ compatientes, & opem conſolationis eumdem locum reſtaurando petentibus, pro ut opportunum eſt, nos adjuvare ſatagatis. Quia poſt Deum unica ſpes ſalutis & liberationis noſtræ fiducia vos procul dubio eſt. Vale.

DIPLOMA XV.

Epiſtola Mauri ad Gordianum. Monet ut in Siciliam revertatur, regendi gratia patrimonium Caſinenſe.

Spirituali dilectione in patris Benedicti viſceribus amplectendo fratri Gordiano, conſervus & frater in Chriſto Jeſu Maurus Caſinenſium fratrum miniſter indignus.

SIc hujus vitæ metas percurrere, ut in futuro æternam retributionem valeat ab omnium remuneratione percipere: piis te ſtudiis in ſancta magiſtri doctrina, & religione inſtructum gaudebamus: & poſt monaſterii ruinam, ob tuam liberationem, cunctorum dominatori gratias agimus: ſed de veſtro receſſu ultra quod dici poteſt triſtamur & ingemiſcimus: oportet nam te juxta quod pater Benedictus præcepit: in monaſterio juxta Meſſanam ſito morari. Unde te magiſtri noſtri imperio ad eumdem locum redire monemus: & in cœnobii regimine inſudare; ac curtium, & portuum curas adipiſci. Tanto namque in jam dicta conſocii noſtri Placidi obedientia operam dare convenit: quanto ſpecialius ab eodem inſtitutore noſtro, eodem te eſſe directum non ignoramus, tantoque per tuæ ſalutis cuſtodiam vigilare te condecet: quanto ut confirmet hoc Deus quod optatus eſt in te, enixius tibi, & nobis optandum eſt. Redi ergo ad beatiſſimum martyrem Placidum quem ab ipſo tyrocinio amaſti: quem elegiſti: quem quæſiſti: cujuſquam in neceſſitatibus patrocinium percepiſti, & ſalubriter, & convenienter fluenta doctrinæ tuliſti, cujuſque te protectioni commendaſti & tradidiſti. Nos tamen pro te omnipotentem Deum rogare non deſiſtimus, ut qui cœpit in vobis, oportet, atque perficiat opus bonum uſque in finem: tribulationibus & anguſtiis veſtris compatientes; & veſtros dolores manu cogitationis in noſtro corde tangentes.

Anno 541.

Ex ead. Append. Leonis Oſtienſis.

DI-

DIPLOMA XVI.

Epiſtola antedicti Gordiani ad conductores præcipuos patrimonii Caſinenſis. Ut dum ipſe non venerit, interim patrimonium curent.

Gordianus divino munere patris Benedicti diſcipulus, & B. martyris Placidi famulus, illuſtri viro Meſſalino, & Pompejo Tylio, omnibuſque in poſſeſſionibus, civitatibus, caſtellis, & villis Tertulli patricii in Sicilia habitantibus, a majore uſque ad minorem, ſalutem & dilectionem.

Anno 542.

Ex ead. Append. Leonis Oſtienſis.

COmmendo me multum Domino meo martyri Placido, & vobis, rogans ut pro me Dei omnipotentis clementiam, & ejuſdem Domini mei adjutorium imploretis. Quia ego etſi corpore a vobis abſens ſum: mens mea tamen quotidie vobiſcum eſt: & quamvis indignus, quotidie vos Deo omnipotenti commendare, & beatiſſimo Chriſti martyri Placido noſtro deſiſto: ut vos protectione defendat, & inter procellas & tempeſtates hujus ſæculi, vos illæſos cuſtodiat: & quantocius deſtructo monaſterio noſtro pacem & quietem reſtaurando tribuat. Teſtis enim mihi eſt Deus omnipotens, quia omnibus vobis puram exhibeo caritatem, & ſi neceſſe eſt, & vobis expediret, cervicem meam pro vobis omnibus apponerem, & animam meam darem pro animabus veſtris. Obſecro autem vos ſanctiſſimi patres & fratres, ut in me puram caritatem exhibeatis. Quia, ſicut jam ſuperius dixi, a minimo uſque ad maximum omnes vos in meis viſceribus habeo, & ſicut memetipſum diligo, & quam citius facultas data fuerit, prout mihi a Caſinenſe cœnobio directum eſt, Siciliam remeare ſtudebo. Sin autem noſter reditus ad vos retardatus fuerit: rogo ut ſcandalum contra me non habeatis. Sed ſtate viriliter in fide, & dilectione magiſtri noſtri Benedicti cuſtodientes & conſervantes civitates, caſtra, portus, poſſeſſiones, & villas, uſquedum, Deo volente, ad vos revertamur, & fratres noſtri a caſino ad monaſterium reſtaurandum veniant. Non ſint in vobis ſchiſmata, neque diviſiones, ſed in me, ſicut jam dixi, caritatem & dilectionem habete, ſicut & ego in vos perfectam habeo. Quia ſi vita comes fuerit, Deo volente, cooperantibus orationibus veſtris, prout pater Benedictus præcepit, revertemur ad vos. Reminiſcimini quanta, & qualia paſſus eſt, dominus meus Placidus a perſecutionibus ſuis: qui cum omni grege ſibi commiſſo, poſt innumera tormentorum genera, pro Chriſti fide capite truncatus eſt: & neque minis, neque blandimentis ullus eos potuit flectere, ut illos ſepararent a fidelitate, & ſapientia patris noſtri Benedicti. Quod etiam vos nunc agere condecet: ut per vos glorificetur Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

DI-

DIPLOMA XVII.

Epiſtola imperatoris Juſtiniani ad Vigilium papam, tres patriarchas, & CLV. epiſcopos. Ejuſdem S. Placidi hiſtoriam ad martyris cultum promovendum iis mittit.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Imperator cæſar Flavius Juſtinianus Æneida, Alamanicus, Gothicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Guandalicus, Herulicus, Africanus, pius, felix, inclitus, victor & triumphator ſemper auguſtus, ſanctiſſimo ac beatiſſimo papæ ſenioris Romæ Vigilio, & beatiſſimis patriarchis Eutychio novæ Romæ Conſtantinopoleos, Apollinario Alexandrino, Euſtachio Jeroſolymitano, & venerabiliſſimis epiſcopis centum quinquaginta quinque in hac nova Roma Conſtantinopoleos conſtitutis ſalutem & perpetuam pacem (*a*).

QUamquam ſolicitudinibus tam militaribus, quam etiam civilibus indeſinenter Æneidarum imperii ſerenitas coarctatur: tamen omnes Chriſto amabiles Ro: Reip. cauſſas in ſecundis ob divinis cultum ponentes quem contra barbaros tam veſtri invicti, & a Deo conſervandi imperii quamquam Chriſto dilectorum exercituum adjutricem habemus: æquum noſtra diva ſagacitas cenſuit præſentem noſtram piiſſimam ſacram ad veſtram beatitudinem deſtinare. Per quam ea quæ circa nobiliſſimum, & dilectiſſimum nepotem noſtrum Placidum evenerunt, veſtra a Domino omnium donatore congregata univerſitas agnoſceret, & eidem donatori orgia laudis perſolvere valeat. Is enim cum fratribus & diſcipulis ſuis a Deo abominandis & fulminandis paganis ob theologicam, hortodoxamque fidem hortatus; nexus pedibus veſtris ſit ſuſpenſus, verberatus, & tortus, flamma aduſtus præciſa etiam lingua ad extremum pro capite omnium Chriſto: caput ad procedendum gladio nefando ſubmiſit: cujus triumphalem lauream, ne per incuriam in abolitionem dehiſcens, perditum

Anno 549. Ex ea I. Append. Leonis Oſtienſis.

(*a*) Cajetanus noſter minus alioquin ſeverus cenſor *Animad. ad Vitam S. Placidi* n. 4. particulari præterea argumento, hanc & duas proxime ſequentes epiſtolas ſpurias eſſe & falſas, clare demonſtrat. Sane fieri non potuit, ut paſſionem S. Placidi a Juſtiniano Vigilius, & a Vigilio eccleſiæ Orientis & Occidentis legendam in perpetuum reciperent, quum Petrus Diac. tradat, eamdem paſſionem in Italiam non ante Chriſti annum 1115. fuiſſe delatam: & Stephanus Anicienſis tarde ipſam eamdem hiſtoriam græcæ fidei reddens, calumniam timeret, ne novum martyrem induceretur videretur.

tum iret : per virum religioſiſſimum , atque humillimum , & Deo amabilem Gordianum ejuſdem amantiſſimi nepotis noſtri Placidi famulum, argolicis apicibus exarare, & ad veſtram a Deo conſervandam beatitudinem cum præſenti divali ſacra deſtinare curavimus : ſtatuentes id a veſtra almitate per noſtram imperialem auctoritatem heoo, & heſperiæ tradi : & ad ſuccidiuæ generationis memoriam archiviis ſanctarum eccleſiarum habenda contrudi . Licet autem illius inenarrabilem lauream, & per omnia amplectendam doxam pro ſtatu Evangelicæ Fidei noſtræ clementiæ ſingularis vigilantia narrare non ſufficit : non tamen ideo prætermittenda ſunt fortitudinis ejus inſignia: dum ubique univerſis orbis ejus triumphalia narrat præconia . Qui Chriſti Eccleſiam in victoria ſua trabea gloriæ , & ſtola jucunditatis induit : ejuſdemque conſtantiſſimus defenſor exſtitit : accinctus gladio verbi Dei , quo diviſit incredulos a credentibus . Induit ſe lorica Fidei, & galea ſalutis propugnator exſiſtens, & novus David non defenſor gentis illius quæ dominatori omnium eſt adverſata; ſed illius quæ in Chriſto cervicem cordis , & corporis flectit : Nazareni ſanguine corroboratus dejecit Goliam I. Mamucham impiiſſimum hoſtem, & cunctum agmen ejus diſperdidit, & in maris profunda ſummerſit. Percuſſit frontem in qua non erat ſignaculum pietatis : in membris ejus nullus relictus eſt vigor . Conclamate omnes , & congaudete ſtirpi Æneidarum : ſumite tympanum , & date pſalterium jucundum cum cythara : quia vicit Placidus : cujus victoriam nullus poteſt digne referre. Exultate nunc cum noſtro a Deo conſervando imperio in ejus triumpho. Infideles memor, & dejectio mentis comprimat atque conſumet. Fideles cum Placido æterna felicitate fruantur, & in orbem terrarum immenſis laudibus extollantur . Omnium dominatoris ſublimitas V. B. conſervet ſanctiſſimi ac beatiſſimi patres. Data III. Non. Majas in nova Roma Conſtantinopoleos ; miſſa per Cathegum patritium , & Petrum patritium , & magiſtrum officiorum..... Theodorum patritium : anno a Deo noſtri conſervandi imperii XXIII. Conſulatu Baſilii viri clariſſimi anno nono.

DI-

DIPLOMA XVIII.

Epiſtola Vigilii papæ, & aliorum præſulum ad Juſtinianum imperatorem. Reſpondent ſuper propoſitum ſibi negotium paſſionis S. Placidi.

Piiſſimo, & ſereniſſimo victori triumphatori Flavio Juſtiniano Conſtantino imperatori auguſto Æneidæ, Vigilius epiſcopus Sedis apoſtolicæ ſenioris Romæ cum reliquis coepiſcopis Eutychio novæ Romæ Conſtantinopoleos, Apollinario Alexandrino, Euſtachio Jeroſolymitano, & reliquis epiſcopis 155. in nova Roma Conſtantinopoleos congregatis.

Anno 549.

Ex cad. Append. Leonis Oſtienſis.

DE omnibus inimicis victoriam: Regi regum in cujus poteſtate ſunt moderamina rerum, gratias agimus: qui ita vobis orbis conceſſit monarchiam: ut cæleſte regnum poſt terreni imperii inſulas concederet. Plus eſt enim quod in Deum defixa mente confiditis, quam de collato vobis divinitus honore regnatis. Vos enim regnum Dei quæritis: vos ſanctis martyribus dignam reverentiam exhibetis: qui eorum fortia facta apicibus mandare juſſiſtis. Unde omnes ad quos veſtrorum divorum apicum pervenit notitia: innumeras gratiarum actiones, & inceſſabiles laudes propagatori omnium pro veſtro fortiſſimo imperio perſolvunt: quia ut piiſſimus, & æquiſſimus princeps, quæ ad Dei, & martyrum redundant gloriam, cum timore, & veneratione peragis. Confidentes quia quod permiſit veſtra pia clementia, potens eſt efficere, ut honor eccleſiarum, & martyrum cultus in immenſum augeatur. Unde & laus ab omnibus habitantibus in orbe Romano, & perennis memoria, & frequens oratio pro veſtro triumphali imperio reddenda eſt: pro victoriis concedendis ante Chriſtum Dominum, cujus cauſſa eſt, quatenus ſupernæ majeſtatis terrore perculſæ gentium nationes, ſub ſceptri veſtri robuſtiſſimi principatu, humiliter colla ſubſternant: ut piiſſimi regni veſtra contineat, dum temporali imperio æterni regni ſuccedit felicitas. Nec enim poterit aliud ſimillimum inveniri quod veſtram invictiſſimam fortitudinem divinæ majeſtatis commendet clementia, quam ut eccleſiis, & martyribus honor debitus exhibeatur. Nos enim ejuſdem Chriſti Placidi amore deducti, & veſtro invictiſſimo parentes imperio: paſſionem illius a veſtra diva celſitate directam cum ingenti gaudio, & veneratione ſuſcipimus: atque in perpetuum legendam Catholicis eccleſiis tradimus: obſervantes veſtram invictam, & triumphalem clementiam: ut pro amore ejuſdem martyris, Caſinenſe cœnobium, quod cum magiſtro ſuo Benedicto idem martyr domini in proprio ſolo fundavit: diligatis, faveatis, & imperialem tuitionem exhibeatis: qua-

quatenus unanimiter omnes ibidem degentes pro tanto, & tam æxtimabili bono, per cunctum vitæ ſuæ ſpatium divinam majeſtatem glorificent; & pro incolumitate, atque exaltatione fortiſſimi imperii veſtri unanimiter inceſſabiles Chriſto Domino preces effundant. Piiſſimum veſtrum imperium gratia divina, martyre Chriſti Placido intuente, una cum domina Theodora auguſta, & natis ejus cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternant ſanctiſſime, & clementiſſime imperator ſemper auguſte. Vale.

DIPLOMA XIX.

Epiſtola Gordiani ad eumdem Vigilium. Ut eadem paſſio S. Placidi per Occidentalem quoque eccleſiam divulgaretur.

Domino ac patri ſuo ſereniſſimo Vigilio Sum. Pont. & univerſali papæ ſenioris Romæ. Gordianus patris Benedicti diſcipulus, & ab eo in ſervitium Placidi martyris Chriſti electus.

Anno 553. Ex ead. Append. Leonis Oſtieſis lib.4.

SIc hujus vitæ pelagum currere, ut portum ſalutis valeat apprehendere. Dudum te pater millies beatiſſime in undoſis mœnibus novæ Romæ Conſtantinopoleos adveniſſe cognoſcens: repletum eſt os noſtrum gaudio, & lingua noſtra exultatione, non aliter quam ſi corporalibus meis oculis magiſtrum noſtrum Benedictum viderem, vel Placidum martyrem ipſum. In te enim Petrum, & Paulum apoſtolorum principes perſpicio: in veſtro ſacratiſſimo corpore univerſos Romanos martyres, & confeſſores, & virgines cerno: in te magiſtri jam dicti mei præſentiam video. Ob quam rem Deo omnipotenti immenſas de veſtro adventu gratias agimus: ſuppliciter illius implorantes clementiam, ut quamquam me de incolatu, & peregrinatione abſtractum, ad domini mei Placidi monaſterium ſua largiflua pietate reducat. Nos enim pater patrum venerande poſt ejuſdem martyris Chriſti Placidi lauream: varia tenuere diſcrimina, & immenſarum undarum infinita certamina. Nam poſt monaſterii ejus deſtructionem, Neapolitanorum navem conſcendens: ad has partes devolutus ſum: non tamen ocioſe remoratus. Dedi namque operam, ut martyr Placidus qui vitæ merito, ac miraculorum immenſitate per mundi climita vivit: & nobilitas ejus, & larga eleemoſynarum copia, & ſermonis facundia quæ jam uſque ad mundi fines pervenit: poſteris generationibus non lateret. Sed, ut potui, ſummatim ex multis pauca conſcripſi: non quia veſtram paternitatem ejuſdem præcioſi martyris facta lateant, ſed ut per nos orbi Romano incomparabile, & inextimabile illius præconium in immortalem memoriam ſtatuatur, & ad inſtructionem omnium quod de eo in nova Roma deſcripſimus: in urbem quæ eum genuit, in lucem perfudit, aluit & edu-

& educavit, perperenniter habeatur. Durum namque divæ memoriæ domino noſtro Juſtiniano perpetuo triumphatori videbatur, ut cum Æneidæ eſteris quibuſque & aliarum gentibus tantum honoris pro martyris reverentia detulerint; ut omnia pene acta illorum deſcribentes, per orbis circulum diſſeminarent; & ad noſtram uſque memoriam quæ non dum eramus pervenirent Placidi nobiliſſimi, & ſingularis viri paſſio indiſcuſſa dimitteretur: qui & ſine martyrio habuit multa quæ apicibus tradi decerent, ſcilicet tanta & talia tamquam innumera, ut magnitudinis: immenſitate nos in habitudinem mentis inducat. Imparem namque me eſſe cernebam ad tanti viri retexenda præconia; nec umquam a me ſic poſſe tam grandia facta deſcribi, ut ſermo pauperculus illius videatur virtutibus dignus: cujus gloria, cujus præconium, ipſe Deus eſt: & ob id alicujus præconio non eget. Accedebat ad hoc quod divus triumphator auguſtus Juſtinianus Æneada jam dicti nepotis ſui Placidi paſſionem exarare ſanxerat: gliſcens ardore inſaciabile examuſſim ejus acta cruciatuſque agnoſcere. Cui ego ſacratiſſimo imperio parans licet facundia deeſſet: licet ſermonis inopia non inabiles redderet, ejus divæ juſſioni obtemperans: facta ejus, & dicta ſimul, & paſſionem inſulſe deſcribentes; uſque ad veſtrum in hanc urbem adventum in domo Aniciorum habenda repoſuimus. Jamvero quia vos omnipotentis Dei largiflua gratia ad Orientalem Romani imperii ſedem direxit: ut diſcordantes ad concordiam revocaretis, exemplum jam dictæ paſſionis beatiſſimi martyris Placidi veſtræ apoſtolicæ auctoritati trado: poſcens illam a veſtro ſacratiſſimo pectore roborari, & Romanis Occidentalibus habenda contrudi: & in apoſtolicæ Sedis archivio conſervandam reponi, & præſentem epiſtolam ad poſterorum memoriam in calce paſſionis conſcribi: ob id ſcilicet, quia poſt jam dictæ paſſionis exarationem deſcripta eſt: eamdem namque hiſtoriam pontificum diadema inchoare ſtuduimus: a die ſcilicet qua illum matris uterus huic mundo edidit; uſque ad diem qua Chriſtus eumdem ſanctiſſimum martyrem cum ſociis ſuis ad habitationem patriæ cæleſtis induxit: adjungentes ea quæ paſſionem in jam dicto evenere cœnobio. Omnia namque, ut U. P. novit, priſcorum exempla ideo in litteris ſunt digeſta: ut legentium animos aveant, mentem confirment, & ad ea quæ ſunt Dei peragenda unumquemque reddant exemptum. Similiter & nova ut Deus honoretur, & humanus animus ad Dei ſervitium accendatur. Vetera enim & nova utrique cauſſæ conveniunt. Una enim virtus Spiritus ſancti: una cum Patre & Filio Deitas, una poteſtas, una majeſtas. Ipſe enim per prophetas locutus eſt, dicens: *In noviſſimis diebus effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſionem videbunt &c.* Sed quorſum hæc ſpectantur? Ad nos ſcilicet, & ad modernos doctores qui ſicut prophetias ita viſiones novas repromiſſas; & ſanctorum paſſiones ſimul, ac ſigna cognoſcimus, diligimus, veneramur, & pro modulo noſtro honorare ſtudemus: atque virtutes, & chariſmata Spiritus ſancti ad utilitatem, & ædificationem ſanctæ

eccleſiæ, juxta illud Evangelicum: *Rogabo patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis*. Et rurſum: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quia apud vos manebit: & in vobis erit*: Paulus quoque apoſtolus dona deſcribens eccleſiæ, dicit: *Unicuique datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alii gratia ſanitatum, alii gratia linguarum, alii interpetratio ſermonum. Hæc omnia operat unus atque idem Spiritus: dividens ſingulis prout vult*. Et nos itaque Spiritus ſancti gratia adminiſtrante Chriſti teſtis Placidi paſſionem, atque miracula ſicut audivimus, & oculis noſtris vidimus inſulſe a nobis deſcriptam vobis pater venerande dirigimus: omni nixu poſcentes jam dictam hiſtoriam Romanis Occidentalibus deſtinari: ut evidenter agnoſcant qualiter ſuperna clementia poſt labores, & certamina martyrem ſuum Placidum glorificans, æterna laurea decoravit. Denique opus iſtud quod triumphatoris invicti Juſtiniani juſſu cuderam, ſanctiſſimo Eutitio patriarchæ novæ Romæ Conſtantinopoleos in ſecretario majoris eccleſiæ dum ſynodum CLV. epiſcoporum una vobiſcum juſſu domini noſtri Juſtiniani perpetui auguſti celebraret: qui Deo omnipotenti cum jam dicto ſacerdotali collegio gratias agens per Orientalem plagam diſſeminare conſtituit ad omnium ædificationem orthodoxorum. Honoris veſtri monarchiam beatiſsimo Placido martyre interveniente omnipotens Deus ſua largiflua pietate cuſtodiat ſanctiſſime ac beatiſſime papa. Scripta domino noſtro Juſtiniano Æneida XXVII. anno imperante: conſulatu Baſilii, & Beliſarii anno XII.

DIPLOMA XX.

Epiſtola Felicis Meſſanenſis epiſcopi ad S. Gregorium: Quærit de conſanguinitatis gradibus, in quibus nubere licet; de epiſcoporum vexatione a ſubditis, ac de eccleſiis quarum dedicationes ſunt dubiæ.

Domino beatiſſimo & honorabili ſancto patri Gregorio papæ Felix veſtræ ſalutis ac ſanctitatis amator (*a*).

Anno 604. S.Greg.lib.14. epiſt.16.

BEatiſſimæ veſtræ ſalutis ac ſanctitatis jura penes Deum ſunt manifeſta. Dum prædicationis ſcilicet apoſtolicis, & doctrinis, veræ fidei cultura, univerſa repleta ſit terra: per divinorum tamen eru-

(*a*) Epiſtolam hanc quæ antiquis editionibus deerat, veluti ex tenebris erutam publicarunt Monachi Benedictini operum S. Gregorii editores accuratiſſimi. Sed, ſi verum amas, ea jam prodierat tom. 2. Concil. antiquæ

eruditionem eloquium, veſtra inſtruente admonitione adhortatoria ſuperædificatur orthodoxa Chriſti eccleſia apoſtolica inſtitutione fundata, & a fidelibus patribus firmiſſime roborata. Ad quam beatiſſimi omnes apoſtoli pari honoris, & poteſtatis conſortio præditi, populorum agmina convertentes, pie ſanctеque de tenebris ad lumen, de lapſu ad veram fidem, de morte ad vitam, homines divinæ prædeſtinationis gratia præſcitos, ſalutaribus præceptis ac monitis perduxerunt. Quorum ſanctorum apoſtolorum veſtra paternitas honoranda ſequens merita, & perfectius implens exempla, Eccleſiam Dei morum probitate, & actuum ſanctitate condecorat: & fide ſacra Chriſtianiſque moribus vigens, quæ fieri Deo placita præcipit, ſtudiis pontificalibus indeſinenter operatur, & perficit; ſervans divinæ legis præcepta, quia: *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum*, ſicut narrat Rom.2. 13.
Apoſtolus, *ſed factores legis juſtificabuntur*. Hæc quidem meditantes, ad nos perlatum eſt, a quibuſdam Roma venientibus, vos Auguſtino conſodali noſtro, per venerabilem ſanctitatem veſtram poſtmodum epiſcopo Anglorum, genti ordinato, & illuc directo, atque Anglis ſcripſiſſe, quos olim ad fidem converſos per vos cognovimus; ut quarta progenie conjuncti non ſeparentur. Quæ conſuetudo dudum in illis, aut in iſtis partibus, quando una vobiſcum ab infantia nutritus atque edoctus fui, non erat: nec in ullis prædeceſſorum veſtrorum decretis, vel reliquorum generaliter, vel ſpecialiter patrum inſtitutis legi, aut hactenus ab ullis ſapientibus eſſe conceſſum didici. Sed ſemper uſque ad ſeptimum originis ſuæ gradum hæc a ſanctis anteceſſoribus veſtris, & ceteris ſanctis patribus, nam in Nicæna ſynodo, quam & in aliis ſanctis conciliis congregatis, ſervari debere reperi; & a recte viventibus, ac Dominum timentibus hominibus, ſtudioſe prævideri cognovi. Dum hæc nobiſcum verſabantur, ſupervenere & alia, de quibus neceſſarium nobis videtur veſtram conſulere auctoritatem. Venerunt quippe ad nos, tam Benedictus (*a*), Syracuſanæ eccleſiæ epiſcopus, quam & alii fratres noſtri equidem epiſcopi lacrymantes, ac dicentes per ſæculares, & laicos nimis ſe eſſe turbatos, atque animo afflictos, ſuper immoderatis actibus eorum, pro quibus & aliqua injuſta eis impingebantur.

Sunt

---

quæ editionis, & in parte apud Baronium ad annum 604. cap. 7. eam quoque vidit Guſſanvillæus, ſed ut advertit col. 1143. editionis Pariſienſis, prelo indignam exiſtimavit, utpote quæ genuina non eſſet, & plurimis ſcateret mendis. Quem laudat & ſequitur Natal. Alexander *Hiſtor. Eccl.* ſæcul. 6. cap. 4. art. 16. n. 5. Porro Meſſanenſis epiſcopus Felix ſatis antea obiit, ſuffecto Dono, cui S. Gregorius pallium miſit, ſupra Dipl. CXXIII. Ergo aut Felicem alterum conſtituamus oportet, aut epiſtolæ falſitatem admittamus neceſſe eſt.

(*a*) In nomine hujus epiſcopi error quoque irrepſiſſe videtur: quum non Benedictus ſed Johannes tunc Syracuſanæ eccleſiæ præſideret. Conſule Nat. Alex. ſ[illegible] laudatum, & Monachos Be[illegible]nos in notis ad hanc epiſtolam.

Sunt etiam quædam eccleſiæ in noſtra provincia ſuper quarum conſecrationibus dubitatur, & tam propter antiquitatem, quam & propter earum cuſtodum incuriam, neſcitur utrum dedicatæ ab epiſcopis fuerint, necne ſuper quibus omnibus nos a veſtra ſanctitate, ac veſtræ ſanctæ Sedis auctoritate inſtrui precamur: & utrum ea quæ, ſicut prædiximus, vos præfato conſodali noſtro Auguſtino epiſcopo, & Anglorum genti ſcripſiſſe audivimus, ſpecialiter eis, aut generaliter omnibus ſcripta ſint, ſcriptis veſtris imbui quærimus, & de hac, ſive de aliis præſcriptis rebus pleniter informari cupimus. Nos enim ea quæ legimus, & obſervari a fidelibus cognovimus, non increpando, quod abſit, vobis ſignificamus; ſed quid rationabiliter, & fideliter ſuper his obſervare debeamus, requirimus. Et quoniam non modicum murmur ſuper hac re nobiſcum verſatur; quid reſpondere fratribus & coepiſcopis noſtris debeamus, a vobis quaſi a capite reſponſum quærimus; ne ſuper his ancipites remaneamus, aut murmur illud tam veſtris temporibus, quam poſteris inter nos, aut alios remaneat, rumorque veſter qui ſemper bonus & optimus fuit, detractionibus laceretur, vel ſubrogetur; aut nomen veſtrum, quod abſit, ſupervenientibus temporibus blaſphemetur. Nos enim quæ recta ſunt auctore Deo humili corde ſervantes, uno vinculo caritatis vobis conſtricti, veſtram religionem in omnibus ut fideles alumni defendentes, a vobis quæ recta ſunt quærimus; ſcimus enim ut ſemper ſanctæ Sedis præſules primo apoſtoli, deinde ſucceſſores eorum fecerunt, vos univerſalis Eccleſiæ & maxime epiſcoporum qui oculi propter contemplationem, & ſpeculationem vocantur Domini, curam gerere, ac de religione, & lege noſtra aſſidue cogitare, ſicut ſcriptum eſt: *Beatus qui meditabitur in lege Domini die, ac nocte*. Quæ meditatio non lectione per figuram litterarum tantum conſpecta, ſed exuberante in vobis Chriſti gratia, in veſtra cognoſcitur conſcientia immobiliter inſita. Nullatenus de veſtro corde recedente lege Chriſti Domini ſacroſancta ſicut in pſalmis dicit Propheta: *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium; lex Dei ejus in corde ipſius.* Non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi veſtri in arcanis conſcripta: non igitur in tabulis lapideis, ſed tabulis cordis. Extinguatur, oramus, veſtris ſapientiſſimis reſponſis, & auxiliis omnis tenebrarum caligo; ut Lucifer nobis reſplendeat per vos, ſanctiſſime pater, & dogmatica definitio omnes ubique lætificans: quia glorioſi ſanctæ Eccleſiæ patres propria, & piiſſima dogmata in æternæ vitæ firmam hereditatem prædicaſſe noſcuntur. Et ſubſcriptio: incolumem vos, & Deo placitum, ſancte pater patrum, orantem pro nobis Dominus cuſtodiat in ævum. Amen.

Pſ. 1. 2. — Pſ. 36. 30.

DI-

DIPLOMA XXI.

Epiſtola S. Gregorii papæ I. ad Felicem Meſſanenſem epiſcopum. Interrogatus reſpondet de conſanguineorum conjunctione, de vexatione epiſcoporum a ſubditis, ac de dubia eccleſiarum conſecratione. Segregari incorrigibiles, & ſynodum quotannis congregari præcipit.

Reverendiſſimo fratri Felici epiſcopo, Gregorius ſervus ſervorum Dei (*a*).

CAput noſtrum (*b*) quod eſt Chriſtus, ad hoc ſua membra nos eſſe voluit, ut per ejus largam caritatem, & fidem, unum nos in ſe corpus efficeret, cui ita nos adhærere convenit, ut quia ſine ipſo nihil eſſe poſſumus, per ipſum poſſimus eſſe quod dicimur. Ab arce capitis res nulla nos dividat: ne ab eo, ſi membrum ejus eſſe refugimus, relinquamur, & velut dejecti de vite palmites areſcamus. Ut ergo Redemptoris noſtri habitaculum eſſe mereamur, in dilectione ipſius toto mentis ſtudio maneamus. Ipſe namque ait: *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus*. Exegit ergo dilectio tua, frater cariſſime, ut ex auctoritate Sedis apoſtolicæ tuis deberemus conſultis reſpondere. Quod licet non prolixe, ſed ſuccincte agere feſtinaremus, propter quaſdam importunitates quæ noſtris præpedientibus peccatis in vos ſupervenere: tu tamen hæc, per reliqua ſanctorum patrum inſtituta, ſtudiis perquirere latius, & inveſtigare committimus. Non enim poteſt mens attrita & oneribus, atque importunitatibus gravata tantum boni peragere, & libere de his loqui, quantum delectata, & oppreſſionibus ſoluta. Non ergo iſta ob

Anno 604.

Ex eod. lib. 14. epiſt. 17. alias lib. 11. epiſt. 32.

Johann. 14.

(*a*) Guſſanvillæus præcedentem epiſtolam inter ſpurias, hanc vero, etſi corruptam agnoſcat & deformatam, inter genuinas nihilominus recenſet; cui ſe ſubſcribit Natalis Alex. ſupra cit. §. *Epiſtolam XXXII.* at diſcretionem tamen hujuſmodi repudiat Philippus Labbe tom. 6. Concil. col. 1300. cui alteram ſine altera nec ſalvari, nec damnari poſſe videtur: hinc iſtam non minus ac illam veluti magno Gregorio indignam reprobant, Blondellus, Cave, Ovdinus, & Du. Pin. Eam nihilominus ipſi S. Gregorio vindicant recentiores operum ejus editores, Monachi Benedictini. Rationes utrinque adductas expendat lector: quæ etſi falſam epiſtolam non demonſtrent, dubiam certe reddunt & ſuſpectam. Eo vel maxime quod farrago ſit, ex aliis S. Gregorii epiſtolis genuinis & ſinceris, ut videbimus compilata.

(*b*) Hoc exordium uſque ad textum Evangelii Johannis 14. incluſive deſumptum eſt ex Epiſt. 106. lib. 9. alias Epiſt. 111. lib. 7.

ob id prætulimus, ut hæc & alia quæ neceſſaria fore cognoverimus; tuæ ſanctitati velimus denegare; ſed ut quod hic minus invenitur, latius perquiratur.

De tribus enim apoſtolicam Sedem, in qua alitus es, & edoctus, capitulis conſulendam, prædeceſſorum tuorum ſequens exempla credidiſti, id eſt de conſanguinitatis conjunctione, & de vexatione epiſcoporum a ſubditis, & de eccleſiarum dubitatione conſecrationum. Quod autem ſcripſi Auguſtino, Anglorum gentis epiſcopo, alumno videlicet, ut recordaris tuo, de conſanguinitatis conjunctione: ipſi & Anglorum genti quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat, metuendo auſteriora recederet, ſpecialiter, & non generaliter ceteris me ſcripſiſſe cognoſcas. Unde & mihi omnis Romana civitas exſtitit teſtis, nec ea intentione hæc illis ſcriptis mandavi, ut poſtquam firma radice in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriam fuerint conſanguinitatem inventi, non ſeparentur, aut infra affinitatis lineam, id eſt uſque ad ſeptimam generationem conjungantur: ſed adhuc illos neophytos exſiſtentes ſæpiſſime eos prius illicita docere, vitare, & verbis, ac exemplis inſtruere, & quæ poſt de talibus egerint, rationabiliter, & fideliter excludere oportet. Nam juxta Apoſtolum qui
1. Cor. 3. 2. ait: *Lac vobis potum dedi, non eſcam*; iſta illis modo, non poſteris, ut ſupra dictum eſt, temporibus tenenda indulſimus; ne bonum quod infirma adhuc radice plantatum erat, erueretur, ſed cœptum firmaretur, & uſque ad perfectionem cuſtodiretur. Sane ſi in his ſecus quam debuimus aliquid egimus, non proterviæ, ſed commiſerando actum eſſe cognoſcas. Unde & teſtem invoco Deum qui cogitationes omnium hominum novit, cujus etiam oculis omnia nuda ſunt & aperta. Nam ſi ea deſtruerem, quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed everſor eſſe juſte comprobarer, teſtante veritatis
Luc. 11. 17. voce quæ ait: *Omne regnum in ſeipſum diviſum non ſtabit*. Et omnis ſcientia, & lex adverſus ſe diviſa deſtruetur. Ideoque neceſſe eſt, ut omnes concorditer ſtatuta ſanctorum patrum noſtrorum teneamus, nihil videlicet per contentionem agentes, ſed ad omne ſtudium bonæ devotionis unanimes, divinis, & apoſtolicis conſtitutionibus auxiliante Domino pareamus.

O quam bona (*a*) eſt caritas quæ abſentia per imaginem, præſentia ſibimetipſis exhibet per amorem, diviſa unit, confuſa ordinat,
Coloſ. 3. inæqualia ſociat, imperfecta conſumat! Quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat: quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, ſed tamen eas ita caritas ligat, ut ab amantis mente diſſolvi jam nequeant. His rite perpenſis, caritative jam dictis indulſi, nec præceptum dedi, ſed conſilium; nec regulam in his poſteris ullis tenendam tradidi, ſed de duobus periculis quod facilius

(*a*) Verba hujuſmodi uſque ad illa *diſſolvi nequeant*. Legimus quoque in Epiſt. 53. lib. 5. Ind. XIII. alias Epiſt. 50. lib. 4. Ind. XIII.

cilius ſit vitandum oſtendi. Si (*a*) igitur in rebus ſæcularibus ſuum
cuique jus, & proprius ordo ſervandus eſt: quanto magis in eccleſia-
ſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio, ne ibi diſcordia lo-
cum inveniat, unde pacis debent bona procedere? Quod hac ratio-
ne ſervabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur. Qua-
propter multum cor noſtrum magnitudini veſtræ congaudet, quod ſic
vos in veſtris actibus ſtudioſos invenimus, ut vos & noſtri curam
habeatis, & talia ſciſcitando inquirere ſtudeatis: quatenus talia vobis
non ſolum apud homines gloriam, ſed & apud omnipotentem Domi-
num præmia mercedis acquirant.

Ceterum ſuper vexatione epiſcoporum, de qua nos conſulere
voluiſtis: ſcimus quia a nullis vita præſulum perturbari debet exceſſi-
bus: quia valde indignum eſt, ut hi qui throni Dei vocantur, aliqua
motione a regibus vel ſubditis turbentur. Quoniam ſi David regum
juſtiſſimus, in Saul quem conſtabat jam a Domino reprobatum eſſe,
manum mittere non præſumpſit: quanto magis cavendum eſt, ne
manum detractationis, aut vituperationis, ſive indiſcretionis, aut de-
honorationis, quidam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores
ſanctæ Eccleſiæ? Quia eorum vexatio, ſive detractio ad Chriſtum
pertinet, cujus vice in Eccleſia legatione funguntur. Unde ſummope-
re cavendum eſt omnibus fidelibus, ne clanculo aut publice epiſcopum
ſuum, id eſt unctum Domini detractionibus, aut vituperationibns di-
lanient, perpendentes illud exemplum Mariæ: quia pro eo quod
Moyſi famulo Dei propter Æthiopiſſam detraxit, immunditia lepræ Num. 12.
mulctata ſit. Et illud Pſalmiſtæ: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in* Pſ. 104. 15.
prophetis meis nolite malignari. Et in lege divina legitur: *Diis non* Exod. 22. 28.
detrahes, & populi tui principi non maledices. Unde valde præviden-
dum eſt ſubditis tam clericis, quam laicis, ne epiſcoporum, aut præ-
poſitorum ſuorum vitam temere reprehendere audeant, ſi quid eos
fortaſſe agere reprehenſibiliter vident; *ne unde mala* redarguunt, in-
de per elationis impulſum in profundiora mergantur. Admonendi
ſunt etiam, ne quum culpas præpoſitorum ſuorum conſiderant, con-
tra eos audaciores fiant. Sed ſic eorum prava apud ſemetipſos conſi-
derent, ut divino timore conſtricti, ferre ſub eis jugum reverentiæ
non recuſent: quoniam facta epiſcoporum, vel præpoſitorum oris
gladio non ſunt ferienda, etiam quum recte reprehendenda videantur;
quoniam a prædeceſſoribus noſtris, & a reliquis multis ſanctis epiſco-
pis ſtatutum fore cognovimus, ut oves paſtores ſuos non facile re-
prehendant, nec eos criminari, vel accuſare præſumant: quia quum
in præpoſitos delinquimus, ejus ordinationi qui nobis eos præbuit,
obviamus. Unde Moyſes dum contra ſe, & Aaron conqueri popu-
lum cognoviſſet, ait: *Nos enim quid ſumus? Nec contra nos eſt mur-* Exod. 18. 8.

(*d*) Locus iſte uſque ad ea verba *æqui-
tati tribuitur*, exſcriptus videtur ex Epiſt 115. lib. 9. Ind. 11. alias Epiſt. 120, lib. 7. Ind. 11.

mur veſtrum, ſed contra Deum. Quapropter admonendi ſunt ſubditi utriuſque ordinis viri, ut quum magiſtrorum facta conſpiciunt, ad ſuum cor redeant, & de eorum increpationibus non præſumant: quia
Matth. 10. *non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum*.

De dedicationum vero eccleſiarum dubitatione, ſuper qua inter cetera nos conſulere voluiſtis, hoc vos rite tenere debetis quod ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus: id eſt, ut quoties tam de baptiſmo aliquorum, vel confirmatione, quam de eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, & nec ſcriptis nec teſtibus ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, ſive eccleſiæ conſecratæ ſint: ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque eccleſiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monſtratur iteratum quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum. Hæc nos adminiculante divina gratia, ita tenere cupimus, vobiſque, ut poſtulaſtis, tenere & docere mandamus, & ea quæ a ſanctis patribus ante nos ſunt ſtatuta, non proterve irrumpere, ſed fideliter ſervare optamus. Unde Redemptoris noſtri miſericordiam exoramus, ut ſua vobis in omnibus gratia ſuffragetur, & effectu implere vos tribuat quod velle conceſſit: quia in hac tanto commoda retributionis accreſcunt, quanto & ſtudium laboris augetur. Progeniem vero ſuam unumquemque de his qui fideliter edocti ſunt, & jam ſirma radice plantati ſunt inconvulſi, uſque ad ſeptimam obſervare decernimus generationem; & quamdiu ſe affinitate agnoſcunt propinquos, ad hujus copulæ non accedere ſocietatem præſumant: nec eam quam aliquis ex propria conſanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere, ulli profecto licet Chriſtianorum vel licebit: quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo, & cunctis bonis hominibus.

Inceſtuoſos vero nullo conjugii nomine deputandos a ſanctis patribus dudum ſtatutum eſſe legimus. Ideo nolumus nos in hac re a vobis ſive a ceteris fidelibus reprehendi: quia quod in his Anglorum genti indulſimus, non formam dando, ſed conſiderando ne Chriſtianitatis bonum quod cœperant, imperfectum dimitterent, egimus.

Paterna ergo vos dilectione ſalutantes, hortamur ut propoſitas opportunitate occaſiones in veſtra efficacia enixius elaborare debeatis, atque id modis quibus poſſibile fuerit, omni ſtudio agere contendatis: quatenus prædicabile deſiderium veſtrum in auxilium omnium, adjuvante Domino, compleatis. Nec hoc quoque in hac ſolicitudinis parte relinquimus, quod omnes inceſtuoſi a liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſint ſeparandi, quouſque per ſatisfactionem precibus ſacerdotum canonice eidem ſanctæ Eccleſiæ catholicæ reconcilientur. Sunt enim mali ſegregandi a bonis, & iniqui a juſtis, ut ſaltem rubore ſuo conſcientias ſuas recognoſcant, & convertantur a pravitatibus ſuis. Ac ſi incorrigibiles apparuerint ſegregentur a fidelibus uſque ad ſatisfactionem
Luc. 17. nem juxta Salvatoris Domini ſententiam qua inter cetera de peccan-
Matth. 18. te in ſe fratre præcipiendo, ait: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe*

ripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non audierit te, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſiet omne verbum. Quod ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ. Si autem & Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. His ergo & aliis multis ſanctorum patrum auctoritatibus ſegregandi ſunt mali a bonis, ne pereant juſti pro injuſtis ſicut ſcriptum eſt: perit juſtus pro impio. Debet enim diſcretio ſemper fieri inter bonos, & malos, ſicut eſt inter hædos, & oves. Manifeſta quoque peccata non ſunt occulta correctione purganda: ſed palam ſunt arguendi qui palam nocent: ut dum aperta objurgatione ſanantur ii qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius eſt ut pro multorum ſalute unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur, quum & inter jumenta hoc fieri perſæpe cognovimus, ut ea quæ ſcabiem, aut impetiginem habere videntur, ſeparentur a ſanis, ne illorum morbo cetera ſana damnentur, vel pereant. Satius eſt ergo ut mali aperte corrigantur, quam pro illis boni pereant. Unde (*a*) volumus vos omnes in unum convenire epiſcopos, ut de incidentibus cauſſis fiat diſceptatio, & ſalubris de eccleſiaſtica obſervatione collatio: quatenus dum per hoc, & præterita corriguntur, & regulam futura ſuſcipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia collaudetur. Cujus vobis adeſſe præſentiam, ſi hæc obſervaveritis, ſcitote, quia ſcriptum eſt: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum*. Si ergo dignatur adeſſe duobus, vel tribus congregatis: quanto magis non deerit ubi plures conveniunt ſacerdotes? Et quidem quia adhibendum bis in anno concilium patrum, ſit regulis inſtitutum, non latet. Sed ne forte aliqua excuſatio ſit, ſemel decrevimus congregari, ut expectatione concilii nihil pravum, nihil præſumatur illicitum. Nam plerumque & ſi non amore juſtitiæ, metu tamen examinationis abſtinetur ab hoc quod omnium notum eſt poſſe diſplicere judicio. Hanc, frater cariſſime, obſervantiam noſtris relinquendam poſteris teneamus, & omnia quæ ad eruditionem noſtram ſacris apicibus ſcripta ſunt, cuſtodiamus, atque ad ea quoſcumque poſſumus, excitemus. Certum quippe eſt, quia ſi toto corde præceptis ſalutaribus nos occupamus, omnem vitiorum labem effugimus: quia dum his quibus ædificamur, innitimur, locum ſine dubio deceptionis excludimus. Quapropter oportet ut enixius in cunctis ſtudioſos vos circa fratres atque ſubjectos oſtendatis; ut omnes cum quibus aliti eſtis, atque didiciſtis ſanctæ Romanæ eccleſiæ præceptionibus parere, apoſtolicæ Sedis præcepta multiplicare, apertiſſimeque nota

Iſa. 57.

Matth. 18.20.

(*a*) Hæc quoque verba uſque ad §. *Quapropter*, deſcripta ſunt ex Epiſt. 106. Ind. 11. lib. 9. alias Epiſt. 111. lib. 7. Ind. 11.

nota facere agnoſcant: quia quod ſpecialiter tibi tuiſque, & fratrum tuorum caritati, ut tuæ litteræ innotuerunt, conſultis ſcribimus, generaliter omnibus tenere mandamus. Circa (*a*) ſubjectorum autem actus fraternitas tua ſit vigilans, ut veſtrum illis exemplum inſtructio, & vita magiſtra ſit; linguæ veſtræ exhortatione diſcant quod metuant, & doceantur quod diligant; ut dum talenta credita cum lucro multiplicantur, in diem retributionis annuente divina gratia audire mereamini: *Euge ſerve bone & fidelis: intra in gaudium Domini tui*. Curam præterea de omnibus quæ vobis aliiſque fratribus noſtris, & generaliter cunctis, pro illicitarum rerum prohibitione ſcripſimus, habere vos per omnia cognoſcamus, quia omni ſtudio, omnique adnixu, neceſſe eſt ut fraternitatis veſtræ vigilantia compleantur, atque illic omnia quæ pro animarum ſcripſimus ſalute, fideliter recenſeantur: quatenus & vos per hoc veſtrum zelum qualiter vobis illicita diſpliceant oſtendatis, & nos utiliter providiſſe, qui vos ac veſtram ad hoc præ ceteris perſonam eligimus, videamur. Omnipotens (*b*) autem Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honoremque perceptum vobis omnibus ſervare concedat. Amen.

Math. 25.

DIPLOMA XXII.

Epiſtola Sicilienſium monachorum ordinis S. Benedicti ad congregationem Caſinenſem Lateranis degentem. Pro inſtauratione monaſterii S. Placidi.

Sanctæ ac Deo dignæ congregationi Caſinenſi Lateranis degenti, ſervi & filii eorum in Sicilia commorantes (*c*).

Anno 660. circiter.

Ex Append. Leonis Oſtienſis lib. 4.

SIc hujus vitæ pelagum currere, ut portum quietis valeant apprehendere, diverſis attriti miſeriis, & innumeris calamitatibus oppreſſi, de profundis ad U. P. clamamus, rogantes illam miſereri afflictæ & deſolatæ Siciliæ. Tot enim ac tantis tribulationum preſſuris deprimimur; ut jam nulla ſpes vitæ relinquatur. Saraceni namque ab Alexandria, cum immenſo exercitu ad Siciliam venientes, omnem fere inſulam, igne & gladio deleverunt, & monachos in ſancti Chriſti martyris Placidi commorantes cœnobio, diverſis ſuppli-

(*a*) Hujuſmodi partem uſque ad §. *Omnipotens*, mutuatus eſt auctor, aut impoſtor ex Epiſt. 108. lib. 9. alias Epiſt. 131. lib. 7.

(*b*) Clauſulam iſtam verbotenus legimus etiam in Epiſt. 57. lib. 5. alias Epiſt. 50. lib. 4.

(*c*) Conſule quæ dedimus in monitis ad donationem Tertulli patricii, S. Placidi patris, S. Benedicto factam, hic in Appendice ſub n. XI.

pliciis affectos, morti tradiderunt. Redacta eſt terra in ſolitudinem, & ablatis ab illa hominibus, ferarum ſaltus effecta eſt. Et nonaginta & octo civitates, & villæ vobis in Sicilia ſubditæ, incenſæ ſubverſæ & deſolatæ ſunt. Sanctorum quoque domicilia deſtruentes, altaria Domini ſuffoderunt, & clericos cujuſcumque ordinis & dignitatis diverſis ſuppliciis affectos occiderunt: facta ſum in deriſum clamat Sicilia omnibus gentibus, canticum eorum tota die: in triſtitia ſedeo: clamo, non eſt qui conſoletur me. Jam enim pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum: & derelicta ſunt tantummodo labia mea circa dentes meos: miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, Domini mei, unica ſpes ſalutis meæ, quia manus Domini tetigit me: quapropter opportune, importune vos per patrem Benedictum & martyrem Chriſti Placidum adjuramus, ut ſuper nos afflictos miſericordiæ brachium extendatis: & ad monaſterium inſtaurandum, & civitates, caſtra, poſſeſſiones, & villas reparandas dirigere cum ſupplemento pecuniæ ſtudeatis: periclitantique inſulæ jam jamque nutanti Benedicti dexteram porrigatis. Jam enim Placidus in ſibi commiſſis ovibus rurſum occiditur, & Eutichius, Victorinus, & Flavia virgo in ſibi adhærentibus rurſum capite truncantur. Effudere namque Saraceni ſanguinem monachorum Caſinentium, & Chriſtianorum, cum illis habitantium, velut aquam in circuitu poſſeſſionum ſuarum, & non erat qui ſepelliret: unde veſtram ſanctitatem iterum iterumque rogamus, ut nobis afflictis conſolationis juvamen impendere ſtudeatis. Valete.

DIPLOMA XXIII.

Epiſtola Vitaliani papæ ad monachos Siculos Ord. S. Benedicti. Pro inſtauratione ejuſdem monaſterii.

Vitalianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis ſub patris Benedicti, & Placidi dominio in Sicilia conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem (*a*).

AD hoc nos ſuperna clementia in orbe terrarum præfecit rectores, atque cuſtodes, ut diſperſa congregare, & congregata conſervare, & deſtructa reſtituere ſummopere procuremus, quapropter quia civitates, caſtra, monaſteria, poſſeſſiones, & villas beato Be- *An. 660. cir.*

Ex ead. Append. Leonis Oſtienſis.

(*a*) Epiſtolam hanc ſuppoſititiam eſſe plane demonſtrant, Baronius ad annum 541. Pagius junior *in Vitaliano*. Natalis Alex. *Hiſtor. Eccl.* ſæcul. 7. cap. 1. art. 5. n. 2. Vide præterea quæ expoſuimus in notis ad cit. Dipl. XI.

Benedicto in Sicilia ſubditas paganorum incurſionibus deſolatas eſſe audivimus, ſupra modum dolemus, omnipotentique Deo ſuper hoc gratias agimus, qui ideo temporaliter hic flaggellari irrogat, ne in æternum puniat. Unde vos, cariſſimi filii, a fletu & mœrore ceſſare monemus, & his noſtris filiis quos de Caſinenſi congregatione ad monaſteria reſtauranda, & civitates, caſtra, poſſeſſiones, & villas recuperandas in Siciliam dirigere ſtuduimus, ut ſpecialibus dominis deſervire curetis, ex parte beati Benedicti, & noſtra præcipientes ut in reſtauratione monaſterii, & poſſeſſionum illos adjuvare ſtudeatis, cœptumque laborem ad effectum perducere ſummopere procuretis. Nos enim & vos, & civitates, caſtra, poſſeſſiones & villas quas Tertullus patricius beato patri Benedicto in Sicilia dedit, defendere, adjuvare, & manu tenere parati ſumus. Omnipotens Deus ſua vos gratia benedicat, atque a cunctis adverſis eripiat. Valete.

DIPLOMA XXIV.

Fragmentum donationis eccleſiæ Romanæ a Ludovico Pio imperatore factæ. De Sicilia cum adjacentibus territoriis ſuis.

In nomine Domini Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus ſancti (*a*).

Anno 817. Ex Baronio ad ann. 817. n. 10. Goldaſt Conſtit. Imp. t. 2. ad an. 817. pag. 12.

EGo Ludovicus imperator auguſtus ſtatuo, & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi beato Petro principi apoſtolorum, & pro te, vicario tuo domno Paſchali ſummo pontifici, & univerſali papæ, & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, ſicut a prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate, & dictione tenuiſtis, ac diſpoſuiſtis civitatem Romanam cum ducatu ſuo, & ſuburbanis atque viculis omnibus, & territoriis ejus, montanis, & maritimis litoribus, & portubus, ſeu cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis, ac viculis in Tuſciæ partibus. *Et poſt alia*: Et inſulas Corſicam, & Sardiniam, & Siciliam ſub integritate cum omnibus adjacentibus, & territoriis maritimis, litoribus, portubus ad ſupradictas civitates, & inſulas pertinentibus. Item in partibus Campaniæ, &c.

DI-

(*a*) Agunt de hujuſmodi donatione ſcriptores graviſſimi; ſed ea non omnibus æque probatur: & ut de Carolo Molineo, Johanne Volphio, Philippo Morneo, Melchiore Goldaſto, aliiſque ſcriptoribus hæreticis taceam; eam ſuppoſititiam eſſe cenſet, uterque Pagius, ſenior *in Critica Baron.* ad annum 817. n. 7. junior vero *in Brev. Rom. Pontif.* tom. 2. *in Vita Paſchalis I.* n. 4. Utut res ſe habeat, dubitari certe non poteſt, in chartam iſtam, ad Siciliam quod ſpectat, errorem irrepſiſſe, quum nec tum Ludovico, nec aliis poſtea Francis imperatoribus ea paruerit.

DIPLÓMA XXV.

Epiſtola Paſchalis papæ I. ad archiepiſcopum Panormitanum. Ad preces regis pallium mittere ſe profitetur, fideique ſacramentum ab eo præſtari imperat.

Paſchalis Panormitano epiſcopo (*a*).

SIgnificaſti frater cariſſime regem, & regni majores admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocriſiariis noſtris tali conditione oblatum: ſi ſacramentum quod a nobis ſcriptum detulerant, jurares. In pallio frater plenitudo conceditur pontificalis officii, quia juxta Sedis apoſtolicæ, & totius Europæ conſuetudinem, ante acceptum pallium metropolitanis minime licet aut epiſcopos conſecrare, aut ſynodum celebrare. Mirentur in hac cauſſa Dominum Jeſum Chriſtum, quum enim Dominus Jeſus, & Dominus ovium ſuarum curam Simoni Petro committeret, conditionem poſuit, dicens: *Si diligis me, Simon Petre paſce oves meas*. Si conſcientiarum factor & cognitor ſecretorum conditione hac uſus eſt, nec ſemel tantum, ſed & ſecundo, & uſque ad triſtationem qua nos ſolicitudine, qua proviſione oportet tantam Eccleſiæ prælationem, tantam Chriſti ovium curam imponere fratribus, quorum conſcientias non videmus; illis maxime, quos nullo uſu novimus, quorum dilectionem penitus ignoramus? Ajunt omne jusjurandum in Evangelio a Domino Deo eſſe prohibitum, nec ab apoſtolis poſt Dominum, nec in conciliis poſt inveniri poſſe ſtatutum. Quid ergo quod idem Dominus ſubſecutus ait: quod amplius eſt a malo eſt? Hoc enim amplius, ut exigamus malum nos illo permittente compellit, nonne malum eſt, ab Eccleſiæ unitate, & a Sede apoſtolica obedientia reſiſtere? Nonne malum eſt contra canonum ſtatuta prorumpere, quod quam multi etiam poſt ſacramentum præſumpſerint? Nonne prædeceſſor tuus præter Romani pontificis conſcientiam damnavit epiſcopum? Quibus hoc canonibus quibus conciliis legitur eſſe permiſſum? Quid ſuper epiſcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate apoſtolica ſed nutu regio præſumuntur? Quum igitur a Sede apoſtolica veſtra inſignia dignitatis exigitis, quæ a beati Petri tantum corpore aſſumuntur, juſtum eſt, ut vos quoque Sedi apoſtolicæ ſubjectionis de-

Anno 819. circiter.

Pyrrhus Not. Eccl. Panorm. ad ann. 819.

(*a*) Hanc epiſtolam, nec a Paſchali papa I. nec ad Panormitanum noſtrum antiſtitem ſcriptam eſſe, erudite ſatis demonſtrat vir de ſtudio ſacræ eruditionis optime meritus Joſeph Cantelius *Metrop. Urb. Hiſtor.* pag. 446. & 447. Cui aſſentitur Philippus Labbe tom. 12. Concil. col. 970. epiſtolam hanc ſub Paſchalis II. nomine exſcribens.

debita ſigna ſolvatis, quæ vos cum beato Petro tamquam membra de membro, catholici capitis unitatem ſervare declarent, in quibus a prædeceſſoribus noſtris ea adhibita eſt moderatio, ut nihil injurioſum, nihil difficile ſit appoſitum, quod non etiam præter exactionem noſtram debeat ab omnibus epiſcopis obſervari, qui ſub apoſtolorum Petri, & Pauli obedientia decreverint, & unitate perſiſtere. Numquid non ultra vos Daci conſiſtunt? Et tamen eorum metropolitæ, & idem juramentum afferunt, & legatos Sedis apoſtolicæ honorifice tractant, & in ſuis neceſſitatibus adjuvant, & apoſtolorum limina per legatos ſuos non tantum per triennium, ſed ſingulis annis viſitant.

DIPLOMA XXVI.

Epiſtola Sicilienſium monachorum ordinis S. Benedicti ad Apolinarium abbatem Caſinenſem. De Saracenis Siciliam invadentibus, & patrimonium cœnobii Caſinenſis devaſtantibus.

Sancto ac venerabili patri Apollinario Dei gratia, patris Benedicti digno vicario Caſini locato, ſervi, ac filii SS. Benedicti, & Placidi in Sicilia conſtituti, utriuſque regni gloriam (*a*).

Anno 867. circiter.

Ex Append. Leonis Oſtienſis.

QUanta & qualia a paganis Sicilia paſſa ſit, & noſtris frequentibus litteris ſignificantibus, & fama jam volitante audiſtis. Sed quia nunc ſuper nos, ultra modum Saracenorum perſecutio ſævit, ea quæ in noſtris cervicibus imminent, vobis notificare cupimus. Nuper namque Saraceni ab Alexandria, Ægypto, Babilonia, & Africa venientes Siciliam ingreſſi ſunt, opperientes univerſam ſuperficiem terræ, ſicut locuſtæ, devaſtantes incendentes, & cuncta exterminio, ac morti tradentes, arbores fructiferas ſuccidentes, & in monaſteriis, civitatibus, caſtris, ac villis cœnobio Caſinenſi pertinentibus ſcelerati ſæviunt: ut majoribus incendiis religioſorum loca, quam aliorum domicilia concremarent. Quaſi in ſilva lignorum, ſecuribus exciderunt januas eccleſiarum in idipſum bipenni, & aſcia dejecerunt eas, incenderunt igni ſanctuarium Dei, in terra polluerunt tabernacula nominis Dei. Pontifices, & ſacerdotes in-

---

(*a*) Viſa admonitione noſtra ad Dipl. XI. ejuſdem Appendicis, epiſtolam hanc apocrypham eſſe & ſuppoſititiam, nemo partium ſtudiis non abreptus, ibit inficias.

innumeris pœnarum generibus occiſi ſunt, ut traderent ſi quid auri, vel argenti habebant: & dum quæ penes illos erant, pœnis urgentibus manifeſtabant, interim eo amplius crudeliter torquebantur: cogitantes quamdam partem, non totum oblatum. Ibi vero amplius exacerbantur in ira furoris, ubi honorem conſpexerant dignitatis. Jamvero quis digne referre valeat umquam ea quæ nunc in Sicilia evenerunt? Attendite quæſo univerſi populi, & videte perſpicite & auribus intendite cuncti, ſi umquam dolor exſtitit ſimilis ſicut dolor meus. Convenite cuncti, exclamat Sicilia ad domum mei doloris, & partibus oculis una mecum fundite flumina lacrymarum; quia meæ perditionis augmentum Chriſtianorum ludibrium eſt. Conſtituta ſum inter opprobria, parata ſum ad flagella, cogor exclamare inter flagella, amove a me plagas tuas, quia defeci in increpationibus: intercede pro inſula tua dux monaſtici agminis Benedicte, quæ deſolata eſt, quæ abjecta, quæ vidua eſt: conſidera & vide, quia facta ſum vilis, facta ſum quaſi polluta menſtruis inter inimicos meos. Manum ſuam miſit Saracenus ad omnia deſiderabilia mea: quia vidi Iſmaelitas ingredi, & invadere atria mea, quibus præceperas ne inintrarent eccleſiam meam. Viæ meæ lugent, eo quod non ſint, qui veniant ad ſollemnitates; egreſſus eſt a facie mea decor, & deliciæ. Quæſivi qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; conſolantem me quæſivi & non inveni: & dederunt in eſca mea fel; & in ſiti mea potaverunt me aceto. Exora pro hereditate tua, Placide martyrum beatiſſime, intercede pro inſula tua martyr Eutichi. Quam cernis afflictam & deſolatam: eſto & tu beatiſſime Victorine in hoc ſuffragator fratrum tuorum: flagita & tu Flavia virgo ſanctiſſima cuncta prægere pro ſalute Siculorum: univerſi ob ejuſdem ruinam ingemiſcite ſancti, Deum rogantes, ut quandoque me de Paganorum manibus eripiens, priſtinæ libertati reſtituat: hæc ſunt Apollinari pater beate, pro quibus filii veſtri auxilium patris Benedicti corporale, & ſpirituale expoſcunt: rogantes & omni nixu, omnibuſque modis domini papæ, & ſereniſſimorum imperatorum Ludovici, & Baſilii adjutorium requiratis: quatenus a Paganorum manibus erepti Deo, & vobis gratias referre, & in Caſinenſis cœnobii ſervitio, ac fidelitate, jugiter permanere poſſimus.

DIPLOMA XXVII.

Epiſtola eorumdem monachorum ad Leonem Caſinenſem abbatem. Adverſus Saracenos in Siciliam venientes, & Tauromenium invadere conantes, auxilium præſtolantur.

Sanctitate decorato, amplitudine & conſpicuæ religionis illuſtrato magnitudine, domno Leoni Caſinenſi abbati, ſervi & filii SS. Benedicti & Placidi in Sicilia conſtituti, fidelia ſervitia.

An.900.cir.

Ex ead. Append. Leonis Oſtienſis.

MUltimodas grates U. P. referimus de adjutorio nobis a piiſſimo cæſare deſtinato, rogantes ut veſtra beneficia nobis ad præſens ſuccurrere non deſinant; & noſtræ recuperationis beneficium perficere & tractare, & ad finem ducere ne pigeat: quia omnis noſtræ ſpei ſublevatio per Deum in vobis eſt. Calendarum itaque Auguſtarum die, rex Saracenorum Africam inhabitantium, ad Siciliam veniens, Taurominium veſtram civitatem capere nititur. Quapropter rogamus, ut nobis ſuccurratis: quatenus Taurominium manutenere, & civitates & caſtra a Saracenis defendere valeamus.

DI-

(*a*) Vellem de hac epiſtola teſtimonium nanciſci verius, præ quam illud quod ex non genuina & ſuſpecta ſatis Appendice Leonis Oſtienſis exhauritur. Impoſtor enim neſciens tanto illuſtrius fuiſſe antiquorum monachorum inſtitutum, quanto de temporalibus non ſolicitum uni intenderet ſolitariæ & pauperi vitæ, nullum lapidem non movit, ut legentium fidem extorqueret, quamobrem perſuaſum ſibi haberent, cœnobii Caſinenſis patrimonium ingens fuiſſe, Siciliæ caſtra fere omnia continens, oppida, & villas, & præterea Taurominium, & tot taleſque alias tunc valde magnificentiſſimas urbes, quales aut vix, aut nullo modo ipſius imperatoris patrimonium comprehendebat. Conſule Baronium quem laudavimus in notis ad donationem Tertulli, hic in Appendice Dipl. XI.

DIPLOMA XXVIII.

Senatus-Conſultum Romanum ſub Leone VIII. antipapa. De reſtituendis Romano imperio omnibus temporalibus in Trinacria, & alibi exſiſtentibus, quæ per reges ac imperatores eccleſiæ Romanæ collata fuerant.

Nos Leo ſervus ſervorum Dei, epiſcopus, Ottoni ſpirituali filio noſtro in Chriſto imperatori auguſto, & omnibus ſucceſſoribus ſuis imperatoribus, ac regibus regni Italiæ (*a*).

QUæcumque dominus Carolus rex Francorum, & Longobardorum, & patricius Romanus, necnon Pipinus pater ejus de regalibus regni Italiæ tribuerunt in ſancta Romana eccleſia beato Petro apoſtolo, ſive per inſtrumenta quæ ſcripta fuerunt per Etherium notarium ſuum, ſive per ſacram, ſive donationes, ſeu per alios modos ſibi obvenerunt a Juſtiniano imperatore, & Ariperto rege; hæc omnia largimur, & diffinimus vobis Ottoni imperatori, & Alheidæ conjugi tuæ, regnique conſorti, veſtriſque utriuſque ſucceſſoribus regni Italiæ in perpetuum, præſentibus ſacroſanctis Evangeliis, & patrociniis plurimorum ſanctorum, videlicet, ... Tranſpadum, caput Apuliæ, Melphim, Belleum, Pineum, Fortomini, civitatem maritimam Turritanenſem in regno Trinacriæ, Patarenſem, Meranenſem, Catanienſem, Athenarium, monaſterium ſancti Benedicti in monte Caſino, monaſterium Farſenſe, monaſterium Imbellimarum, monaſterium ſancti Vitalis Ravennæ, monaſterium ſancti Hilarii, monaſterium ſancti Archangeli Bononienſis, monaſterium Aula regia, monaſterium Novanculæ, monaſterium Martyrum conſtitutum in Tuſcia; ut hæc omnia habeatis, teneatis..... ſcripta per manum Gregorii archinotarii noſtri. Datum in Patriarchio Lateranenſi tertio Cal. Maji, Indict. VI. Anno Sedis noſtræ ſecundo, & dicti domini Ottoni ſecundo feliciter.

Anno 964. die 29. Apr.

Goldaſt. Conſtit. Imper. tom. I. pag. 222.

(*a*) Hæc enim conſtitutio ejuſdem furfuris videtur eſſe, ac illa ipſius ejuſdem pſeudo-ſynodi Romanæ, qua ipſi Ottoni, ejuſque in imperio ſucceſſoribus, in magnum Chriſtianæ religionis dedecus, perpetua poteſtas facta eſt, ut Romanos pontifices eligant, & epiſcopis inveſtituras tribuant. Utramque ſuppoſititiam eſſe erudite demonſtrat Baronius *Annal. Eccl.* ad annum 964. n. 20. & ſeqq. Cui, fruſtra reclamante Petro Marca *Concord. Sacerd. & Imper.* lib. 8. cap. 12. haud inviti ſe ſubſcribunt, Natal. Alex. *Hiſtor. Eccl.* tom. 6. ſæcul. 9. cap. I. art. 21. in fine. E Franciſcus Pagius *Breviar. Rom. Pontif.* tom. 2. *in Leone VIII.* n. 6.

DIPLOMA XXIX.

Bulla Benedicti papæ IX. confirmat privilegia & conceſſiones monaſterio Jeroſolymitano S. Mariæ de Latina factas. Inter alia de rebus, & eccleſiis in Sicilia exſiſtentibus.

Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati monaſterii S. Mariæ de Latina Jeroſolymitarum, ejuſque fratribus tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum religioſam vitam eligentibus (*a*).

Anno 1040. *circiter.*

MS. Cod. Monaſt. S. Margaritæ Polit. in Diœc. Cephal.

ITem in Sicilia, eccleſiam S. Philippi de Argirion, cum cappellis ab eadem eccleſia dependentibus, & omnibus juribus & pertinentiis ſuis; eccleſiam S. Crucis de Roſa Cambra, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; eccleſiam S. Laurentii de Siclo, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; eccleſiam S. Nicolai de Xiacca, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; eccleſiam S. Petri de Vaccara, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; eccleſiam S. Philippi de Capitio, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; eccleſiam S. Mariæ de Eremitis in Politti, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; eccleſiam S. Petri de Cave, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; eccleſiam S. Mariæ de Latina Meſſanæ, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; decima & ſpirituale jus quod & quas habetis in territorio S. Philippi de Argirion, & ſuis pertinentiis; Terras quas habetis in territorio de Gullano, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; caſale de Scarpello, cum juribus & pertinentiis ſuis; caſale quod vulgariter Amue, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; domum quam habetis in Aidon cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis; domum quam habetis in Traina, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. In Calabria, &c.

DIS-

(*a*) Mutilo olim exemplari monaſterii S. Margaritæ Politii nos decepti, bullam hanc Benedicto IX. tribuimus in noſtro *de Divinis Siculor. Offic.* Tractatu cap. 12. n. 5. Sed perperam, quum pertineat ad Benedictum XI. ut diſcimus ex originali charta membranacea monaſterii ſancti Philippi de Agyrio ipſius Benedicti XI. ſigillo munita cum hac clauſula: *Datum Laterani per manus Papiniani Parmenſis epiſcopi, S. Romanæ Eccleſiæ vice-cancellarii, idibus Martii, indictione ſecunda, incarnationis Dominicæ anno* 1304. *pontificatus vero domini Benedicti XI. anno* 1. Eam integram exſcribit Attardus *Hiſt. Agyr.* pag. 162. & ſeqq.

DISSERTATIONES
SELECTÆ
IN PRIMAM PARTEM
CODICIS DIPLOMATICI
SICILIÆ.

DISSERTATIO I.

De primaria inſtitutione Eccleſiæ Siculæ.

I. ECcleſiæ Siculæ initium hujuſmodi eſt, ut eo glorioſius, vel firmius, vel vetuſtius deſiderari jam non poſſit: ſane quam ad nos majores noſtri tranſmiſerunt, Catholicam fidem, non ex ætate media, aut mediæ proxima, ſed ab ipſo ortu Eccleſiæ, aureiſque apoſtolorum temporibus derivare, extra omnem dubii aleam poſitum eſt. Dignitatis noſtræ teſtes ſunt ſcriptores antiquitate ſimul & gravitate præſtantiſſimi: ex quibus eos tantum ſeligendos duximus, qui ad hoc argumenti genus illuſtrandum ſat ſuperque eſſe videntur. Unde cave dicas præter hic exſcriptos, alios nobis non probari: ſunt enim pene innumeri, quos præterea reveremur, & in ſua probabilitate relinquimus; ſed horum nihilominus auxilio ad erigendam hanc molem in præſentia non indigemus. Sed quoniam de antiquitate Eccleſiæ noſtræ patres non modo, verum & Eccleſia Romana, Græca pariter, atque Sicula; immo & utriuſque Teſtamenti paginæ ſacratiſſimæ uno ore conſentire videntur: earumdem itaque ſanctarum Scripturarum, quæ infallibilitate gaudent, teſtimonia prius exhibeamus, inde Eccleſiarum, poſtremo patrum.

II. Divus Lucas, comes & ſcriptor laborioſæ illius navigationis, quam ex Oriente Romam ſubiit S. Paulus, expreſſe narrat, Apoſtolum Syracuſas appuliſſe, atque tribus ibi diebus manſiſſe (*a*): *Et* Sacra Scriptura.

quum

(*a*) *Act. Apoſt.* 28. 12.

quum veniſſemus Syracuſam, manſimus ibi triduo. Et ne quis de tanti Apoſtoli in ſalvandas animas caritate, aut de tali Siciliæ ſorte minus digne mereatur, putans ipſum eumdem Apoſtolum prædicando tum Evangelio non intendiſſe, vel urbem Syracuſarum, in quam ipſe venit, diverſam a noſtra exſtitiſſe, legat S. Johannem Chryſoſtomum, infra a nobis opportunius laudandum; qui eſt auctor, S. Paulum in Siciliam reverà appuliſſe, atque apoſtolatus munus in ea mirabiliter impleviſſe.

III. Sed quoniam quod novum Teſtamentum factum oſtendit, id prophetarum oraculis longe antea pronuntiatum eſſe non dubium eſt: hinc non caſu factum, ut David (*a*), & Iſaias (*b*) repetitis vaticiniis inſularum prædixerint converſionem: quorum pronuncia ad Siciliam potiſſimum pertinere, nullus ibit inficias quem non piget, hiſtoriam cum prophetia conferre. Adi potiſſimum Iſaiam ubi dixit (*c*): *Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſalvati fuerant, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam: in ITALIAM, & Græciam, ad INSULAS longe, ad eos qui non audierant de me, & non viderunt gloriam meam: & annunciabunt gloriam meam gentibus: & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino.*

Eccleſia Romana.

IV. Martyrologium, Beviarium, aliique Eccleſiæ Romanæ libri, etſi in exponendis ſanctorum vitis, humanam dumtaxat fidem exigere poſſint; ejuſmodi tamen ſunt, ut qui eis gravis momenti ratione non urgente, repugnare audet, *temeritatis notæ* obnoxius ſit; quemadmodum docet nos eruditiſſimus Cardinalis Lambertinus, nunc Benedictus XIV. Pont. Max. (*d*). Ergo Eccleſia Romana quæ omnium mater eſt & caput, ſemel iterum atque iterum argumento noſtro fidem conciliat in hodierno Martyrologio: primum die XXI. Martii: *Catanæ S. Birilli, qui a B. Petro ordinatus epiſcopus, quum multos gentilium convertiſſet ad fidem, in ultima ſenectute quievit in pace*; tum die III. Aprilis: *Tauromenii in Sicilia S. Pancratii epiſcopi, qui Chriſti Evangelium, quod a S. Petro illuc miſſus prædicaverat, martyrii ſanguine conſignavit*; poſtremo die XIV. Junii: *Syracuſis S. Marciani epiſcopi, qui a B. Petro ordinatus epiſcopus, poſt Evangelii prædicationem a Judæis occiſus eſt.*

V. Præter hæc ſatis clara Martyrologii teſtimonia, adſunt tria apoſtolica decreta ejuſdem argumenti: unum ſcilicet Leonis X. in quo *Syracuſana Eccleſia ſecunda poſt Antiochenam Chriſto dicata aſſeritur*; alterum Clementis VIII. Eccleſiæ Cajetanæ (ubi corpus antedicti S. Marciani requieſcit) licentiam tribuens, quamobrem in Eccle-

(*a*) Pſalm. 96. 1.
(*b*) Cap. 42. 4. & 12. & Cap. 60. 9.
(*c*) Cap. 66. 19. & 20.
(*d*) *De Canonizat. Sanctor.* lib. 4. p. 2. cap. 13.

cleſiaſtico officio ejuſdem ſancti recitaret lectionem propriam, quæ incipit: *Marcianus S. Petri apoſtolorum principis diſcipulus, ab eodem in Siciliam una cum Pancratio miſſus, magnam hominum multitudinem, Syracuſis præſertim, cujus urbis epiſcopus erat, ad Chriſti fidem convertit*. Quod officium ex nova conceſſione Alexandri VII. PP. pro Syracuſana Eccleſia ampliatum inde fuit. Ultimum Clementis XI. per quod clero Tauromenitanæ Eccleſiæ facultas fuit facta, quatenus in officio S. Pancratii recitare poſſit lectionem propriam, ex Breviario Baſiliano alias approbato deſumptam. Quæ exorditur: *Pancratius Antiochenus genere, a Petro apoſtolo ad fidem in Chriſtum ducitur, a quo & epiſcopus Tauromenii eſt ordinatus*.

VI. Apud Eccleſiam Græcam nihilo ſecus quam apud Latinam, de apoſtolica inſtitutione Eccleſiæ Siculæ invaluit traditio. Longam profecto ac prolixam ſatis narrationem nos texere oporteret, ſi omnes hic eccleſiaſticos ejus libros, qui cauſſam noſtram defendendam ſuſcipiunt, recenſeremus, quum vix unus reperiatur qui pro honore apoſtolicæ hujus ordinationis non propugnet: proinde ceteris prætermiſſis, illum ſolum ſelegimus, qui merito antiquitatis ac ſinceritatis reliquos vincit. Tale eſt Menologium juſſu Baſilii imperatoris, cognomento *Porphyrogennetæ* concinnatum; quod gloriam ordinationis Eccleſiæ noſtræ viris apoſtolicis, Marciano Pancratio & Beryllo, in Siciliam a S. Petro apoſtolorum principe miſſis, tribuendam eſſe, totidem, ut ajunt, verbis aſſeverat. Hæc itaque exhibet die IX. Januarii: commemoratio *Marciani epiſcopi Siciliæ, & Philagrii epiſcopi Cypri, & Pancratii epiſcopi Tauromenii. Ii uſi ſunt præceptore Petro apoſtolo*. Et die XXI. Martii: *S. pater noſter Beryllus natus erat Antiochiæ in Syria; factus vero diſcipulus S. Petri apoſtoli eſt ab eo epiſcopus Catanenſis in Sicilia ordinatus*. Eccleſia Græca.

VII. Supereſt jam ut de Sicula noſtra Eccleſia aliquid dicamus; quæ ad propoſitum noſtrum in duplici ætate conſiderari poteſt: in ea ſcilicet quæ Saracenorum tyrannidem anteceſſit, & in altera quæ ſubſecuta eſt. Quod Eccleſia Sicula exactis Saracenis, traditionem iſtam de apoſtolica ſua inſtitutione admiſerit, eo libentius probare prætermittimus, quo magis id jam latet neminem ex illis antiquis noſtris libris, excuſis ſimul & manu exaratis, qui quod ſecundum ritum Gallicanæ Eccleſiæ ordinati ſint, *Gallicani*, communiter appellantur: potiſſimum ubi agunt de S. Pancratio epiſcopo Tauromenii, de S. Marciano epiſcopo Syracuſano, & de S. Beryllo epiſcopo Catanæ. Conſule, ſis, Tractatum noſtrum *de Divinis Siculorum Officiis*. Eccleſia Sicula.

VIII. Quod vero ſpectat ad antiquiorem ætatem, adeo majoribus noſtris veritas hæc perſuaſa erat, ut eam inſulani non modo, ſed exteri quoque oratores & publice & privatim docerent populos, illam minime calumniam timentes, quam timere ſolebant qui rem novam novamque hiſtoriam exponere conabantur: nam zelantiſſimi illius æta-

tis

tis epiſcopi decretum ſextæ ſynodi generalis (*a*) reveriti, exactiorem curam, teſte cardinali Baronio (*b*), adhibere conſueverant, quamobrem de falſa aliqua narratione, aut hiſtoria populi non inſtruerentur. Ex iis autem qui laudationes hujuſmodi concinnarunt, ii ſunt præcipui, Anonymus Syracuſanus, Gregorius Byzantinus, S. Joſeph Hymnographus, & Gregorius Cerameus, de quibus infra redibit ſermo.

Evagrius. IX. Ex ſcriptoribus quorum teſtimonia promiſimus ad conciliandam fidem apoſtolicæ inſtitutionis Eccleſiæ Siculæ, in prima acie ſtat Evagrius, auctor ſane quam vetuſtus & coævus, qui primo excedente ſæculo, vel certe altero ineunte, acta S. Pancratii cujus comes fuit & diſcipulus, ut ſuis inſpexerat oculis, perpetuæ memoriæ monumentis conſignavit. Ultro fatemur quæ ſub Evagrii nomine hodie exſtat hiſtoria in Bibliothecis, Vaticana, S. Salvatoris Meſſanæ, & Cryptæ-Ferratæ adeo graviſſimis mendis adulteratam eſſe, ut nec tolerabilis quidem figmenti ſpeciem præſeferat; verum non iſtam nos allegamus, ſed veriorem illam, quam viderunt olim viri doctiores ac fortunatiores nobis, S. Theodorus Studites, & Gregorius Cerameus; uterque, teſte còntinuatore Johannis Bollandi, Godefrido Henſchenio (*c*), *verioris hiſtoriæ quam Evagrius ſcripſit*, ea nobis fragmenta cum ingenita gravitate ac ſinceritate ſervavit, quæ ſufficere videntur ad argumentum noſtrum plane confirmandum. Teſtimonia hæc exhibebimus infra ubi de iiſdem patribus erit agendum.

Divus Innocentius papa I. X. Anno Chriſti CCCCII. Romani patriarchatus habenas moderaturus ſuſcepit divus Innocentius hujus nominis primus. Hic in epiſtola (*d*) ad Decentium Eugubinum epiſcopum agens de Eccleſiis quæ rituum unitatem cum Romana ſervabant, Siculam recenſet, ea potiſſimum ratione, quia manifeſtum eſt, *in Siciliam, inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes*.

S. Johannes Chryſoſt. XI. S. Johannes Chryſoſtomus honorificentiam apoſtolicæ noſtræ ordinationis defendendam quoque ſuſcepit: loquens enim de S. Paulo apoſtolo, hæc ſcribit (*e*): *Porro prædicatio etiam uſque in Siciliam pervenit*. Et rurſus (*f*): *At tabernaculorum texendorum artifex hic non Siciliam modo, atque Italiam, verum univerſum terrarum orbem, verbum Dei prædicans, peragravit*.

S. Gregorius magnus. XII. Ad hanc quoque rem, ut opinor, alludere videtur S. Gregorius, dum veterem illam conſuetudinem, de adventu epiſcoporum Sicu-

(*a*) Concil. General. VI. Can. 63.
(*b*) In Præfat. *de Martyr. Rom.* cap. 2.
(*c*) Acta Sanctor. die 3. Aprilis *de S. Pancrat. Epiſc. Taurom.*
(*d*) In hac Collectione Dipl. XXV.
(*e*) Comment. *in Act. Apoſt.* cap. 28. verſ. 12.
(*f*) Homil. 2. *in Epiſt. ad Rom.* cap. 1.

Siculorum in Urbem ad natalem pontificis celebrandum abolevit, ſtatuitque ut expoſcente neceſſitate Romam peregrinandi, *in beati Petri apoſtolorum principis natalem conveniant: ut ei, ex cujus largitate paſtores ſunt, gratiarum actiones ſolvant* (*a*).

XIII. S. Sophronius Catholicæ veritatis contra Monothelitarum hæreſim propugnator acerrimus apoſtolorum principi S. Petro gloriam tribuendam eſſe aſſeverat, quod Sicilia epiſcopos obtinuerit, Marcianum & Pancratium, quem ipſe *Brancatium* vocat. Ergo loquens de ipſo S. Petro, epiſcopos, inquit (*b*), ordinavit, *Martianum in Syracuſa Siciliæ, Brancatium Tauromenii*. S.Sophronius.

XIV. Inter ſcriptores expeditionem Siculam in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio commemorantes, recte recenſeri poteſt auctor Anonymus hiſtoriæ S. Leonis epiſcopi Catanenſis, qui ut ex contextu ſcripturæ ſuæ cognoſci poteſt, ante tempora VII. ſynodi generalis Nicænæ II. claruit. Is enim geſta ejuſdem B. Leonis, commendatione digna exponens, hoc illi haud in ultimis laudum fuiſſe narrat, quod morum probitate, ac merito virtutis conformem ſe reddiderit S.Beryllo, qui ut ſuperius vidimus, a S. Petro Catanam fuit miſſus prædicandi Evangelii gratia. Ergo loquens de Catanenſibus: *Unum*, inquit, *aptiſſimum delegerunt, beatum Leonem, virtutum omnium columnam, nec nomine ſolum illuſtrem; ſed factis multo magis, ac moribus S. Berylli archiepiſcopi noſtri cathedram illuſtraturum* (*c*). Anonymus auctor hiſtoriæ S. Leonis epiſcopi Catanenſis.

XV. S. Theodorus a monaſterio cujus præfecturam geſſit *Studites* cognominatus, pro cultu ſacrarum imaginum uſque ad exilia, carceres, & ſupplicia fortiter dimicavit. Scripſit circa initia noni ſæculi ſupra bis centum epiſtolas utiliſſimas; quarum fragmenta frequenter adducit Annalium eccleſiaſticorum ſcriptor Cæſar cardinalis Baronius, qui ad annum Chriſti DCCCXIV. ex Codice cardinalis Columnæ illam integre exhibuit quæ inſcripta eſt, *omnibus propter Chriſtum diſperſis fratribus, & iis qui in carceribus, & exiliis detinentur*. In qua ſub num. 49. jam inde ab aureis S. Petri apoſtoli temporibus antedictum cultum apud catholicam Eccleſiam obtinuiſſe probat, ſumpto teſtimonio ex hiſtoria S. Pancratii fidei noſtræ auctoris primarii. Subjiciamus ejus verba: *Petri apoſtoli vox eſt in hiſtoria S. Pancratii: fili Joſeph adfer imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & imprime illam in pyrgiſco: ut videat populus qualem formam ſumpſerit filius Dei: ut videntes amplius credant formæ typum intuentes; & reminiſcantur eorum quæ per nos eis annunciata ſunt*. Tanti tunc erant Acta S. Pancratii, ut ſemoto cujuſcumque ſuſpicionis ſcrupulo, a S. Theodoro ad confutandam Iconoclaſtarum hæreſim ſecure potuerint allegari. Et quidem hocce fragmentum S. Theodorus Studites.

(*a*) Dipl. LXXXV. Hic Dipl. LXVI. in fine.
(*b*) Comment. *de SS. Petr. & Paul.* in Biblioth. Patrum tom. 7.
(*c*) Apud Octav. Cajet. tom. 2. SS. Sicul. *in Vita S. Leonis Epiſc. Catan.* & apud Johann. Bolland. *Act. SS. Februarii die* 20.

tum ex genuina Evagrii hiſtoria deſumptum eſſe, nullus dubitat qui illud cum hodierna Pſeudo-Evagrii hiſtoria conferre non gravatur; ubi hæc de Chriſti imagine narratio adeo mendoſe exhibetur ut non ex ea, ſed ex altera contractiore ſimul ac veriore teſtimonium ſuum exhauſiſſe videatur S. Theodorus.

Anonymus auctor Syracuſanus.

XVI. Sequitur Anonymus auctor Syracuſanus, qui patria ſua per Saracenos nondum capta, S. Marciani geſta eloquenti ac concinnatis oratione exponens, traditioni de qua agimus ultro obſequitur (*a*). *Petrus*, inquit, *princeps ille apoſtolorum, cui regni cælorum claves concreditæ, ligandique ac ſolvendi poteſtas commiſſa eſt, Antiochiam ingreſſus, ac divini verbi ſemen ſpargens, primum illinc hoc ſanctum luminare, & vere magnum præceptorem delegit, & ad docendum deſtinavit.*

Gregorius Byzantinus.

XVII. Eodem ferme tempore Gregorius Byzantinus, monaſterii Pagurienſis monachus Byzantio Tauromenium veniens, urgente die feſto S. Pancratii, elegans encomium in ipſum eumdem ſanctum publice recitavit: quem ob id potiſſimum laude dignum prædicat, quod *ab apoſtolorum baſi S. Petro, divulgandi Evangelii cauſſa in Siciliam miſſus fuerit* (*b*).

Gregorius Cerameus Tauromenii Archiepiſc.

XVIII. Duos Tauromenii archiepiſcopos, Gregorium & Theophanem Cerameos, ſimilitudine cognominis, ac unitate cathedræ offenſus, unum eumdemque antiſtitem fuiſſe putat Franciſcus Scorſus; ſed vel ex ſola lectione homiliarum quas ipſe ſub unius Theophanis nomine Græco-Latine publicavit, plane liquet eas non unius, ſed duorum præſulum eſſe: utpote quum temporibus longe diverſis ſcriptæ apparerent: partim ſcilicet ante, partim poſt Saracenorum in Siciliam adventum. Inter eas quæ ad Gregorium Theophane ſeniorem ſpectant, ut in noſtra Tauromenii hiſtoria clare monſtrabimus, enumerari debet LVII. *de S. Pancratio*. Ubi auctor hæc de eodem ſancto Tauromenitanis annunciat: *Sanctus igitur Pancratius, ſicuti memoriæ prodidit, qui de ejus rebus geſtis hiſtoriam ſcripſit Evagrius, ab Anatolia profectus, & principis diſcipulorum manibus, ſacris initiare potentibus, epiſcopus creatus, in noſtram hanc inſulam miſſus eſt. Quumque ad hanc civitatem Tauromenium adveniſſet, primum omnium abominationibus dæmonum eam expurgat, & profana conterit ſimulacra.*

Nicolaus papa I.

XIX. Rei confirmandæ præſto eſſe videtur Nicolaus I. Pontif. Max. Is priuſquam concordiam cum Michaele Orientis imperatore iniret, illud in primis petiit, ut Syracuſanum antiſtitem non patriarcha Conſtantinopolitanus, ſed Romanus pontifex conſecraret: ea potiſſimum ratione,

(*a*) Latine edidit Octavius Cajetanus tom. I. *Sanctor. Sicul.* & Græco-Latine publicarunt Socii Bollandiani *Act. Sanctor. menſis Junii* die 14. *de S. Marciano Epiſc. & Mart.*

(*b*) Apud Cajetanum *de SS. Sicul. in Vita S. Pancr.* & apud Socios Bollandianos die 3. April. *de S. Pancr. Ep. & Mar. Taurom.*

ne, ne apoſtolicæ traditioni circa ejuſmodi ordinationem vulnus aliquod nova temeritate infligeretur *(a)*: *Inter iſta & ſuperius dicta volumus, ut conſecratio Syracuſano archiepiſcopo noſtra a Sede impendatur: ut traditio ab apoſtolis inſtituta, nullatenus veſtris temporibus violetur.*

XX. Claruit circa hæc tempora S. Joſeph Siculus cognomento *Hymnographus*, cujus exſtant canones in S. Marcianum, & in S. Pancratium, quos in Siciliam, veluti in novellam Chriſti vineam operaturos, S. Petrum primo mane miſiſſe affirmat: loquens itaque de S. Marciano, inquit *(b)*: *Lux perſpicua, & apoſtolorum princeps Petrus te, ſanctiſſime Marciane, ab Oriente, ut ſolis juſtitiæ Chriſti Dei, radiis coruſcantem ſtellam, primum in Occidentem emiſit.* Et rurſus: *Tibi ut ſacris initiato diſcipulo commiſit S. Petrus hanc Siculorum inſulam.* Inde de S. Pancratio *(c)*: *Quum a beatiſſimo Petro, gratiam ſimul ac ſapientiam acceperis . . . . tuæ urbi Tauromenitanæ perinde, atque angelus apparuiſti.* S. Joſeph Hymnographus.

XXI. Simeonem Metaphraſtem decimi ſæculi ſcriptorem, illius Commentarii qui *de laboribus, & peregr. SS. Petri & Pauli*, inſcriptus eſt, perperam nonnulli auctorem faciunt; verum vir eruditiſſimus Leo Allatius in Diatriba *de Simeonum ſcriptis*, hocce ſacræ eruditionis monumentum ex propoſito in examen revocans, ſaniori judicio Metaphraſti abjudicat, atque antiquiori ſcriptori attribuit. Ergo auctor antedicti Commentarii, quiſquis ille ſit, Eccleſiam Siculam ne dum a viris apoſtolicis, Marciano Pancratio & Maximo, verum etiam ab ipſis apoſtolorum principibus, Petro & Paulo inſtitutam vult. Loquens igitur de S. Petro Antiochiæ agente inquit: *Epiſcopos delegit Marcianum Syracuſis Siciliæ urbi, Pancratium vero Tauromenio.* Et poſt pauca: *Ad Siciliam navigavit: ibi Tauromenium veniens, apud Pancratium virum ſapientiſſimum diverſatur; ubi quum Maximum quemdam inſtruxiſſet, & baptizaſſet, eumdemque epiſcopum delegiſſet, Romam venit.* Inde agens de S. Paulo, hæc ſubjunxit: *Quin etiam quum patrem Publii liberaſſet ab eo, quo laborabat tormine inteſtinorum, & plura alia feciſſet miracula, cum iis qui ſecum navigabant, alia nave venit Syracuſas; & illinc Rhegium, deinde Puteolos, ac denique Romam ipſam (d).* Auctor Commentarii SS. Apoſt. Petri Pauli, Metaphraſti olim attributi.

XXII. Circa medium duodecimi ſæculi ſcriptis ſuis Eccleſiam illuſtravit Hugo Etherianus. Inter præcipua intellectus ejus monumenta recenſentur tres illi libri de proceſſione Spiritus ſancti adverſus errores Græcorum, ſive ut ipſe loquitur, *de hæreſibus quas Græci in Latinos devolvunt*. Ubi *(e)* traditionem noſtram, de apoſtolica inſtitutione Eccle- Hugo Etherianus.

(a) In hac Collectione Dipl. CCLXXXI.
(b) Apud Græcor. Menæa die 30. Octobris.
(c) Ibid. die 9. Julii.
(d) Apud Socios Bolland. die 29. Junii *de SS. Apoſt. Petr. & Paul.*
(e) Lib. 3. cap. 17. *in Biblioth. Patrum.*

cleſiæ Siculæ, totius eccleſiaſticæ hiſtoriæ auctoritate comprobatam agnoſcit. *Petrus enim*, inquit, *magnus Chriſti apoſtolus in omnibus fere civitatibus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Ellados, Epyri, Siciliæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ac extremitatum, ut eccleſiaſtica hiſtoria perhibet, epiſcopos ordinavit*. Et poſt pauca: *Tauromenii Maximum ordinavit*.

Nicephorus Calliſtus.

XXIII. Scriptorum claſſem claudit Nicephorus Calliſtus in ſua rerum eccleſiaſticarum hiſtoria (*a*). Ubi nihilo ſecus quam ſcriptores alii traditionem noſtram admittit: *Siculorum Eccleſiæ*, inquit de S. Petro, *Pancratium, aliiſque regionibus, inſulis, & urbibus epiſcopos alios, qui ab eo ſacram Chriſti diſciplinam accepiſſent, præpoſuit*.

XXIV. Ex non obſcuris itaque teſtimoniis ſacræ Scripturæ, ex perpetuo quoque conſenſu, Latinæ, Græcæ, atque Siculæ Eccleſiæ, necnon ex conſtanti traditione patrum ac eccleſiaſticorum ſcriptorum mente læſus ſit oportet, qui injuriam toti antiquitati faciens, aliud Eccleſiæ Siculæ initium dare queat, quam quod ab aureis apoſtolorum temporibus derivare noſcitur. Sane ſi tot clara eccleſiaſticæ eruditionis monumenta, ſi tot veneranda patrum nomina pro cujuſvis ingenii pruritu vellicari poſſent, actum jam erit penitus de primorum ſæculorum hiſtoria; nec alicui ultra ea quæ ſuis inſpicit oculis, vel credere umquam vel ſapere licebit.

Tempus inſtitutionis Eccleſiæ Siculæ.

XXV. Quæri hic commode poſſet quo ſignanter anno apoſtolica hæc inſtitutio Eccleſiæ Siculæ contigerit. Gregorius Cerameus Tauromenii archiepiſcopus (*b*), Gregorius Byzantinus (*c*), S. Joſeph Hymnographus (*d*), & Nicephorus Calliſtus (*e*) in ea ſunt ſententia, ut velint S. Petrum, quum adhuc in Oriente ageret, ordinatis viris apoſtolicis ab idolorum cultu ſubmovendis Siculis, ſacroque baptiſmate abluendis intendiſſe. Expreſſius loquuntur, S. Sophronius (*f*), & auctor *Commentarii SS. Petri & Pauli*, Metaphraſti olim attributi (*g*), quum fauſtam hanc Siciliæ expeditionem conſtituant ante illam S. Pauli in Jeruſalem peregrinationem, cujus ipſe Galatis (*h*) ſignificat ſcopum fuiſſe *videre Petrum*, id eſt ante tertium converſionis ſuæ annum, qui juxta accuratiorem Eccleſiæ chronologiam, incidit in annum æræ vulgaris octavo ſupra trigeſimum.

Prædicantium numerus.

XXVI. De numero quoque ſacerdotum quibus prædicandum Siculis Evangelium curæ fuit, quæſtio moveri ſolet. Ex teſtimoniis ſuperius laudatis

datis

(*a*) Lib. 2. cap. 35.
(*b*) Homil. 57. inter editas a Franciſco Scorſo.
(*c*) Encom. in S. Pancrat. apud Socios Bollandianos die 3. Aprilis.
(*d*) Apud Græcor. Menæa die 9. Julii, & die 30. Octobris.
(*e*) Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 35.
(*f*) In Biblioth. Patrum editionis Pariſienſis anni 1654. tom. 7. col. 107. & ſeq.
(*g*) Apud Socios Bollandianos die 29. Junii *de SS. Apoſt. Petr. & Paul.*
(*h*) Ad Galat. 1. 18.

datis quatuor tantummodo nobis innoteſcunt, Pancratius, & Maximus Tauromenii, Marcianus Syracuſarum, & Beryllus Catanæ. Iis ſocios alios, aliis urbibus miſſos, adjungunt ſcriptores noſtrales. Sane honorem hunc etſi *id nobis incorrupta veterum ſcriptorum monumenta non prodant*; ex pluribus tamen rationibus, & majorum traditione, ſcripto non tradita, Panormo defert Pyrrhus, cui utroque ſe pollice ſubſcribunt eruditi viri, Inveges, Mongitorius, & Serius; parem honorificentiam Meſſanæ tribuunt Maurolycus, Bonfilius, Piccolus, Reina, Morabitus, & de Angelis; Agyrio Ranzanus, Cajetanus, Pyrrhus, & Attardus; Agrigento Cajetanus, Cornelius a Lapide, & Pyrrhus; Triocalæ Cajetanus, Bollandus, & Pyrrhus; Milæ Philippus de Amico; Leontino Converſanus; Cephaludio Vincentius Auria. Hos Conſulat ſtudioſus lector: nos enim poſtquam propoſito argumento pro viribus putavimus feciſſe ſatis, muneris noſtri non eſſe intelleximus, ſingularum urbium ſingulas rationes expendere. Sufficit oſtendiſſe, quod Chriſtianam religionem in Siciliam invexerint apoſtolorum principes Petrus & Paulus, eorumque diſcipuli, ſive quatuor illi fuerint, ſive plures, aut forte pauciores.

DISSERTATIO II.

De eccleſiaſtica politia Siciliæ per decem priora ſæcula.

I. ALius nunc eſt, quam olim fuit Eccleſiæ Siculæ ſtatus. Sunt civitates non unæ, quibus ſuus olim præerat epiſcopus, nunc dignitate exutæ: ſunt & aliæ nunc majeſtatem ejuſmodi indutæ, quæ aliis olim parebant. Nec ſimilis, quam olim tulit, hanc fert hodie Sicilia eccleſiaſticam politiam: noſtra enim ætate tres habet metropolitas, Panormitanum, Meſſanenſem, Monte-Regalenſem: quorum uni tres parent epiſcopi, Agrigentinus, Mazarienſis, & Melitenſis; alteri duo, Cephalædenſis, & Pactenſis; totidem tertio, Syracuſanus, & Catanenſis. Quando plane conſtat decem primis Chriſtianæ religionis ſæculis, aut nullos, aut ab iis plane diverſos claruiſſe in Sicilia metropolitas. Ab initio enim ad ætatem uſque imperatoris Leonis Iſaurici Eccleſiæ Siculæ Romano pontifici immediate ſubjectæ, proprium non agnoverunt metropolitam; poſtea vero a Romana diœceſi per violentias ejuſdem imperatoris abſtractæ, Conſtantinopolitano patriarchatui contributæ ſunt; & mutato in pejus Eccleſiæ Siculæ ſtatu, Syracuſanus metropolita inſtitutus eſt, atque Catanenſis, ſed hic abſque ſuffraganeis. Quod, ut clarius appareat, utramque Diſſertationis partem opportunioribus argumentis proſequi libitum ſit.

Antiquus Eccleſiæ Siculæ ſtatus ab hodierno diverſus.

Sicilia quum fuerit Romani patriarchatus, proprium metropolitam nõ habuit.

II. Atque in primis, univerſos epiſcopos per noſtram hanc inſulam conſtitutos ad tempora uſque imperatoris Leonis Iſaurici Romanæ fuiſſe diœceſeos, atque nullum præter Romanum pontificem habuiſſe metropolitam, clare demonſtrant argumenta non una. Ex quibus illud primum, quod Sicilia, ut ex Notitia imperii monſtravimus, in noſtro *de Divinis*

Probatur ex Notitia imperii.

Sicu-

Siculorum Officiis Tractatu (*a*) imperii Romani provincia erat, & quidem ſuburbicariarum numero comprehenſa, cujus civilis adminiſtratio vicario Urbis curæ erat, eccleſiaſtica autem ad Romanum pontificem ſpectabat, non ſolum ut primum atque univerſalem totius Chriſtiani orbis patriarcham, ſed & veluti immediatum iſtius provinciæ metropolitam.

Ex epiſtolis Romanorum pontificum.

III. Secundo, nullum revera tunc fuiſſe in Sicilia metropolitam ſuadent epiſtolæ (*b*), S. Leonis magni inſcriptæ: *Univerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis*, Gelaſii papæ I. inſcriptæ: *Dilectiſſimis fratribus univerſis epiſcopis per Lucaniam*, & *Brutios*, & *Siciliam conſtitutis* (*c*), & S. Gregorii magni inſcriptæ: *Univerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis* (*d*). Nam in provinciis proprium metropolitam habentibus, illi tantum licebat Romanum pontificem conſulere, ejuſque reſponſa excipere; ideoque clare patet aliquem, præter Romanum, in Sicilia tunc non fuiſſe metropolitam.

Signanter ex Epiſt. S. Gregorii.

IV. Tertio, id clarius demonſtrat alia epiſtola ipſius ejuſdem S. Gregorii. Is enim epiſcopos legem Mauritii auguſti edocturus, ne publicis rationibus obligati in clero, vel in monaſterio ſuſciperentur, & ne milites monaſticum habitum induerent, niſi poſt probatam per triennium vitam, epiſtolam (*e*) ſcripſit pluribus metropolitis, Theſſalonicenſi ſcilicet, Diracitano, Mediolanenſi, Nicopolitano, Corinthio, primæ Juſtinianæ, Cretenſi, Lariſſæ, Ravennati, & Calaritano, addita clauſula: *Et omnibus epiſcopis Siciliæ*. Qua inſpecta concluſione, nemo erit, opinor, qui aliquem in Siciliam metropolitam conſtituere contendat; nam ſi iſtic aliquis ejuſmodi dignitate præditus exſtiterit, ad eum ſignanter epiſtolam ſuam S. Gregorius dediſſet cum ſuffraganeis epiſcopis decreta communicaturum, ſicuti ad Theſſalonicenſem dedit pro univerſa provincia Macedoniæ, ad Diracitanum pro univerſa provincia Epyri, ad Calaritanum pro univerſa provincia Sardiniæ, & ſic de reliquis.

Ex eodem S. Gregorio.

V. Quarto, ſententiæ noſtræ fidem conciliat alia S. Gregorii epiſtola (*f*), inſcripta Maximiano epiſcopo Syracuſano: cui vices ſuas commiſſas declarans, ipſi minimarum cauſſarum in univerſa Sicilia judicandarum facultatem facit. Non enim Romanum pontificem pro parvulis cauſſis Siculi longa maris ſpatia tranſmeando, adire antea obligati eſſent, ſi aliquis in provincia fuiſſet metropolita, qui abſque apoſtolicis vicibus id genus cauſſas judicaret.

Ex forma judicii Eccleſ.

VI. Quinto, id quoque convincit forma judicii eccleſiaſtici. Porro epiſcoporum provincialium cauſſas cognoſcere, earumque ſtatum per

(*a*) Cap. 5. n. 2.
(*b*) Dipl. XXVII. & XXIX.
(*c*) Dipl. XXXII. & XXXIII.
(*d*) Dipl. LX. LXXV. & CCXXVIII.
(*e*) Dipl. CXLII.
(*f*) Dipl. LXXXI.

per ſynodale judicium pontifici referre, muneris erat metropolitani: at diſciplinam ab hac plane diverſam obſervatam vidimus in noſtra Sicilia, ubi examinandis epiſcoporum cauſſis, non unus ſemper proponebatur judex: unde cauſſa Agathonis Liparitani antedicto Maximiano commiſſa fuit *(a)*, cauſſa Victoris Panormitani Mariniano abbati, & Benenato notario *(b)*, cauſſa Lucilli Melitenſis Johanni epiſcopo Syracuſano *(c)*, cauſſam vero Gregorii Agrigentini Romam, in prima etiam inſtantia examinandam, S. Gregorius juſſit tranſmitti *(d)*.

VII. Sexto, id ipſum evincit quæ in dedicandis baſilicis, & oratoriis tunc temporis obtinebat diſciplina: ut ſcilicet ejuſmodi dedicationes provinciales epiſcopi petita metropolitæ licentia facerent; quemadmodum diſcimus ex litteris Montani archiepiſcopi Toletani in ſecunda Toletana ſynodo exſcriptis. At vero ex epiſtola *(e)* quam ad Siciliæ epiſcopos Gelaſius papa I. ſcripſit, plane liquet baſilicarum noviter conſecrandarum licentiam a Romano pontifice epiſcopos noſtros petiiſſe. Hanc itaque licentiam a S. Gregorio impetrati ſunt, Felix Meſſanenſis *(f)*, Benenatus Tyndaritanus *(g)*, Decius Lilybœtanus *(h)*, & Johannes Panormitanus *(i)*. Ex ritu dedicandarum eccleſiarum.

VIII. Septimo, id ulterius nobis perſuaſum reddunt Siculorum epiſcoporum conſecrationes a Romano pontifice fieri ſemper ſolitæ, quemadmodum perhibet Adrianus papa I. in epiſtola ad imperatorem Conſtantinum, ejuſque matrem Irenem *(k)*: a quibus ad firmandam concordiam ſacerdotium inter & imperium, illud in primis petit, ut abſtractas per violentiam Græcorum a Romana diœceſi Eccleſias, cujus generis erant Siculæ, ipſi reſtituerentur, & conſecrationes epiſcoporum ab ea, *ſicut Olitana conſtat traditio*, fierent. Cui conſonat Nicolaus I. Pont. Max. eadem a Michaele imperatore petens, potiſſimum pro Syracuſana Eccleſia *(l)*, additque rationem: *Ut traditio ab apoſtolis inſtituta nullatenus noſtris temporibus violetur.* Et profecto aureis illis apoſtolorum temporibus diſciplinam hanc de epiſcopis Siculis per ſummum pontificem ordinandis obtinuiſſe, dubitare non ſinunt teſtimonia ſane multa ab ultima antiquitate petita *(m)*. Ex epiſcoporum cōſecrationibus.

Hanc

(a) Dipl. XCVIII.
(b) Dipl. XCIII.
(c) Dipl. CLXXVI.
(d) Dipl. XCII.
(e) Dipl. XXXII. cap. 4.
(f) Dipl. LXXX.
(g) Dipl. CLXXVIII.
(h) Dipl. CCIX.
(i) Dipl. CCLXVIII.
(k) In nova Collect. Concilior.
(l) Dipl. CCLXXXI.
(m) Differt. I. ad calcem hujus Vol.

Hanc ipſam obſervantiam pro aliis inde temporibus agnovit Eccleſia noſtra; ſic refert in primis Innocentius papa I. (*a*), manifeſtum eſſe, inquiens, nullum in Sicilia, niſi S. Petrum, & ejus ſucceſſores, *inſtituiſſe eccleſias*; inde S. Leo magnus (*b*) qui epiſcopos Siciliæ alloquens: *Quam culpam*, inquit, *nullo modo potuiſſetis incidere, ſi unde conſecrationem honoris accipitis, inde legem totius obſervantiæ ſumeretis: & B. Petri apoſtoli Sedes, quæ vobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet eccleſiaſticæ magiſtra rationis*; dein Pelagius papa I. agens de conſecratione epiſcoporum, Syracuſani & Catanenſis (*c*); tum Pelagius II. formam electionis novi epiſcopi Catanenſis præſcribens, cum clauſula, ut quem elegerit populus *ſtatim ad urbem Romam cum decreto, & teſtificatione* conſecrandum mitterent (*d*); poſtremo S. Gregorius magnus, ubi agit de conſecratione cujuſdam epiſcopi, a Felice viro conſulari Syracuſano laudati (*e*); & alio in loco (*f*), ubi de electione epiſcopi Syracuſani; & iterum Cypriano diacono electionem epiſcopi Lilybœtani commendans (*g*); rurſus Melitenſes per Johannem epiſcopum Syracuſanum paterne adhortans ad novum epiſcopum eligendum (*h*); deinceps clero, ordini, & plebi conſiſtenti Panormi formam electionis epiſcopi præſcribens (*i*); tandem, ne ſingula memorando prolixus ſim, eadem S. Gregorius præcepit pro omnibus vacantibus Siciliæ eccleſiis, in epiſtola, quam ad Petrum ſubdiaconum & rectorem patrimonii eccleſiæ ſuæ dedit (*k*).

Ex diſciplina viſitandi vacantes eccleſias.

IX. Octavo, aſſertioni noſtræ fidem aſtruunt eccleſiarum vacantium viſitatores, a proprio metropolita dari conſueti; ſed in Sicilia a Romano ſemper pontifice aſſignati: quamobrem Catanenſis Eccleſia, proprio viduata paſtore, a Pelagio II. Eucarpum epiſcopum Meſſanenſem accepit viſitatorem (*l*); Panormitana autem, per mortem Victoris epiſcopi vacans, a S. Gregorio magno Barbarum Beneventanum epiſcopum ſortita eſt (*m*).

Ex Conciliis Romæ habitis.

X. Nono demum, quod epiſcopi Siculi Romanæ ſynodi, bis in anno fraterno concilio ſociandi intereſſe cogebantur, donec S. Leo magnus incommodo navigationis proſpiciens, onus illud quodammodo allevavit, diſpenſatorie indulgens, ut non ad utrumque, ſed ad unum tantummodo concilium annis ſingulis convenirent; & quidem ſoli tres alternatim (*n*); id eſt ſemel quilibet in triennio. Quæ conſuetudo obtinuit uſque ad tempora S. Gregorii magni, qui juſtis ex cauſſis labore illo eoſdem epiſcopos ulterius exonerandos eſſe duxit, præ-

(*a*) Hic Dipl. XXV.
(*b*) Dipl. XXIX. cap. I.
(*c*) Dipl. LIV.
(*d*) Dipl. LVI.
(*e*) Dipl. LXXXIV.
(*f*) Dipl. CXV. & CXVI.
(*g*) Dipl. CXVII.
(*h*) Dipl. CLXXVI.
(*i*) Dipl. CCLI. & CCLII.
(*k*) Dipl. LXIV.
(*l*) Dipl. LVI.
(*m*) Dipl. CCLI.
(*n*) Dipl. XXIX.

præcipiens ut ii *ſemel in quinquennio* Romanum iter aggrederentur (*a*). Habemus enim ſub Symmacho (*b*), Gregorio I. (*c*), Martino I. (*d*), & Agathone (*e*) Romana concilia Siculorum epiſcoporum ſubſcriptionibus munita. Quæ non obſcure indicant, Romanum pontificem Siculorum tum fuiſſe proprium & immediatum metropolitam; ſicuti erat Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Marſorum, Campaniæ, Tuſciæ, Umbriæ, & Piceni. Vide præterea quæ ſcripſimus in monitis ad Dipl. LX.

XI. Hinc vehementer falluntur qui ejuſmodi argumenta menti ſuæ excidi ſinentes, in ea ſunt opinione, ut velint ante tempora imperatoris Leonis Iſaurici, aliquem fuiſſe in Sicilia metropolitam, aut Syracuſanæ cathedræ, aut Panormitanæ, aut Meſſanenſi, aut Tauromenitanæ, aut tandem Catanenſi honorificentiam iſtam deferentes; ſed ne quæ ſcrupulum injiciunt, intentata cum legentium damno relinquere velle videamur, de cathedris ſingulis ſingula argumenta breviter expendere ſimul & diluere libitum ſit. *Variæ ſententiæ oppoſitæ.*

XII. Atque in primis partes Syracuſanæ Eccleſiæ poſt alios ſerio defendendas ſibi delegit Antoninus de Amico, edita particulari Diſſertatione: *De antiquo urbis Syracuſarum archiepiſcopatu, ac de ejuſdem in univerſa Sicilia metropolitico jure*. Syracuſanæ eccleſiæ rationes ſunt fere hujuſmodi. Prima quidem, urbis amplitudo & majeſtas. Secunda, Conſtantini magni ad Chreſtum Syracuſanum epiſtola (*f*), qua mandat ut ad Arelatenſe concilium veniat, ſociis ſibi aſcitis *duobus aliis* ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου, *ex ſecunda ſede*. Tertia, in ſubſcribendis ſynodis prærogativa Syracuſano epiſcopo tributa. Quarta, apoſtolicæ vices ſuper cunctas Siciliæ eccleſias Maximiano epiſcopo Syracuſano a S. Gregorio magno commiſſæ (*g*). Quinta, Leonis imperatoris Diſpoſitio (*h*), ubi Syracuſanus antiſtes inter metropolitas recenſetur. Sexta, Acta ſeptimæ ſynodi generalis, ubi Stephanus Syracuſanus bis *archiepiſcopus* dicitur. Septima demum, epiſtola Nicolai I. ad Michaelem imperatorem (*i*), per quam cæſarem alloquens, Syracuſanam eccleſiam archiepiſcopalem nominat. *Syracuſanæ eccleſiæ argumenta expenduntur.*

XIII. Sed adverſus argumenta hæc facilis eſt & expedita defenſio. Ac primo quidem etſi non deſint antiqui ſcriptores, qui Syracuſas Siciliæ caput fuiſſe contendant; at non eadem eſt apud omnes ſenten- *Eadem argumenta diluuntur.*

(*a*) Dipl. CXXXVI.
(*b*) In nova Collect. Concilior. tom. 5.
(*c*) In Append. ad Epiſt. S. Gregor. poſtremæ edit. Decr. 4. 5. & 7.
(*d*) Cit. Collect. Concilior. tom. 7.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Dipl. I.
(*g*) Dipl. LXXXI.
(*h*) Dipl. CCXCII.
(*i*) Dipl. CCLXXXI.

tia ; & quando ab hujuſmodi opinione non abhorreret animus, non inde ſequitur ejus epiſcopum fuiſſe totius provinciæ metropolitam : quum eccleſiaſticas dignitates non ſemper ſæcularibus reſpondiſſe certum ſit. Secundo, ex Conſtantini epiſtola nil certi elici poteſt : nam pro viris *ſecundi ordinis*, miniſtros potius ejuſdem eccleſiæ, quam aliarum epiſcopos intelligendos eſſe, ſuadet epiſtola ejuſdem concilii S. Silveſtro PP. ſcripta, cui præter ipſum Chreſtum, & Florum Syracuſanum diaconum, Siculorum epiſcoporum nemo ſubſcripſit. Tertio, infirmum eſt ac debile argumentum ex prærogativa ſubſcriptionis petitum : in ſubſcribendis enim conciliis, non urbium dignitatis, ſed epiſcoporum ætatis, ut conſtans eſt eruditorum opinio, ratio habebatur. Quarto, tantum abeſt ut S. Gregorius vices ſuas Maximiano epiſcopo committens, voluerit Syracuſanam eccleſiam totius Siciliæ metropolim inſtituere, ut expreſſe profeſſus ſit, honorem illum *non loco, ſed perſonæ* tribuere ſe voluiſſe. Tria alia quæ ſuperſunt argumenta, ſententiæ noſtræ nullatenus officiunt, utpote quæ ſpectent ad tempora poſt imperium Leonis Iſaurici, quando Syracuſanum epiſcopum totius provinciæ metropolitam fuiſſe non imus inficias, immo potius fatemur haud inviti.

Panormitanæ eccleſiæ rationes exhibitæ, & reprobatæ.

XIV. Defendendis juribus Panormitanæ noſtræ Eccleſiæ totis ingenii ſui viribus intendit Vincentius Lettara in Tract. *de primatu Eccleſiæ Panormitanæ*, qui plures inde ſectatores habuit. Rei conteſtandæ hæc ſunt argumenta præcipua. Primum, regia urbis dignitas ; ſecundum, honor pallii Johanni Panormitano epiſcopo a S. Gregorio tributus (*a*) ; tertium, primatis nomen quod ab eodem S. Gregorio Victor Panormitanus epiſcopus obtinuiſſe dicitur (*b*) ; quartum, Paſchalis papæ I. ad Panormitanum archiepiſcopum epiſtola (*c*) ; quintum demum, Gregorii VII. Pont. Max. Diploma, quo Archerio Panormitano antiſtiti ſuffraganei epiſcopatus reſtituuntur (*d*). At ſi verum amas, argumenta hæc ad metropolitani dignitatem adſtruendam nihil faciunt. Atque in primis, etſi eccleſiaſtica politia, tota contradicente antiquitate, ad civilis formam reducere velimus ; at non inde probatur, Panormitanum epiſcopum Siciliæ metropolitam fuiſſe ; Panormus enim non ita principalem locum inter Siciliæ civitates obtinuit, ſicuti & nunc obtinet : erant priſcis illis temporibus, ſi fides Conſtantino Porphyrogenetæ (*e*), Syracuſæ, Tauromenium, Meſſana, Catana, & aliæ urbes ſane multæ æque illuſtres, quas Panormus nec amplitudine, nec dignitate, nec majeſtate vincebat. Ad alterum argumentum quod ſpectat, pallium non metropolitanis modo, ſed et epiſcopis dari ſolitum

tum

(*a*) Hic Dipl. CCLIX.
(*b*) Epiſt. S. Greg. ad Victor. primatem.
(*c*) In Append. Dipl. XXV.
(*d*) Apud Pyrr. *Not. Eccl. Panor.* ad annum 1083.
(*e*) De Themat. Imper.

tum erat: unde prætermiſſis aliis venerandæ antiquitatis exemplis, eumdem S. Gregorium in noſtra hac Sicilia duobus epiſcopis aliis (*a*), Syracuſano & Meſſanenſi uſum pallii ſcimus conceſſiſſe. Immo in ipſa eadem epiſtola de uſu pallii Panormitano Johanni inſcripta, ipſemet S. Gregorius expreſſe teſtatur, alios quoque tunc eſſe Siciliæ epiſcopos dignitate hujuſmodi præditos: *Apoſtolicæ*, inquit, *Sedis benevolentia provocati, fraternitati tuæ, quam Panormitanæ eccleſiæ ſpeculatoris conſtat ſuſcepiſſe officium, pallii uſum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, ut alioſque inſulæ Siciliæ ſacerdotes, vel deceſſores tuos uſos eſſe non ambigis*. Agamus de tertio argumento: S. Gregorii epiſtola Victori primati inſcripta, omnibus concordantibus eruditis viris, non ad Victorem noſtrum, ſed ad Victorem Numidiæ ſpectat. Vitio prope pari laborat Paſchalis I. epiſtola, quam uti auctori ſuo ſuppoſitam ex priori claſſe Diplomatum exploſimus, & in Appendicem tamquam dubiam compegimus. Gregorii VII. Diploma pro temporibus imperio Leonis Iſaurici recentioribus paullo firmius eſſet, ſi ei non adverſaretur Notitia patriarchatus Conſtantinopolitani ſub Leone imperatore cognomento *Sapiente* concinnata: ubi Panormitanus inter epiſcopos Syracuſano metropolitæ ſubjectos recenſetur. Notitiæ huic conſonat liber *de quinque thronis patriarchalibus* juſſu Rogerii Siciliæ regis a Nilo Doxopatrio compoſitus. Conſule quæ dedimus in monitis ad Dipl. CCXCII.

XV. De Syracuſana ac Panormitana eccleſiis hactenus, agamus nunc de Meſſanenſi. Ejus defenſorem ſe exhibuit Albertus Piccolus in ſua Diſſertatione *de Antiq. Jur. Eccleſ. Siculæ*, quem ſecutus eſt Carolus Morabitus *Annal. Protometrop. Meſſanenſis Eccl.* Uterque honorificentiam metropolitæ Siciliæ ſuo Meſſanenſi epiſcopo tribuendam eſſe, tribus hiſce rationibus contendit. Primo, pallii uſus Dono Meſſanenſi epiſcopo a S. Gregorio conceſſus (*b*); ſecundo, epiſtolæ ejuſdem S. Gregorii hanc portantes epigraphen, *Gregorius Felici in Sicilia* (*c*), quæ Felicem primatem Siciliæ deſignare videntur; & tertio, apoſtolici vicarii munus & jus indicendi provinciale concilium eidem Felici a S. Gregorio tributum. Quam leve ſit argumentum ab uſu pallii petitum, jam monſtravimus ſupra, agentes de Syracuſana ac Panormitana eccleſiis ſimili honore donatis. Duplex ſubſequens argumentum ejuſdem furfuris videtur eſſe. Inſcriptio enim illa *Felici epiſcopo*, ſuppreſſo civitatis nomine, uni tantum epiſtolæ, id eſt poſtremæ totius Regiſtri S. Gregorii affixa legitur; nec aliunde quam ex eadem epiſtola congregandæ ſynodi ipſi Felici facultatem factam cognoſcimus. Atque ita utrique argumento reprobando multum tem-

Meſſanenſis Eccleſ. argumenta expoſita, & rejecta.

 poris

(*a*) Dipl. CXXIII. & CXXV.
(*b*) Dipl. CXXIII.
(*c*) In Append. Dipl. XXI.

poris impendamus non oportet, quum epiſtola illa ſuppoſitionis expers non ſit, & a genuinis ſejuncta inter falſas vel dubias locum tantum invenerit (*a*). Et quando monumentum iſtud ejuſmodi eſſet, ut ſuppoſitionem nullam redoleret, tanti nihilominus non eſt, ut metropoliticam poteſtatem ſuper reliquas Siciliæ eccleſias firmare queat: nam primis illis temporibus non infrequens erat hæc loquendi ratio. Porro Catanenſis epiſcopus ita ſe ſubſcripſit Act. III. Concil. VII. generalis, *Theodorus ſanctiſſimus Siciliæ epiſcopus*; & abſque ulteriori teſtimonio id clare demonſtrat ipſe idem S. Gregorius: cujus habemus epiſtolam (*b*) ſcriptam *Secundino, & Johanni epiſcopis Siciliæ*, id eſt, Secundino Tauromenitano, & Johanni Syracuſano; & alteram (*c*) quam ipſe dedit, *Leoni, Secundino, Johanni, Dono, Lucido, Trajano epiſcopis Siciliæ*; ſcilicet Leoni Catanenſi, Secundino Tauromenitano, Johanni Syracuſano, Dono Meſſanenſi, Lucido Leontino, & Trajano Melitenſi: & quum Meſſanenſem poſt Catanenſem, Tauromenitanum, & Syracuſanum poſuerit, illis ſuperiorem non fuiſſe manifeſte oſtendit. Apoſtolici vicarii munus & jus indicendi concilii rem nihilo certiorem reddunt: quum S. Gregorius ne dum Syracuſano epiſcopo (*d*), verum & Petro ſubdiacono (*e*) facultates hujuſmodi tribuere ſolitus fuerit.

Tauromenium ante nonum ſæculum non fuit metropolis.

XVI. Ut ſcriptores uni metropoliticam Siciliæ dignitatem Syracuſis deferunt, alteri Panormo, Meſſanæ alii, ita & Tauromenio Franciſcus Scorſus (*f*). Argumenta principaliora duo ſunt: primum, eccleſiæ inſtitutio jam inde ab aureis apoſtolorum temporibus derivata; ſecundum, titulus archiepiſcopi, pluribus ejuſdem cathedræ epiſcopis tributus, id eſt Zachariæ Copho, Gregorio Cerameo, & Theophani Cerameo. Debile eſſe argumentum primum, vel ex ipſa metropolitæ voce & dignitate primis eccleſiæ ſæculis prorſus incognita clare liquet. Aliud vero, utpote quod ad tempora poſt imperatorem Leonem Iſauricum ſpectat, ſufficiens minime eſt ad primam hanc Diſſertationis partem firmandam, ubi de antiquiore tantum ætate agere velle diximus.

Nec Catana id probat.

XVII. Remanet jam nunc, ut Catanenſis cathedræ argumenta expendamus, quibus exponendis operam dedit Johannes Baptiſta Groſſus in ſua *Catana ſacra*. Primum quidem eſt, Theodorus Catanenſis præſul ſynodo VII. ſe ſubſcribens, *ſanctiſſimus Siciliæ epiſcopus* nominatur. Secundum, in Notitia patriarchatus Conſtantinopolitani Catanenſis epiſcopus inter metropolitas recenſetur. Tertio demum, Leo Ca-

(*a*) In Append. cit. Dipl. XXI.
(*b*) Dipl. CCV.
(*c*) Dipl. CCLIV.
(*d*) Dipl. LXXXI.
(*e*) Dipl. IX.
(*f*) *In notis ad Hom. Theoph. Ceram.* Procem. I. §. 4.

Catanenſis epiſcopus inter metropolitas ſubſcribitur in decreto: *Ne duo fratres duas accipiant conſobrinas*, circa annum 994. edito: ſed tria hæc argumenta ad aliam Diſſertationis partem illuſtrandam neceſſaria forſitan eſſent, non ad hanc quæ altiora tempora reſpicit.

XVIII. An fuerit in Sicilia ante tempora imperatoris Leonis Iſaurici aliquis metropolita expoſuimus hactenus, clare demonſtrantes nullum omnino fuiſſe ex epiſcopis Siculis, qui dignitate ejuſmodi fungeretur, ſed omnibus immediate præfuiſſe Romanum pontificem; videamus nunc qualis fuerit rerum ſtatus poſtquam idem Leo imperium inierit. Quum Leo Iſauricus per aliquot annos recte ambulaverit, vatum inde Judæorum peſtifera ſuggeſtione deceptus, ſacris imaginibus hoſtem infeſtiſſimum ſe palam exhibuit, atque earum defenſores infrunito animo perſecutus eſt, potiſſimum ſanctiſſimum virum Gregorium papam II. qui adhortationibus precibus atque minis ejus inpietatem publice abjurgabat, quamobrem juribus patrimonii Siculi ei interdicere non eſt veritus: immo & quotquot erant in Sicilia eccleſiæ cum aliis ſane quam multis, per ſummam tyrannidem a Romano patriarchatu, veluti a ſuo capite avulſit, atque in Conſtantinopolitanam ſedem tranſcripſit; quemadmodum apud Adrianum I. Pontif. Max. teſtatum reliquit antiquitas (*a*): Qui loquens de Græcis diœceſim hanc patriarchatus Romani dividentes: *Quam tunc*, inquit, *cum patrimoniis noſtris abſtulerunt, quando ſacras imagines depoſuerunt*. Hinc Siculi epiſcopi regiam urbem frequenter accedere conſueverunt, Conſtantinopolitano patriarchæ obedientiam profitentes, & ab eo conſecrationes, atque rerum eccleſiaſticarum ordinationes accipientes. Qui ut magis magiſque eos ſibi devinceret, duos ex iis metropolitas, Syracuſanum & Catanenſem inſtituit: primum quidem cum ſuprema poteſtate ſuper reliquos Siciliæ epiſcopos; alterum vero ſine ullis ſuffraganeis: totidemque archiepiſcopum, Tauromenitanum & Meſſanenſem ordinavit.

Poſt tempora Leonis Iſaur. duo metropolitæ, totidemque archiepiſcopi in Sicilia.

XIX. Atque in primis Syracuſanum epiſcopum Græci erexerunt in metropolitam, quemadmodum docet nos Diſpoſitio (*b*) de patriarchatu Conſtantinopolitano, ſub Leone imperatore, cognomento *Sapiente* concinnata; ubi inter metropolitas ipſi patriarchæ contribuentes, recenſetur Syracuſanus, reliquos Siciliæ epiſcopos ſub ſe habens: *Sub Syracuſano metropolita Siciliæ Tauromenitanus*, *Meſſanenſis*, *Agrigentinus*, *Cronienſis*, *Lilybæi*, *Drepani*, *Panormitanus*, *Thermarum*, *Cephaludii*, *Alcſæ*, *Tyndarii*, *Melitenſis*, *Liparenſis*. Cui conſonat Nilus archimandrita, cognomento *Doxapatrius* in ſuo de quinque Thronis patriarchalibus tractatu, quem juſſu Rogerii Siciliæ regis Panormi ſcripſit: *Sicilia*, inquit, *& Calabria ſe Conſtantinopolitano ſuppoſuerunt*, *& Sancta Severina*, *quæ & Nicopolis dicitur*. *Sicilia au-*

Syracuſanus epiſcopus fit metropolita.

(*a*) Adrianus papa I. *in reſponſis ad dubia Francorum.*
(*b*) Dipl. ccxcii.

autem univerſa unum metropolitam habebat , Syracuſanum ; reliquæ vero Siciliæ Eccleſiæ Syracuſani erant epiſcopatus , etiam ipſe Panormus , & Thermæ , & Cephaludium , & reliquæ . Et infra in Indiculo metropolitanorum ipſi Conſtantinopolitano patriarchæ ſubjectorum, quadrageſimo quinto loco ponitur , Syracuſanus Siciliæ , *habens epiſcopos vigintiunum . I. Cataniæ , II. Tauraminæ , III. Meſſanæ , IV. Cephaludii , V. Thermorum , VI. Panormi , VII. Lilybæi , VIII. Trocalorum , IX. Acragantis , X. Tyndarii , XI. Carines , XII. Leontines, XIII. Aleſæ , XIV. Gaudi inſulæ , XV. Melitæ inſulæ , quæ dicitur Malta , XVI. Liparis inſulæ , XVII. Vulcani , XVIII. Didymi , XIX. Uſiinæ , XX. Tenari , XXI. Baſiludii .*

Item & Catanenſis, ſed abſque ſuffraganeis.

XX. Eadem honorificentia & Catanenſis epiſcopus donatus eſt, abſque tamen ſuffraganeis epiſcopis: unde in Notitia quæ ſub nomine Andronici imperatoris Palæologi circumfertur , quæque prodiit apud Georgium Codinum *de Officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ* , Catanenſis epiſcopus inter metropolitas quadrageſimum ſeptimum locum occupat , addita tamen clauſula : *Cui nullus ſubeſt thronus*. Inde in Diſpoſitione Leonis imperatoris , cognomento *Sapientis* idem Catanenſis antiſtes metropolitæ nomine donatur , ac quadrageſimo quinto loco conſtituitur cum eadem ferme clauſula : *Catanenſi metropolitæ nullus ſubeſt thronus* . In octavo quoque œcumenico concilio Conſtantinopolitano , inter alios metropolitas Euthymius Catanenſis aſsediſſe ſcribitur . Cui Euthymio in metropolitica Catanæ dignitate Antonium ſuffectum volunt ſcriptores Catanenſes , quorum claſſem , non merito antiquitatis , ſed profeſſione virtutis , ducit Vitus Amico , ex quadam lamina plumbea a Groſſo in ſua Catanenſis Eccleſiæ hiſtoria (*a*) expreſſa , & nuper a Franciſco Ficorone , viro de ſtudio venerandæ antiquitatis optime merito in ſua de plumbis diplomaticis collectione (*b*) , ad exemplar alterius originalis recuſa . Ubi hæc : *Antonio metropolitæ civitatis Catanæ* . Antonius inde Leonem III. ſucceſſorem habuit , qui Catanenſem thronum cum metropolitica dignitate occupans, tempore ſchiſmatis Johannis papæ XVI. & Gregorii V. circa annum 994. decretum acceptavit : *Ne duo fratres duas accipiant conſobrinas* . Ceterum Nilus Doxapatrius mox laudatus , Catanæ honorem iſtum Græcos tribuiſſe narrat *propter S. Leonem* , ſcilicet *ſecundum* , quem & *Taumaturgum* vocant , quemque poſt divulſam a Romana Sede Siciliam , Catanenſem cathedram illuſtraſſe certum eſt .

Tauromenitanus epiſcopus Archiepiſcop. dignitatem obtinet.

XXI. Quod Tauromenitana ſedes ad archiepiſcopalem dignitatem per Græcos evecta fuerit , plane liquet ex tribus poſtremis epiſcopis ejuſdem eccleſiæ ſuperius memoratis , Zacharia Gregorio & Theophane , quibus archiepiſcopi nomen indixit antiquitas . De Zacharia teſti-

(*a*) *Catan. Sacr.* §. 17. pag. 40.
(*b*) Tab. 16. n. 4.

teſtimonium perhibet Anaſtaſius Bibliothecarius (*a*) . De duobus poſtremis fidem aſtruunt utriuſque homiliæ cum inſcriptione *archiepiſcopi Tauromenii*.

XXII. Ceterum Meſſanenſis Eccleſia parem cum Tauromenitana archiepiſcopatus dignitatem obtinuit: hinc Diſpoſitio imperatoris Leonis Sapientis poſt exhibitas metropolitanas Eccleſias , hæc ſubjungit verba : *Præter has metropoles ejuſdem Leonis ævo , & triginta octo archiepiſcopatus patriarchæ Conſtantinopolitano erant ſubjecti* . Et decimo ſeptimo loco ponit, *Meſſanenſem Eccleſiam in Sicilia* (*b*). Similiter & Meſſanenſis.

DISSERTATIO III.

De Monachiſmo Siciliæ per decem priora ſæcula.

CAPUT I.

De origine & progreſſu monaſtici inſtituti in Sicilia.

I. SAnctimonialium originem in Sicilia antiquiſſimam , ac aureis apoſtolorum temporibus prope coævam eſſe , contendit qui ſanctorum Siculorum vitis illuſtrandis ſedulo incubuit Octavius Cajetanus (*c*), ſumpto argumento ex Græca hiſtoria S. Pancratii epiſcopi & martyris , teſtimonium perhibente de inſtituto Tauromenii collegio virginum, ac diaconiſſarum; item ex actis ſanctorum Alphii , Philadelphi , & Cyrini plures repræſentantibus ſacras virgines, & viduas ab omni mortalium conſuetudine ſejunctas, & in ſpeluncis , aſceterii inſtar, ſolitariam vitam ducentes ; ex vita quoque S. Agrippinæ virginis & martyris, quæ ancillas Chriſti non unas Menis monaſticam vitam agentes commemorat ; ex hiſtoria demum S. Gregorii epiſcopi Agrigentini , ubi de Panormitano virginum collegio notitiam invenimus. Sanctimonialium origo in Sicilia antiquiſſima.

II. Monachorum quoque inſtitutum nihilo ſecus , quam monialium diſciplinam, multo prius in Sicilia, quam in Orientalibus, vel Occidentalibus regionibus viguiſſe aſſeverat Cajetanus modo laudatus, eremiticam in Sicilia vitam ad primum Chriſtianæ religionis ſæculum ſubſtollens. Rei conteſtandæ plura argumenta adducit in medium. Ex quibus illud primum quod depromitur ex hiſtoria S. Peregrini confeſſoris , qui circa annum Chriſti xc. monaſticum inſtitutum coluiſſe dicitur : alterum eruitur ex actis S. Philippi Agyrenſis , in quibus de monachis Siculis fit mentio ; tertium ex vita S. Calogeri , qui Sac- Item & monachorum.

(*a*) In notis *ad VIII. Synod. generalem*.
(*b*) Apud Aubertum Miræum in *Not. Epiſc. Orb. Chriſt.* lib. I. cap. 10.
(*c*) Iſag. *ad Hiſt. Sicul.* cap. 41.

Saccæ in Sicilia monaſticæ vitæ inſtitutor eſt habitus; quartum ex actis SS. Alphii, Philadelphi, & Cyrini, ubi de SS. Thallelæo, Cleonico, Stratonico, aliiſque ſervis Dei, qui monaſticam vitam colendi gratia, in Selidonium montem confugerunt; quintum demum, ne in aliis ejuſdem ponderis recenſendis prolixus ſim, ex Græcis actis S. Niconis & ſociorum ejus apud Tauromenium monaſtico inſtituto obnixæ operam dantium, quæ a Cheromeno Syracuſano ſanctorum condiſcipulo ſcripta dicuntur.

Examinatur ſcripturarum, quæ id reſtantur auctoritas.

III. Sed ſcripturæ iſtæ tum ſanctimonialium, tum monachorum inſtitutum ſic alte ſubſtollentes, etſi ad ſalvandum eorum cultum aliunde nobis plane cognitum, male non ſint; at tanti certe non videntur eſſe, ut rem obfuſis alioquin antiquitatis tenebris deliteſcentem, extra omnem ingenii alcam ponant. Eas enim, ut veritatem candide fatear, interpolatas eſſe fatente nunc ipſo eodem Cajetano (*a*), minus alioquin ſevero cenſore, nemo eſt qui dubitat. Auctores quos præſeferunt, ſuſpectos reddit ſcripturarum contextus, multa imperite congerens, a quibus priorum temporum ſimplicitas & brevitas magnopere abhorrent. Iccirco argumentum iſtud de antiquitate ordinis monaſtici ad illuſtrandum ſibi deligens Aloyſius Bulteaus (*b*) primis tribus ſæculis incognitum prorſus fuiſſe monaſticum inſtitutum ex propoſito probat, erudite rejiciens quotquot ex adverſo exhibentur exempla.

S. Baſilius gratis monachiſmi Siciliæ auctor dicitur.

IV. Ne ab incertis itaque, vel ab apochryphis monumentis illudamur, omiſſis ſcripturis quæ Græcam verboſitatem & fidem redolent, ad exponendas ſinceriores notitias aggredimur. Quo auctore, quoque ſignanter anno monaſticum inſtitutum in Sicilia orſum ſit, gratis divinare non poſſumus: non quod deſint ſcriptores (*c*) qui gloriam hanc magno illi Baſilio Cappadociæ epiſcopo tribuendam contendant, autumantes eum ad propagandum monaſticum ordinem, in hanc quoque inſulam alumnorum ſuorum colonias tranſmiſiſſe; ſed quod fontes unde hoc exhauritur, turbidi ſint atque lutoſi. Laudatur enim epiſtola LXIX. ejuſdem S. Baſilii *monachis Africæ, & Siciliæ* inſcripta, quæ in antiquis pariter & recentioribus editionibus, in illa præſertim monachorum Benedictinorum e congregatione S. Mauri omnino deſideratur.

Monachi in Sicilia tempore Gelaſii PP.

V. Nihilominus etſi de auctore non conſtet, conſtat tamen non diu poſt S. Baſilii tempora monachiſmum in Sicilia longe lateque fuiſſe propagatum. Sane ante finem ſæculi quinti Gelaſius papa I. ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos epiſtolam (*d*) dedit, viginti octo ſaluberrima decreta continentem, ex qua eru-

---

(*a*) In Animad. ad tom. I. *Sanctor. Sicul.*
(*b*) Hiſt. Ord. Monaſt. lib. I. cap. 2.
(*c*) Pyrrhus *Sicilia Sacra* lib. 4. p. I. in principio, & p. 2. in principio.
(*d*) Hic Dipl. XXXII.

erudimur monaſticæ vitæ colendæ Siculos tunc temporis fuiſſe addictos. Agitur enim in ſecundo decreto de monachis defectu clericorum ad epiſcopale munus promovendis; in duodecimo de virginibus in Epiphania, Paſchate, aut apoſtolorum natalitiis velandis; in decimotertio de velo viduis per manus pontificis non tribuendo; in decimoquarto de ſervis, invito domino, in monaſterium non recipiendis; in vigeſimo de virginibus ſacris dicatum Deo propoſitum inceſto fœdere violantibus; in vigeſimoprimo de viduis profeſſam continentiam, mutato propoſito, calcantibus; in vigeſimoquarto, de monachis, laiciſque, ſecluſa neceſſitate ad clerum non eligendis.

S. Fulgentius in Siciliam apud Eulaliū monachorum amatorem diverſatur.

VI. Circa idem tempus S. Fulgentius Ruſpenſis epiſcopus in Ægyptum navigans, Syracuſas appulit, atque hoſpitalitatis officio humaniſſime exceptus eſt ab illius urbis epiſcopo Eulalio; qui *monachorum profeſſionem ſingulariter diligebat: habens etiam ipſe monaſterium proprium cui ſemper adhærebat, quoties ab eccleſiaſticis actibus vacabat*; quemadmodum legimus in Cap. XII. Vitæ ejuſdem S. Fulgentii, a Laurentio Surio (*a*) edita, & a Johanne Bollando (*b*) recuſa.

Benedictinorū monachorum expeditio in Siciliam ſuſpecta.

VII. Poſſem, & forſitan deberem ex hiſtoria S. Placidi ab ipſo S. Benedicto aſceterii magiſtro circa annum DXXXIV. una cum ſociis in Siciliam miſſi rem confirmare, niſi hujuſce hiſtoriæ fidem in dubium revocaret Johannes Mabillonius (*c*), & ipſe monachus Benedictinus, eccleſiaſticæ eruditionis magiſter, & rei monaſticæ indagator diligentiſſimus. Subjiciamus ejus verba: *Ad idem fere tempus*, ann. 534., *quo monaſterii Terracinenſis origo, revocanda eſt S. Placidi in Siciliam miſſio, quæ prima noſtrorum extra Italiam fuit. Optandum ſane eſſet, ut accuratiorem de rebus ab eo geſtis ſcriptorem haberemus, quam Gordianum illum perſonatum auctorem, qui ejus diſcipulus atque itineris ſocius fuiſſe, ejuſque vitam Græce ſcripſiſſe dicitur. Scriptorem longe recentiorem arguit imperita narratio, plurimis reſperſa erratis, quæ niſi in poſteriorum temporum hominem, & quidem imperitum cadere non poſſunt; nec modo interpolatorem, ſed falſum auctorem omnino arguunt*. Conſule admonitionem noſtram ad Dipl. XIII. in Appendice.

Monaſticum inſtitutum tēpore S. Gregorii in Sicilia longe lateque diffuſum.

VIII. Utut res ſe habeat circa Benedictinorum in Siciliam adventum, dubitari certe non poteſt, vitæ monaſticæ jampridem in Sicilia inſtitutæ, multum incrementi eodem ſexto ſæculo S. Gregorii opera & ſtudio acceſſiſſe. Is ut prætoris Urbani dignitatem iniit, nihil habuit antiquius, quam ſex in Sicilia monaſteria ex rebus propriis ædificare, ut liquido conſtat ex his quæ infra ſub num. XIX. ſumus dicturi.

(*a*) *Vit. Sanctor.* die 1. Januarii.
(*b*) *Act. Sanctor.* die 1. Januarii.
(*c*) *Annal. Bened.* tom. 1. lib. 3. ad annum 534. n. 25. & in notis ad Dialog. S. Gregorii lib. 2. cap. 8. pag. 227. lit. *e*.

ѕturi. Eodem ſexto ſæculo excedente, & ſeptimo ineunte, antedictus S. Gregorius epiſtolas dedit, monaſticum inſtitutum per totam fere Siciliam diffuſum commemorantes, quæ numeroſiores ſunt, atque clariores, quam ut his tranſcribendis, vel illuſtrandis chartam iſtam oneremus. Adeat curioſus lector Dipl. LXIII. & alia ſane quam plura in decurſu Diſſertationis indicanda.

CAPUT II.

De monaſtici ordinis unitate, perpetuitate, officio, & ſubjectione.

IX. QUæ de monaſticorum ordinum unitate, perpetuitate, officio, atque ſubjectione dicenda fuerint, uno eodemque capite ſimul duximus complectenda, tum quod clariora ſint, quam ut uberius exponi debeant, tum etiam quod inter ejuſmodi argumenti genera maxima affinitas & conjunctio reperiatur.

Decem primis ſæculis nullà monaſticorum ordinum varietas.

X. Atque in primis vehementer fallitur qui decem antiquioribus Eccleſiæ ſæculis exteriorem illam monaſtici inſtituti varietatem fuiſſe putat, per quam diſtincti hodie monachorum ordines habentur ita, ut in uno profeſſi, ad alium tranſire nequeant. Tunc enim una eademque erat monachorum ſocietas, & facilis promiſcuuſque eorum de uno ad aliud monaſterium cum præfectorum licentia tranſitus: utpote quum in quolibet aſceterio eadem fuerit ſolitariæ vitæ ratio, eadem regula, idem inſtitutum: id eſt rerum temporalium abdicatio, a ſæcularibus tumultibus ſeceſſio, obedientia ſumma, juge ſilentium, labor manualis, ciborum tenuitas, corporum caſtigatio; in ſumma, propriæ ſalutis una fere & maxima cura; quemadmodum refert rei monaſticæ ſcriptor locupletiſſimus ſimul & accuratiſſimus Johannes Mabillonius (*a*). Et uniformitatem hanc per decem priora ſæcula perduraſſe, ſuſtinent viri eruditiſſimi, Lucas Holſtenius (*b*), Chriſtianus Lupus (*c*), & Bernardus Van-Eſpen (*d*), aſſerentes ſæculo tantum undecimo, exortis novis familiis, Cartuſienſi, Camaldulenſi, Vallumbroſa, Grandimontenſi, ac Ciſtercienſi, ordinum diverſitatem obtinuiſſe, ac monachorum diſcretionem factam fuiſſe, ob varia nimirum præcepta, varioſque ritus & habitus, quæ ſingulis uſui eſſe cœperunt. Qua viſa admonitione noſtra, ceſſent oportet inutiles illæ altercationes, quæ de ſanctis, atque monaſteriis Siculis, Baſilianorum, Be-

(*a*) *Annal. Bened.* præfat. in par. 1. ſæcul. 4. n. 52.
(*b*) In præfat. ad *Codicem Regularum*.
(*c*) Tom. 5. Schol. pag. 279.
(*d*) Par. 1. tit. 24. cap. 2.

Benedictinorum, atque Auguſtinianorum ordini vindicandis, pluſculum quam forte par erat, rudioribus ſæculis moveri excitarique ſolebant; nam ſicut unus ordo erat omnibus communis, ſic omnes æquo jure & ſanctos, & monaſteria dicere propria poſſunt; immo & debent, ut veterum monachorum, inſtar præceptorum ſuorum excitati exemplo, devotione ſimili, æqualique caritatis æſtu illorum æmulentur mores, ſectentur veſtigia.

XI. Ad ſecundum quod attinet, qui umquam profitebatur monaſticum inſtitutum illi ſemper adhærere debebat, omni ei redeundi ad ſæcularem vitam adempta facultate. Quod abſque ulteriori teſtimonio manifeſtum reddit S. Gregorius magnus: qui intelligens Venantium Syracuſanum ad tantum nefas proſiliiſſe, ut dimiſſo monaſtico habitu, uxorem publice ſortiretur, epiſtolas (*a*) ſcripſit, quamobrem a pravo is conſilio reſipiſcens, quantocius ad religionem rediret. Item duplicem dedit epiſtolam, alteram Felici epiſcopo Meſſanenſi (*b*), alteram Petro ſubdiacono patrimonii eccleſiæ ſuæ rectori (*c*), ut diſperſi per Siciliam monachi Brutii, qui propria ſtatione deſerta, in clauſtris ſtabiles non degebant, in Meſſanenſi monaſterio S. Theodori ſub Paulino præpoſito congregarentur. Rurſus Stephano chartulario ſcripſit (*d*), ut monachos duos ſui ſtatus deſertores, quorum alter jam conjugem acceperat, alter vero commiſtus inter laicos, ſæcularem vitam ducebat, omni poſtpoſita mora in monaſterium retrudi curaret. Et iterum ad Cyprianum diaconum, rectorem Siciliæ duas epiſtolas dedit: unam (*e*) ut Ciceronem quemdam monaſtici ſtatus deſertorem cum rebus ſuis ad proprium monaſterium redire faciat; alteram (*f*) ut tres alios monachos æque apoſtatas ad monaſticam vitam & habitum compellat remeare.

Monachatus perpetuitas.

XII. Eadem, ſeveriori etiam diſciplina vivebant virgines Deo dicatæ, quibus poſt profeſſam vitam monaſticam, ad ſæcularem ſtatum remeare ſpes aliqua non erat; quemadmodum diſcimus ex eodem S. Gregorio, qui antedicto Cypriano diacono Petronillæ religioſæ feminæ crimen de contempto caſtitatis voto ſubtiliter examinandum, ac ſevere puniendum commiſit (*g*). Et longe ante S. Gregorii tempora id gravi decreto definierat Gelaſius papa I. epiſcopis per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutis ſcribens (*h*). Quod tamen non obtinebat in viduis, quarum connubia poſt emiſſum continentiæ votum celebrata, ſacrilega quidem erant & illicita, ſed tamen vera & valida; ut decreto immediate ſequenti declaravit idem Gelaſius, & nos ibi in notis obſervavimus.

Sanctimonialium quoque nõ variabilis profeſſio.

Tom. I. Hhh 2 XIII. Ve-

(*a*) Dipl. LXV. CCXVI. CCXVIII.
(*b*) Dipl. LXVII.
(*c*) Dipl. LXVIII.
(*d*) Dipl. LXXXV.
(*e*) Dipl. CXIX.
(*f*) Dipl. CXX.
(*g*) Dipl. CIII.
(*h*) Dipl. XXXII. cap. 20.

Monachorum officium.

XIII. Venimus jam nunc ad id quod tertio propoſuimus loco, ad officium ſcilicet ordinis monaſtici. Sane monachale inſtitutum ea ſolummodo ratione publicum & commune Eccleſiæ bonum ſpectare dicitur, in quantum privatorum virtutes, & vitæ ſanctitas totam Eccleſiam exornant & juvant: de reliquo eorum qui hanc vivendi normam amplectuntur, commodo potiſſimum & emolumento conſulit; quemadmodum inquit qui vitam monaſticam inter primos aſſumpſit, eique originem dedit S. Baſilius magnus. Libeat ejus verba exſcribere: *Monachorum vitæ ratio unum ſibi tantummodo propoſitum habet, animæ ſalutem, & quidquid prodeſſe ad eum finem poteſt*. Cum quo paria ſentit S. Hieronymus (*a*): *Monachus non doctoris, ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præſtoletur adventum*. Qui & alibi (*b*) monaſtici inſtituti rationem expreſſius delineans, hoc ſacerdotium inter & monachatum interceſſiſſe diſcriminis aſſeverat, quod monachi ſuæ tantummodo ſaluti, ſacerdotes autem ſuæ ſimul & populorum intenderent: atque ita iſtos in urbibus, illos in ſolitudinibus ſedem figere debere contendit: *Si officium vis exercere presbyteri, ſi epiſcopatus te, vel opus vel honos forte delectat, vive in urbibus, & caſtellis, & aliorum ſalutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis eſſe, quod diceris, monachus, id eſt ſolus, quid facis in urbibus, quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum?* Hæc S. Hieronymus, quæ iterum atque ſæpius aliis in locis (*c*) repetit; cui concinit S. Gregorius magnus Maximiano epiſcopo Syracuſano (*d*) ſcribens. Nam ſancto pontifici valde perſuaſum erat, unam eamdemque perſonam ad utrumque, ad monachatum ſcilicet & clericatum eſſe non poſſe idoneam, unde inquit de clericis: *Aut omiſſa clericatus militia, monachicis provehantur ordinibus: aut ſi in abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam*.

Monachi in quo differunt a clericis.

Clerici ſanctiores monachis eſſe debēt.

XIV. Priſcis itaque temporibus monachi ad hierarchicum ordinem minus quam hodie pertinentes, non ovibus paſcendis, ſed ſibi ſpiritualia lucra opportunius quæſituri operam dabant: quod fuit in cauſſa, quamobrem ſanctius vitæ genus a monacho ad clericale munus promovendo exegerit Eccleſia, quam a laico monachis aggregando. Porro quos monachatus excipiebat viros gravi facinore infectos, bigamos, illitteratos, publice pœnitentes, aliqua corporis parte vitiatos, ſervili conditioni obnoxios, & ſæcularis curiæ nexibus irretitos, eos clericatus omnino repudiabat; ut erudit nos Gelaſius papa I. epiſcopis noſtris ſcribens, ſimul & illis per Lucaniam, & Brutios conſtitu-

(*a*) Inſtitut. Monach. *ad Paulinum*.
(*b*) *Ad Ruſticum monachum*.
(*c*) *Ad Heliodorum*, & *ad Marcellum*.
(*d*) Hic Dipl. 104.

ſtitutis (*a*). Eapropter ex monachis, ſicut & ex laicis, niſi incumbente inexorabili neceſſitate, quum ſcilicet defuerint clerici, ad presbyterium eligi non patiebatur idem Romanus pontifex (*b*).

XV. Etſi de tanta ſeveritate aliquid inde remiſerit S. Gregorius; at cum ea tamen cautione, ut & mens canonum, & anteceſſorum ejus auſteritas in ipſa ejus indulgentia radiare videretur: agens enim de paſtoribus in locum lapſorum ſubſtituendis, primum *de clero eccleſiarum ipſarum*, inde ex *monaſteriis* electionem fieri mandat (*c*). Quid? Tantum abeſt ut antiquitus inſtruendis populis monachi præponerentur, ut ipſi ad regendos ſe idonei miniſtri non habiti, clericorum regimen ſubirent; donec ætate ejuſdem S. Gregorii facultas eis fuerit facta, quamobrem ex eadem congregatione presbyter unus ordinaretur: & quidem non ad omnia parochialia munera obeunda, ſed ad ſacra Miſſarum ſollemnia tantummodo celebranda (*d*). Quod quia inde clericos, inter & monachos Siciliæ cauſſa fuit diſſidii, volentibus clericis ut monachi neque eccleſiarum ſuarum ſacerdotes inſtituere poſſent, diutinam diſſentionem perpacavit Johannes IV. Pont. Max. ad cujus judicium litem detulerat Iſaac Syracuſanus epiſcopus, in favorem monachorum ſententia prolata (*e*).

Monachi ſub epiſcoporum cura erant.

XVI. Ceterum ad ſubjectionem, quod ſpectat: monachos ex proprio eorum inſtituto de ſorte & genere laicorum antiquitus fuiſſe, atque a reliquis laicis non prærogativa ordinum, ſed ſola artioris perfectioriſque vitæ ratione diſtinctos fuiſse, nemo veterum ivit inficias. Adi S. Auguſtinum (*f*), Caſſiodorum (*g*), & reliquos patres, monaſticæ vitæ ſcriptores locupletiſſimos. Hinc laïcali potius diſciplinæ, quam clericali ii ſubjecti, quum in crimen aliquod inciderint, non pœnam ſuſpenſionis, aut depoſitionis, clericis propriam, ſed pœnam excommunicationis laicis dari ſolitam ſubire cogebantur; quemadmodum conſtat ex conciliis, Chalcedonenſi (*h*), Trullano (*i*), & aliis perquam multis. Et ſingillatim de monachis Siculis fidem aſtruit S. Gregorius, Petro ſubdiacono ſcribens (*k*). Et iterum in epiſtola ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum (*l*). Et in epiſtola ad Euſebium abbatem ab ipſo Maximiano jam excommunicatum (*m*). No-

De ſorte & genere laicorum ab initio fuerunt.

(*a*) Dipl. XXXII. ſub cap. 2.
(*b*) Cit. Dipl. XXXII. cap. 2. & 24.
(*c*) Dipl. LXIV.
(*d*) Dipl. CXXXI. CLXXIX. CCXLVII.
(*e*) Dipl. CCLXVII.
(*f*) Lib. I. *de moribus Eccleſ. Cathol.* cap. 31.
(*g*) Collat. 18. cap. 4.
(*h*) Can. 2. & 8.
(*i*) Cap. 28.
(*k*) Dipl. LXXXVI. §. *Præterea cognoſcas*.
(*l*) Dipl. LXXXVIII.
(*m*) Dipl. LXXXIX.

Notum quoque eſt illud quod clericum in crimina prolapſum a publica pœnitentia eximebat vetus Eccleſiæ diſciplina, ne ſcandalum in populo generaretur, & clericalis dignitas vileſceret; non ita & monachum, cui non ſecus ac laico pœnitentia hæc imponebatur; ut ex epiſtola (*a*) Gelaſii papæ I. ſæpius laudata haud obſcure colligitur. Plura in hoc genus argumenti exhibet eruditiſſimus Morinus (*b*).

Monachorum privilegia non exemptionem fori, ſed immunitatē bonorum reſpiciebant.

XVII. Ab inſtituto igitur clericali diſtincti quum eſſent monachi & ſeparati, epiſcopis nihilo ſecus ac laici, de quorum ſorte erant, ſubdebantur, nulla prorſus exemptione, aut immunitate gaudentes. Et licet ſæculo ſexto & deinceps varia monachis privilegia conceſſa fuerint; at conceſſiones tamen ejuſmodi, jura illa dumtaxat reſpiciebant, quæ temporalibus monachorum bonis, & quieti favebant, non autem quæ exemptioni ab juriſdictione ordinariorum. Quapropter privilegia omnia, exemptiones, & immunitates ab initio ad ſæculum uſque undecimum monachis, & monaſteriis indulta, nullum omnino vulnus canonicæ & ſpiritali epiſcoporum in monachos auctoritati infligebant; ut ex propoſito probant, Ludovicus Thomaſinus (*c*), & Bernardus Van-Eſpen (*d*).

Id potiſſimum obtinuit in Sicilia.

XVIII. Et diſciplinam hanc in noſtra potiſſimum Sicilia obtinuiſſe, nullum dubitandi locum relinquunt tres epiſtolæ S. Gregorii ſupra n. xv. laudatæ, una ſcripta Petro ſubdiacono, altera Maximiano epiſcopo Syracuſano, tertia Euſebio abbati; ex quibus plane liquet, epiſcopalis muneris fuiſſe, monachos monachorumque abbates etiam excommunicationis ſententia ferire. Item ex epiſtola quam ipſemet S. Gregorius Leoni epiſcopo Catanenſi dedit (*e*), quem de negligentia arguit, quod junctos mulieribus monachos monaſterii S. Viti, digna emendatione corrigere detrectaverat. Rurſus ex epiſtola Victori epiſcopo Panormitano inſcripta (*f*), ut quem depoſuerat Gregorium abbatem monaſterii S. Theodori, ob diuturnam ab eo actam pœnitentiam, reſtituat. Et diſciplina hæc tanti erat, ut neque mortuo proprio epiſcopo, ceſſare videbatur: eapropter viſitantibus vacantes eccleſias epiſcopis, monachorum, monaſteriorumque cura demandari ſolebat. Conſule ipſum S. Gregorium in epiſtola ad Barbarum Beneventanum epiſcopum (*g*), Panormitanæ eccleſiæ viſitatorem ſub conſueta formula inſtitutum: *Monaſteria autem, ſiqua ſunt in ipſius conſtituta parochia, ſub tua cura diſpoſitioneque, quouſque illic proprius fuerit ordinatus epiſcopus, eſſe concedimus.*

CA-

(*a*) Dipl. xxxii. cap. 2.
(*b*) Lib. 6. *de Adminiſtr. Sacrament. Pœnit.* cap. 13.
(*c*) *De Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl.* par. 1. lib. 3. cap. 26. & 27.
(*d*) Oper. Canon. par. 3. tit. 12. cap. 2.
(*e*) Dipl. clxxxviii.
(*f*) Dipl. cxii.
(*g*) Dipl. ccli.

CAPUT III.

De monaſteriis Siciliæ per decem priora ſæcula.

XIX. EX omnibus monaſteriis quæ per decem priora Eccleſiæ ſæcula apud ſcriptores ſuſpicionis expertes, conſtructa in Sicilia leguntur, illud primum, cui ædificando ante finem ſæculi quinti operam dederat Eulalius Syracuſanus epiſcopus vir de monaſtico inſtituto optime meritus; quemadmodum refert auctor hiſtoriæ S. Fulgentii Ruſpenſis epiſcopi, cujus verba exſcripſimus ſupra ſub num. v. Incertum quidem eſt, num monaſterio huic aliquid commune fuerit cum aliquo ex Syracuſanis illis, de quibus aptius agemus infra. Monaſterium Eulalii Ep. Syracuſani.

XX. Poſt Syracuſanum Eulalii monaſterium ſex illa locum obtinent, quæ a S. Gregorio, quum adhuc prætoris Urbani officio fungeretur, ædificata ſunt, ut referunt qui de rebus per eum geſtis hiſtoriam ſcripſerunt, Gregorius Turonenſis, Paulus Diaconus, & Johannes Diaconus. Porro inquit Gregorius Turonenſis (*a*): *In rebus propriis ſex in Sicilia monaſteria congregavit*. Paulus Diaconus (*b*): *Sex denique in Sicilia monaſteria conſtruens, fratres illic Chriſto ſervituros aggregavit*. Et Johannes Diaconus (*c*): *Tandem patre orbatus, ubi liberam diſponendarum rerum ſuarum nactus eſt facultatem, ſex monaſteria in Sicilia fabricans, ſufficientibus fratribus cumulavit: quibus tantum prædiorum contulit, quantum poſſet ad victum quotidianum Deo illic militantium ſine indigentia ſuffragari*. Quibus fidem conciliat hodiernum Breviarium Romanum (*d*); *Et prætorio officio functus, patre mortuo ſex monaſteria in Sicilia ædificavit*. Ubinam hæc ſita fuerint monaſteria, vehementer inter ſe diſſentiunt ſcriptores noſtrales. Panormo honorem hunc, reclamantibus aliis (*e*), tribuit Rocchus Pyrrhus (*f*), cui abſque majori delectu adhæret Annalium Benedictinorum ſcriptor Johannes Mabillonius (*g*). Optandum ſane eſſet, ut ſicuti de Panormitano monaſterio S. Hermæ clariſſimum teſtimonium exhibet idem S Gregorius, ita de aliis aut ipſe, aut ſcriptores æque graves indubiam fidem redderent. Ergo donec major lux mentibus noſtris non oriatur, qua pulſis antiquitatis tenebris, veritas clarior pateſiat, qualia fuerint monaſteria ejuſmodi, divi- Sex Monaſteria Gregoriana.

(*a*) Lib. 10. cap. 1.
(*b*) Cap. 4.
(*c*) Lib. 1. cap. 5.
(*d*) In feſto S. Gregor. PP. die 12. Martii lect. 4.
(*e*) Apud Cajetanum Iſag. *ad Hiſtor. Sicul.* cap. 41.
(*f*) Lib. 4. part. 2. pag. 155. & ſeq.
(*g*) Annal. Benedict. lib. 6. pag. 164.

divinare ſuperſedemus; & ad alia exhibenda accedimus, licet non ignoremus in iſtis illa includi forſitan poſſe.

Monaſterium S. Theodori Panormi.

XXI. Idem S. Gregorius in epiſtola, quam Petro ſubdiacono, & rectori patrimonii S. Petri in Sicilia inſcripſit (*a*), meminit *monaſterii S. Theodori in Sicilia provincia, territorio Panormitano conſtituti*. Et rurſus in epiſtola (*b*) ad Victorem epiſcopum Panormitanum, dicens: *Latorem præſentium Gregorium abbatem, atque preſbyterum monaſterii S. Theodori, nulla quidem ratio permittebat, ut poſt lapſum cellæ ipſius pene generalem, ultra ei præeſſe debuiſſet*.

S. Theodori Meſſanæ.

XXII. Aliud ejuſdem S. Theodori nomine inſignitum exſtabat Meſſanæ, cujus recordatur ipſe idem S. Gregorius Felici epiſcopo Meſſanenſi ſcribens (*c*): *Beati Theodori monaſterium in civitate tua fundatum*. Et iterum in epiſtola, quam Petro ſubdiacono, & rectori patrimonii Siculi dedit (*d*): *Qua de re præcipimus, eoſdem monachos te omni cura & ſolicitudine perquiſitos, ad unum reducere, & cum memorato epiſcopo, rectoreque ſuo in monaſterio ſancti Theodori in Meſſanenſi civitate poſito, collocare*.

Cella-Fratrum Panormi.

XXIII. Sequitur Panormitanum monaſterium, *Cella-Fratrum*, vel aliter appellatum, quod memorat antedictus S. Gregorius eidem Petro ſubdiacono ſcribens (*e*): *Oratorium beatæ Mariæ, quod nuper in Cella-Fratrum ædificatum eſt, ubi Marinianus abbas præeſſe dignoſcitur*. Conſule quæ expoſuimus in monitis ad eamdem epiſtolam.

S. Gregorii in maſſa *Marato*.

XXIV. Ex ipſo eodem S. Gregorio in epiſtola ad Stephanum chartularium (*f*) nobis innoteſcit, monaſterium S. Gregorii ſitum in maſſa Marato: *Inſinuatum igitur nobis in maſſa quæ nuncupatur Marato, abbate monaſterii S. Gregorii, quod in eadem ſitum eſt, duos monachos refugiſſe*. Incertum nunc eſt, in qua Siciliæ parte exſtiterit hæc maſſa Marato: hinc ejuſdem monaſterii ſitus divinari nullatenus poteſt.

Monaſterium monialium in fundo *Monotheo*.

XXV. In epiſtola ſequente ejuſdem S. Gregorii (*g*), quæ epigraphin portat, *Petro ſubdiacono Siciliæ*, fit mentio monaſterii ſanctimonialium ædificati in fundo Monotheo: *Indicante mihi Romano defenſore, cognovi quia monaſterium ancillarum Dei, quod eſt in fundo Monotheo, ab eccleſia noſtra de villa nova, de fundo juris ſui violentiam pertulit*.

Prætorianum Panormi.

XXVI. Ex eadem epiſtola erudimus Panormi alterum monaſterium exſtitiſſe, nomine Prætorianum: *Fratre autem Mariniano abbate indicante, cognovi quia fabrica in Prætoriano monaſterio nec ad medietatem quidem adhuc perducta eſt*. Et infra: *Codicem autem Heptatici de ſubſtantia Antonini dari volumus in monaſterio Prætoriano, reli-*

(*a*) Hic Dipl. LXIII.
(*b*) Dipl. CXII.
(*c*) Dipl. LXVII.
(*d*) Dipl. LXVIII.
(*e*) Dipl. LXXI.
(*f*) Dipl. LXXXV.
(*g*) Dipl. LXXXVI.

reliquos tecum deferri. Hocce monaſterium idem eſſe putamus, de quo ipſemet S. Gregorius Victori epiſcopo Panormitano hæc ſcribit (*a*): *Et ideo quia monachorum congregatio, quæ in monaſterio Præcoritano conſiſtit, pro ſacris miſſarum ſollemnitatibus peragendis presbyteri indigere probatur officio*, &c.

XXVII. Idem S. Gregorius in epiſtola ad Theodorum epiſcopum Lilybœtanum (*b*) monaſterium quoddam memorat, in quo Paulus epiſcopus ſede depoſitus, in pœnitentiam reperiebatur deputatus: *Paulum præterea quondam epiſcopum in monaſterio, in quo eſt, in pœnitentia volumus permanere*. Lilybœtanum.

XXVIII. Supra agentes de ſex monaſteriis a S. Gregorio in Sicilia ædificatis, illud S. Hermæ, vel Hermetis urbis Panormi, inter ea recenſendum eſſe indicavimus. Quod, ſi me conjectura mea non fallit, extra omnem ingenii aleam poſitum eſſe, liquet ex epiſtola ejuſdem S. Gregorii, Victori epiſcopo Panormitano inſcripta (*c*): ubi S. Pontifex Urbicum monaſterii ſui præpoſitum eſſe refert: *Ut Urbicus monaſterii mei præpoſitus dare aliquem de ſervis Dei debeat*. Adjuncta epiſtola alia ad eumdem Urbicum data. Ibi: *Valde me contriſtatum dilectio tua cognoſcat; quod tantam in congregatione monaſterii noſtri confuſionem eveniſſe cognovi*, &c. Urbicum autem antedicto monaſterio S. Hermæ præfuiſſe, dubitare non ſinit ipſemet S. Gregorius in epiſtola (*d*), quam antedicto Victori Panormitano epiſcopo dedit: *Urbicus abbas monaſterii S. Hermæ, quod Panormi ſitum eſt*. Item & in alia data (*e*), *Urbico abbati monaſterii S. Hermetis, quod in Panormo ſitum eſt*. S. Hermæ Panormi.

XXIX. Monaſterio huic proxime accedit illud ſanctimonialium ſub titulo S. Martini, cujus meminit ipſe idem S. Gregorius in epiſtola ad Victorem epiſcopum Panormitanum (*f*): *Præterea ex monaſterio ancillarum Dei, quod eſt ſancti Martini, Martiam ſanctimonialem feminam in monaſterium aliud injuſte audio fuiſſe migratam*. S. Martini monialium Panormi.

XXX. Ex verbis S. Gregorii modo exſcriptis, aliud nobis monaſterium ancillarum Dei, Panormi quoque ſitum, innoteſcit, illud nimirum, in quod Martia ſanctimonialis ex antedicto monaſterio S. Martini injuſte fuerat translata. Aliud monialium Panormi.

XXXI. Hic commemorandum venit aliud Panormitanum monaſterium S. Adriani, cujus ſemel atque iterum recordatur idem S. Gregorius. Primum in epiſtola ad Petrum ſubdiaconum, & rectorem patrimonii Siculi (*g*): *Inſinuatum nobis eſt, Marcellum Barunitanæ eccleſiæ, ibidem in Panormitana civitate, in monaſterio S. Adriani in pœnitentiam deputatum, non ſolum victus neceſſitatem pati, ſed & nudi-* S. Adriani Panormi.

(*a*) Dipl. CLXXIX.
(*b*) Dipl. XCVI.
(*c*) Dipl. CXII.
(*d*) Dipl. CXXXI.
(*e*) Dipl. CXXXIV.
(*f*) Dipl. CXII.
(*g*) Dipl. LXIV.

nuditatis nimiam ſuſtinere moleſtiam. Tum Adeodato ejuſdem monaſterii monacho ſcribens (*a*) : *Quia igitur priuſquam in monaſterio S. Adriani, ubi es converſus, intrares, rerumque tuarum illic donationem emitteres*, &c.

S. Petri *ad Bajas*.

XXXII. His ſuccedit monaſterium S. Petri conſtituti in loco, cui nomen *Bajas*, de quo hæc habet S. Gregorius ſuperius laudatus Johanni epiſcopo Syracuſano ſcribens (*b*) : *Quia ergo indicante Cæſareo abbate monaſterii S. Petri, quod in loco eſt, qui Bajas dicitur, conſtitutum, comperimus inter eum, & Johannem abbatem monaſterii ſanctæ Luciæ in Syracuſana civitate conſtituti, gravem eſſe exortam de quibuſdam finibus quæſtionem*, &c. Idem monaſterium memorant præterea Acta concilii III. ſub Agathone celebrati, & Anaſtaſius Bibliothecarius (*c*), quorum teſtimonia expendimus ſupra in admonitionibus ad Dipl. CXXXVIII.

S. Luciæ Syracuſarum.

XXXIII. Quæ modo laudavimus S. Gregorii verba erudiunt nos, aliud Syracuſis exſtitiſſe monaſterium ſub invocatione *S. Luciæ*, cujus S. Gregorio papa, præfecturam gerebat Johannes abbas. De eodem monaſterio agit quoque ipſemet S. Gregorius in altera ad ipſum Johannem epiſcopum Syracuſanum epiſtola (*d*). Ibi : *Quorumdam ad nos relatione pervenit, Coſmam qui ex monacho monaſterii ſanctæ Luciæ a deceſſore veſtro venerandæ memoriæ Maximiano in eccleſia Syracuſana factus ſubdiaconus*, &c. In vita S. Clementis abbatis Syracuſani (*e*) legitur, eum ejuſdem monaſterii præfecturam olim geſſiſſe : *Clemens monaſterii ſanctæ Luciæ præfectus, haud longe Syracuſis*.

Aliud Syracuſanum.

XXXIV. Ab utroque monaſterio ſuperius laudato diverſum omnino fuit monaſterium illud, Syracuſis quoque conſtructum, cujus meminit ipſemet S. Gregorius in epiſtola ad Romanum defenſorem Siciliæ (*f*). Porro monaſterii S. Petri de *Bajas* Cæſareus abbas erat; monaſterii S. Luciæ Johannes; iſtius autem Trajanus, ad Melitenſem epiſcopatum inde evectus. Pergit itaque ſanctus pontifex : *Præterea petiit a nobis ſupraſcriptus Trajanus frater noſter, ut de monaſterio ſuo, quod in civitate Syracuſana ſitum eſt, ei quatuor vel quinque dari monachi debuiſſent*.

S. Stephani monialium Agrigenti.

XXXV. Sequitur Agrigentinum monaſterium ancillarum Dei, ſancto Stephano dicatum, quod memorat idem S. Gregorius papa I. Fantino defenſori ſcribens (*g*) : *Domna*, inquit, *abbatiſſa monaſterii ſancti Stephani, quod in Agrigento eſt territorio conſtitutum, indicante, comperimus, multos Judæorum ad Chriſtianam fidem, divina gratia inſpi-*

(*a*) Dipl. CCL.
(*b*) Dipl. CXXXVIII.
(*c*) *In Agathone I. Pontif. Max.*
(*d*) Dipl. CCLVII.
(*e*) Apud Octavium Cajetanum *de SS. Siculis* tom. 2. pag. 41.
(*f*) Dipl. CLXXXII.
(*g*) Dipl. CXLVII.

inſpirante, velle converti. Socii Bollandiani antiquæ editionis lectionem abſque majori delectu ſecuti, loco *Domna* ſcripſerunt *Domnina*; quam vocem in nullo manuſcripto codice, ut referunt Monachi Benedictini, reperiri fas eſt. Conſule, quæ dedimus in notis ad eamdem epiſtolam.

XXXVI. Ipſe idem S. Gregorius ſcribens defenſori ſuo in Sicilia, cui nomen Romanus (*a*), monaſterium aliud commemorat, quod Ruſtica illuſtris femina, Felicis uxor, ædificari ex bonis ſuis ordinaverat. Licet incompertum ſit, num tandem ad exitum venerit diu protracta pia teſtatricis diſpoſitio: *Nobis noſcitur intimaſſe, Ruſticam quondam illuſtrem feminam ante annos fere viginti & unum, primum condito teſtamento, Felicem jugalem ſuum inſtituiſſe, eique de conſtruendo illic in Sicilia monaſterio hac conditione interpoſita delegaſſe*, &c.

Monaſterium a Ruſtica quadam illuſtri femina ordinatum.

XXXVII. Aliud Panormi monaſterium ſub invocatione ſanctorum Maximi & Agathæ, quod & *Lucuſcanum*, ſeu *Lucuſianum* dicebatur, exſtitiſſe diſcimus ex antedicto S. Gregorio. Qui ad Antoninum ſubdiaconum, & Dometium abbatem atque presbyterum ſcribens (*b*): *Et ideo*, inquit, *quia de poſſeſſionibus, Fajano, Naſoniano, & Libiniano poſitis in provincia Sicilia, territorio Panormitano, de quibus præpoſitos monaſterii SS. Maximi & Agathæ, quod Lucuſcanum dicitur, & e diverſo adminiſtratores xenodochii in hac urbe Roma conſtituti, quod Valerii nuncupatur, longa ſe traxit contentio*. Rurſus Urbicum abbatem alloquens (*c*): *Tantam in congregatione monaſterii noſtri confuſionem eveniſſe cognovi, quod dum de ordinando abbate aliquid in Lucuſiano monaſterio diſponeres, non unum, ſed pene duos abbates feciſti*.

Lucuſcanum, ſeu SS. Maximi & Agathæ Panormi.

XXXVIII. Eodem ferme tempore exſtabat monaſterium S. Viti, poſiti in monte Ætna Catanenſis diœceſeos, de quo agit antedictus S. Gregorius in epiſtola ad Leonem epiſcopum Catanenſem (*d*): *Martianus monachus monaſterii S. Viti, quod in Ætna monte eſt poſitum*, &c. Et iterum in epiſtola ad Adrianum notarium ſuum in Sicilia (*e*): *Veniens autem ad nos Martianus monachus monaſterii S. Viti, quod in monte Ætna eſt poſitum*.

S. Viti in mõte Ætna.

XXXIX. Alterum in ipſa urbe Catanæ fuiſſe, cui ædificando operam dederat vir quidam religioſus, Julianus nomine, erudimur ex antedicto S. Gregorio in epiſtola ad ipſum eumdem Julianum (*f*): *Monaſterio itaque veſtro, quod a vobis in Catanenſi urbe conſtructum eſt per Adrianum notarium & rectorem patrimonii emiſſa præcepti pagina, decem annuos ſolidos dari deputavimus*.

Catanenſe a Juliano ædificatum.

(*a*) Dipl. CLXII.
(*b*) Dipl. CLXV.
(*c*) Dipl. CCXXV.
(*d*) Dipl. CLXXXVIII.
(*e*) Dipl. CLXXXIX.
(*f*) Dipl. CCLV.

S.Chriſtophori in Tauromenitana diœceſi.

XL. Monaſterium S. Chriſtophori in Tauromenitana diœceſi conſtitutum memorat ipſemet S. Gregorius, Secundino epiſcopo Tauromenitano ſcribens (*a*): *Aliter nobis de cauſſa eccleſiæ contra monaſterium ſancti Chriſtophori, quod in veſtra diœceſi eſt conſtitutum, intimaſſe.*

SS.Petri, Laurentii, &c. monialium Lilybœi.

XLI. Monaſterium ſanctimonialium ab Adeodata illuſtri femina in civitate Lilybœtana conſtructum, nobis innoteſcit ex eodem S. Gregorio, in ea, quam ipſi Adeodatæ dedit, epiſtola (*b*): *Et ſicut religioſa devotione terrena ſanctorum honoribus loca conſtruitis, ſic quoque cum eis manſionem vobis procurare in cæleſtibus feſtinetis.* Rurſus in epiſtola ejuſdem argumenti Decio epiſcopo Lilybœtano inſcripta (*c*): *Adeodata glorioſa femina petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis: in domo ſiquidem juris ſui intra civitatem Lilybœtanam monaſterium ancillarum Dei a ſolo ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem beati Petri principis apoſtolorum, & ſanctorum Chriſti martyrum, Laurentii, Hermetis, Pancratii, Sebaſtiani, & Agnetis deſiderat conſecrari.* Et iterum Hilario notario ſcribens (*d*): *Navem in qua Vitalis præſentium portitor navigat, ad dilectiſſimam filiam noſtram Adeodatam abbatiſſam pro ſuſtentatione monaſterii ſui emiſſam cognoſcas.*

Leontinum.

XLII. Ipſe idem S. Gregorius in epiſtola ad Lucidum epiſcopum Leontinum (*e*) agit de monaſterio alio, in ipſa civitate, vel diœceſi Leontina conſtructo, cui Johannes abbas præerat: *Filius noſter*, inquit, *Johannes abbas, presbyterum ſibi in monaſterio ſuo, ex congregatione eadem petiit ordinandum.*

Tauromenitanum.

XLIII. Ex Chronico quodam Benedictino, quod exſcribunt & laudant, Cajetanus noſter (*f*), & continuator Johannis Bollandi Godefridus Henſchenius (*g*), exhauritur notitia *monaſterii poſiti apud Tauromenium Siciliæ*, cui præfuit ſimul & profuit S. Attalus abbas celebris in Calendario ordinis S. Benedicti die III. Aprilis (*h*).

S. Philippi de Agyrio.

XLIV. Ex Actis cujuſcumque fidei S. Philippi de Agyrio, ex ingenua item hiſtoria S. Lucas-Caſalii, S. Leonis-Lucas, S. Vitalis, S. Lucæ-Demanæ, & S. Sabæ indubiam notitiam nanciſcimur monaſterii S. Philippi de Agyrio, longe ante Nortmannorum in Siciliam adventum ædificati. Conſule qui ejuſdem monaſterii notitiam concinnavit

(*a*) Dipl. CXCIV.
(*b*) Dipl. CCVIII.
(*c*) Dipl. CCIX.
(*d*) Dipl. CCX.
(*e*) Dipl. CCXLVII.
(*f*) Tom. I. *Sanctor. Siculor.* pag. 32.
(*g*) Act. SS. menſis Aprilis die 3. pag. 253.
(*h*) Gabriel. Bucel. *Menol. Bened.* die 3. Aprilis.

navit Vitus Amico, vir de ſtudio venerandæ antiquitatis optime meritus (a).

XLV. Monaſterium S. Nicandri Meſſanæ Nortmannorum ætate antiquius eſſe paſſim creditur: utpote ſolitaria illuſtratum vita illius S. Nicandri qui ad Saracenorum tyrannidem declinandam, e Calabria una cum ſociis nono ineunte ſæculo, in noſtram hanc inſulam trajecto freto navigavit, & prope Meſſanam ſedem ſuam conſtituit. De ejus in Siciliam adventu, & ſolitariæ vitæ ſtudio hæc repræſentat antiquus Codex monaſterii S. Salvatoris Meſſanæ (b): *Ii ſane omnes navigii velis, aliſque animorum expanſis navigantes, ac ſuperatis fluctibus maris, ventorumque tempeſtatibus, periculoſiſſimi freti anguſtias trajicientes ad præclariſſimam Siciliæ inſulam appulerunt; hic quietem tranquillitatemque ſuis exercitationum ſtudiis idoneam invenere: etenim in collibus maritimis, qui Europæ partem e regione ſpectant, rupis foramen ad ſpeluncæ formam, atque ibi torrentem forte nacti, eo loci habitare decreverunt, anguſtiſſimumque antrum, dixerim melius ſepulchrum, aptam ſibi domum exiſtimantes; hæc, dicebant, cariſſima jucundiſſimaque noſtra ſit domus, hoc tabernaculum, quo duce cæleſtis Jeruſalem cives, incolaſque nos aliquando fore ſperamus: vilis hæc tenuiſque nullis architecti fabricata manibus, ſed feliciſſima ac beatiſsima habitatio præpotenti Deo nos ſedulo vacantes excipiet.* S. Nicandri Meſſanæ.

XLVI. Monaſterium S. Placidi Meſſanæ ad altiſſima tempora S. Benedicti ad annum ſcilicet 539. ſubſtollit Pyrrhus (c), bullam Sixti V. de inventione corporis ejuſdem ſancti reveritus. Quem conſule, & præterea vide quæ dedimus ſupra cap. 11. n. 7. S. Placidi Meſſanæ.

XLVII. Qui mox a nobis laudatus eſt Pyrrhus, hiſtoriam monaſterii S. Georgii de Triocala texens (d), idem monaſterium ante Saracenos exſtitiſſe ſuſpicatur, ſumpto argumento ex illo diplomate comitis Rogerii, in quo ipſum idem monaſterium a nefandis Saracenis deſtructum dicitur, & priſtinæ ſuæ formæ ab ipſo Rogerio reſtitutum. Porro S. Georgii cultum ex antiquiſſimis jam temporibus apud Siculos obtinuiſſe, clare monſtravimus in monitis ad epiſtolam S. Gregorii magni Mariano abbati inſcripta (e). S. Georgii de Triocala.

XLVIII. Demum Catanenſe monaſterium quod ab inſtitutore ſuo S. Leone nomen accipiens, S. Leonis cœnobium cognominatum fuit. Adi doctiſſimum Vitum Amico (f). S. Leonis Catanæ.

DIS-

(a) *Sicil. Sacr.* lib. 4. par. 2. notit. 13.
(b) Apud Oct. Cajetanum tom. 2. *SS. Siculor.* pag. 38.
(c) *Sicil. Sacr.* lib. 4. part. 2. notit. 3.
(d) Eod. lib. 4. par. 1. notit. 6.
(e) Hic Dipl. ccxxxI.
(f) *Sicil. Sacr.* lib. 4., par. 2. notit. 4. pag. 2.

DISSERTATIO IV.

De antiqua diſciplina Eccleſiæ Siculæ in conferendo ſacramento baptiſmi adhibita.

CAPUT I.

De tempore baptiſmi ſollemnis.

Varietas rituum baptiſmi.

I. CÆrimoniæ baptiſmi, de quibus in hac Diſſertatione ſumus acturi, non eædem olim apud Siculos fuerunt, ac nunc ſunt: iccirco non in vacuum me laborare reor, ſi varietates omnes, quæ ob temporum viciſſitudines in has cærimonias adhibendas irrepſerunt, exponerem: & primum quidem circa tempus, tum circa locum, inde circa miniſtrum, poſtea circa prærequiſitas diſpoſitiones baptizandorum, demum circa trinam immerſionem. Id unum primum monere par fuerit, ut pro orationibus, quæ baptiſmum ipſum comitabantur, Tractatus noſter *de Divinis Siculorum Officiis* Cap. XXIX. conſulatur, ubi eas ex antiquo Miſſali Panormitanæ eccleſiæ exſcripſimus: has ſiquidem iterum recudere nec juvat, nec decet, nec ipſa Diſſertationis conſtituta brevitas jam patitur.

Baptiſmus in vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes olim celebratus.

II. Non omnes olim dies, ſed duo ſolummodo, vigiliam ſcilicet Paſchæ & vigiliam Pentecoſtes, in toto integro anno ad conferendum baptiſma ſollemne ab eccleſia Romana, aliiſque ei adjacentibus deſignatos fuiſſe, teſtes ſunt, Tertullianus (*a*), Siricius papa (*b*), ſanctus Hieronymus (*c*), Fortunatus (*d*), S. Gregorius magnus (*e*), & Gregorius papa II. (*f*). Diſciplinam hanc ab initio in Sicilia quoque obtinuiſſe, non obſcure colligere licet ex divo Innocentio papa I. (*g*), qui loquens de Siculis ab apoſtolorum principe S. Petro ad fidem in Chriſtum deductis: *Oportet*, inquit, *eos hoc ſequi, quod eccleſia Romana cuſtodit: a qua eos principium accepiſſe non dubium eſt*. Idque dubitare non ſinit Paſchaſinus noſter Lilybœi epiſcopus in epiſtola, quam S. Leoni magno ſcripſit (*h*), ubi Paſchale ſolummodo tempus, pontifice Zoſimo, & conſulibus Honorio auguſto undecies, & Conſtantino iterum, id eſt anno Chriſti 417. ad celebrandum baptiſma ſollemne cum Occidentalibus omnibus agnoviſſe Siculos, pro certo

(*a*) Lib. *de Baptiſmo* cap. 19.
(*b*) Epiſt. ad Himerium Tarracon.
(*c*) Ad Pammachium adverſus Johan. Jeroſol.
(*d*) Lib. 3. carm. 7. & lib. 5. carm. 4.
(*e*) In ſacramentario libro.
(*f*) Epiſt. ad clerum, & plebem Thuringiæ.
(*g*) Epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſc.
(*h*) Hic Dipl. XXVI.

certo habet; atque miraculo comprobatum eſſe refert. Teſtatur enim quod in parva quadam poſſeſſione Meltina appellata, fons baptiſmalis in ſola Paſcha divinitus implebatur: *Quædam*, inquit, *viliſſima poſſeſſio, Meltinas appellatur in montibus arduis, ac ſilvis denſiſſimis conſtituta, illicque per parva, atque vili opere conſtructa eſt eccleſia. In cujus baptiſterio nocte ſacroſancta Paſchali baptizandi hora, quum nullus canalis, nulla ſit fiſtula, nec aqua omnino vicina, fons ex ſe repletur, paucisque qui fuerint, conſecratis, quum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex ſeſe diſcedit. Tunc ergo, ſicut ſupra diximus, ſub ſanctæ memoriæ Domino quondam meo ac beatiſſimo papa Zoſimo, quum apud Occidentales error ortus fuiſſet, conſuetis lectionibus nocte ſancta diſcuſsis, quum presbyter ſecundum morem baptizandi horam requireret, uſque ad lucem aqua non veniente, non conſecrati, qui baptizandi fuerant, recenſerunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte quæ luceſcebat in diem dominicam, decimo die Calend. Maji fons ſacer hora competenti repletus eſt. Evidenti ergo miraculo claruit, Occidentalium partium fuiſſe errorem*. Quod miraculum quoque refert, & aliis præterea exemplis confirmat eruditiſſimus Martene (*a*).

III. Sed non multo inde interiecto tempore, anno ſcilicet 447. eadem Sicilia a S. Leone magno inventa eſt ritui a Romano plane diverſo addicta: quum in die Epiphaniæ baptiſmi ſacramentum numeroſius, quam in Paſchali tempore celebraret: quare S. Pontifex (*b*) univerſos epiſcopos per eamdem provinciam conſtitutos de nova obſervantia redarguit; ſimul & hortatus eſt, ut priſtinam Romanæ eccleſiæ conſuetudinem reaſſumentes, extra duo illa tempora Paſchæ, & Pentecoſtes neminem in poſterum baptizarent.

Siculi in Epiphania baptiſmũ quoque celebrant.

IV. Corruptelam hanc ex Africanis exhauſiſſe Siculos, nullus dubitat quem duo non latent: alterum eſt, quod Africanis baptizandi in Epiphania conſuetudo erat; alterum eſt, quod Siculi commercia tunc temporis cum Africanis frequentiora habebant. De primo teſtimonium perhibet antiquus & gravis ſcriptor Victor Vitenſis (*c*), qui agens de quodam Felice cæco civitatis Carthaginis: *Hic*, inquit, *viſitatur a Domino, diciturque ei nocte perviſum, dies enim Epiphaniorum illuceſcebat: ſurge, vade ad ſervum meum Eugenium epiſcopum, & dices ei quia ego te ad illum direxi. Et illa hora qua benedicet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur, & videbis lumen*. Alterum plane liquet ex monumentis perſecutionis Vandalicæ, quæ nos laudavimus in monitis ad Dipl. XXVI. & XXXV. nam quum Siciliam anno 440. Vandali ex Africa transfretarunt, Siculorum in Africam, & Africanorum in Siciliam frequens admodum eſſe cœpit navigatio: maxime epiſcoporum, honoratorumque viro-

Ex Africanis ritum hunc mutuantur.

(*a*) *De Antiq. Eccl. Ritib.* lib. I. cap. I. art. 14. n. 3.
(*b*) Epiſt. 16. alias 4. hic Dipl. XXIX.
(*c*) *De Perſecut. Vandal.* lib. 2. n. 17.

virorum, qui ſervi effecti Vandalorum, captivi ab eis ducti ſunt in Africam. Quorum unus fuit antedictus Paſchaſinus Lilybœtanus epiſcopus, qui conſolanti de ærumnis ſuis S. Leoni ita reſpondit (*a*): *Apoſtolatus veſtri ſcripta diacono Panormitanæ eccleſiæ Silano deferente percepi, quæ nuditati meæ, atque ærumnis, quas amariſsima captivitate faciente, incurri, ſolatium in omnibus, atque remedium attulerunt, cæleſti rore meum animum recreantes, atque omne quod triſte fuerat, abſtergentes domine venerabilis papa.*

A S. Leone magno de admiſſa novitate redarguũtur.

V. Ergo S. Leo, quod Siculi ex uſu commerciiſque Africanorum baptiſmi tempora corruperant, feſtum Epiphaniæ libentius, quam Paſchæ & Pentecoſtes deligentes, eos fortiter redarguit, atque ad priſtinam Romanam diſciplinam rurſum retrahere conatur: non quod invalidus omnino eſſet baptiſmus quocumque tempore celebratus; ſed quia Siculi Romani patriarchatus quum eſſent, ab obſervanda Romanorum diſciplina ſe ſubtraxerant (*b*): *Quam culpam* (ejus verba exſcribimus) *nullo modo potuiſſetis incidere, ſi unde conſecrationem honoris accipitis, inde legem totius obſervantiæ ſumeretis; & beati Petri apoſtoli ſedes, quæ vobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet eccleſiaſticæ magiſtra rationis.*

Ad priſtinam diſciplinam obſervandam a Gelaſio cõfirmantur.

VI. Deinde Gelaſius papa I. de hac diſciplina per Siciliam, Lucaniam, & Brutios cuſtodienda magnopere ſolicitus, antiquam conſuetudinem anno Chriſti 494. novo decreto confirmavit. Libeat ejus verba exhibere (*c*): *Baptizandi ſibi quiſquam paſſim quocumque tempore nullam credat intereſſe fiduciam, præter Paſchale feſtum & Pentecoſtes venerabile ſacramentum, excepto dumtaxat graviſſimi languoris incurſu: in quo verendum eſt, ne morbi creſcente periculo, ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotans exitio præventus abſcedat.*

Item & a S. Gregorio magno.

VII. Rem ulterius confirmat S. Gregorius magnus (*d*); qui intelligens quoſdam Agrigenti in Sicilia Judæos eſſe ad Chriſti fidem accedere volentes, Fantino defenſori ſuo ſcripſit, quamobrem Agrigentum proficiſcens, eorum converſioni ſedulo intenderet; ita tamen ut non urgente imminentis cladis periculo, a conferendo extra Paſchale tempus baptiſmo abhorreret. Subjiciamus ejus verba: *Quibus tamen ſi longum vel triſte videtur, ſollemnitatem ſuſtinere Paſcalem, & eos nunc ad baptiſma feſtinare cognoſcis, ne quod abſit, longa dilatio eorum retro poſsit animos revocare, cum fratre noſtro epiſcopo loci ipſius loquere, ut pœnitentia ac abſtinentia quadraginta diebus indicta, aut die Dominico, aut ſi celeberrima feſtivitas fortaſsis occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizet: quia & temporis qualitas,*

(*a*) Hic Dipl. XXVI.
(*b*) Citat. Epiſt. 16. alias 4.
(*c*) Hic Dipl. XXXII. cap. 10.
(*d*) Hic Dipl. CXLVII.

litas, propter eam, quæ ſibi imminet cladem, impellit, ut deſideria eorum nulla debeant dilatione differri.

VIII. Sed quoniam anno Chriſti 731. Sicilia per Leonis Iſaurici tyrannidem ab eccleſia Romana divulſa, Conſtantinopolitano patriarchatui contribuit, omiſſis itaque Latinis ritibus, Græcos profiteri cœpit; quemadmodum diſerte ſatis expoſuimus in noſtro *de Divinis Siculorum Officiis* Tractatu, Cap. VIII. Inter autem Græcorum ritus ille haud in ultimis erat, ut baptiſmi ſacramentum nihilo ſecus in Epiphania, quam in Paſcha & Pentecoſte conferretur, ut diſcimus ex Græcorum Euchologio, necnon ex S. Gregorio Nazianzeno (*a*), ex Theophane (*b*), & ex S. Gregorio Nyſſeno, qui in feſto Epiphaniæ orationem *de baptiſmate* dixit ad baptizandos. Ea propter Græcam hanc diſciplinam Siculi admittentes, eam ad medium uſque undecimi ſæculi cuſtodierunt. Sane circa annum 1060. principes Nortmanni exactis Saracenis Sicilia potiti, nihil duxerunt antiquius, quam ritus Latinos loco Græcorum, qui Siculis uſui erant, intromittere, uti ex propoſito monſtravimus in antedicto Tractatu noſtro *de Divin. Sicul. Offic.* Cap. XII. Iccirco Latinorum ritibus Siculi rurſum adhærentes, extra Paſcham & Pentecoſten baptiſma celebrari adeo abhorruerunt, ut condito pœnitentiali canone definirent: *Ut qui infantem, niſi in Paſchate & Pentecoſte obtu erit baptizandum, decem dies, in pane, & aqua pœniteat.* Ex MS. Cod. Pœnitentiali Panormitanæ noſtræ eccleſiæ ſex circiter ſæculorum, quem laudavimus in citato libro *de Divin. Sicul. Offic.* Cap. XX. ex quo opere noſtro canonem illum mutuatus eſt, atque exſcripſit vir humaniſſimus, ac antiquitatis amator Angelus Zavarronius (*c*).

Ex cõmercio cum Græcis celebrationẽ in Epiphania retentant.

Nortmannorũ opera iterum omittũt.

CAPUT II.

De loco & forma antiqui baptiſterii.

IX. SCriptoribus de antiquis Eccleſiæ ritibus optime meritis valde perſuaſum eſt, tribus primis Eccleſiæ ſæculis, quum nulla Chriſtianæ religionis profitendæ libertas eſſet, baptiſmum quovis in loco celebratum eſſe, in ſtagnis, in fluminibus, in carceribus, in privatis ædibus, in antris, in cæmeteriis; verum reddita poſtmodum Chriſtianis pace, & templorum publice ædificandorum facultate facta, certus ad conferendum baptiſma locus, extra quem catechumenos abluere non liceret, ſelectus fuit, qui & *baptiſterium* vocabatur. Hujuſmodi baptiſteria in eccleſiis tantum cathedralibus pri-

Baptiſmus primis tribus ſæculis ubiq; celebratus.

Inde in ſolo baptiſterio.

(*a*) Orat. 39. & 40.
(*b*) In Chron.
(*c*) Epiſt. 24.

primum erecta fuere; deinde vero non in omnibus civitatibus modo, ſed & in pagis atque viliſſimis poſſeſſionibus (*a*), intra tamen Plebanas eccleſias; extra quas, ſecluſo neceſſitatis caſu, nullatenus baptiſma conferre licebat, quemadmodum erudimur ex S. Gregorio (*b*): qui ſupplici petitioni cujuſdam religioſæ feminæ de conſecrando oratorio annuens, Benenato Tyndaritano epiſcopo ſcripſit, ut conſecrationi intendat, *ita ut in eodem loco, nec futuris temporibus baptiſterium conſtruatur.* Aliam idem S. Gregorius ad Secundinum Tauromenii epiſcopum dedit epiſtolam (*c*): *Ut de monaſterio ſancti Andreæ, quod eſt ſuper Maſchalas, baptiſterium propter monachorum inſolentias debuiſſet auferri*. Quæ argumento ſunt, olim ſicut & nunc, indultum minime fuiſſe, ut in privatis oratoriis, aut in monachorum eccleſiis baptiſteria conſtruerentur.

Antiqui baptiſterii forma.

X. Ex epiſtola modo laudata plane etiam liquet, qualis eſſet hujuſmodi baptiſterii forma. *Sed*, inquit, *repleto loco ipſorum fontium, altare ad ſacra celebranda myſteria illic ſine aliqua dilatione fundetur*. Quibus ex verbis illud quoque licet eruere, antiqua baptiſteria, non ut noſtra, ſupra pavimentum eminuiſſe, ſed defoſſa inter terram fuiſſe. Quod & ſupponunt, S. Johannes Chryſoſtomus (*d*), S. Ambroſius (*e*), & alii patres, ex quibus dignus eſt, ut legatur S. Iſidorus (*f*), qui expreſſius formam antiqui baptiſterii deſcribens, ad eum ſeptem graduum numero deſcendi ſolitum eſſe perhibet, ipſorumque graduum myſticam ſignificationem exponit: Subjiciamus ejus verba: *Fons autem omnium gloriarum origo eſt, cujus ſeptem gradus ſunt: tres in deſcenſu, propter tria, quibus renuntiamus, tres in aſcenſu, propter tria, quæ confitemur; ſeptimus vero is eſt, qui & quartus, ſimilis filio hominis, extinguens fornacem ignis, ſtabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter*.

Plures in uno baptiſterio fôtes.

XI. Sed quoniam non unius, ſed plurium fontium in epiſtola S. Gregorii ſuperius indicata fit mentio, *repleto loco ipſorum fontium*, notatu dignum arbitramur, plures in uno baptiſterio antiquitus fuiſſe fontes, quibus tingendorum multitudini eo confluentium commodius Eccleſiæ miniſtri conſulere poſſent. Quum enim nonniſi bis, aut ter, in toto integro anno baptiſmi officium celebraretur, jam qui baptizandi erant numero plures fuiſſe, non dubium eſt; maxime propter virorum, mulierumque diſcrimen, quæ ſeparatim a viris ſacro fonti immergebantur. Adi eruditiſſimum Edmundum Martene (*g*).

CA-

(*a*) Hic, Dipl. XXVI.
(*b*) Dipl. CLXXVIII.
(*c*) Dipl. C.
(*d*) Hom. 40. in cap. 15. Epiſt. I. ad Corinth.
(*e*) Hom. 16. in Pſal. 118.
(*f*) Lib. 15. *Originum* cap. 4. & lib. 2. *de Divin. Offic.* cap. 24.
(*g*) *De Antiq. Eccl. Rit.* lib. 1. cap. 1. art. 3.

CAPUT III.

De miniſtro baptiſmi.

XII. PRimis Chriſtianæ religionis ſæculis in ſolis epiſcopis jus conferendi baptiſma reſediſſe, nullus ibit inficias, quem ſtudium ſacræ eruditionis delectat. Conſulendi ſunt, S. Ignatius martyr, Tertullianus, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Gregorius Nazianzenus, & alii ſane quam multi ultimæ antiquitatis patres, quos indicat & laudat Edmundus Martene. Quibus adde S. Gregorium, ab eodem Martene non citatum in epiſtola (*a*) ad ſex epiſcopos Siciliæ, quos hortatur, ut quum ad baptizandos infantes per dioeceſes diſcurrerint, ſubjectos ſacerdotes ultra juſtam ſummam non gravent. Unde plane liquet uſque ad initia ſeptimi ſæculi a ſolis epiſcopis in Sicilia baptiſmum fuiſſe celebratum. Id tamen neceſſario intelligi debet de ordinario miniſtro baptiſmi, non vero de extraordinario: nam de licentia epiſcopi ſacerdotes non modo, verum & diaconi poterant baptiſmum conferre; immo urgente neceſſitate extrema, & laicis id facile permiſſum erat; ut diſcimus ex ea, quam Gelaſius papa I. ſcripſit, epiſtola ad epiſcopos noſtros ſimul & illos per Lucaniam, & Brutios conſtitutos (*b*). Ubi agens de diaconis: *Abſque epiſcopo*, inquit, *vel presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis fortaſſe officiis longius conſtitutis, neceſſitas extrema compellat. Quod & laicis Chriſtianis facere plerumque conceditur.* Baptizādi poteſtas ab initio penes ſolos epiſcopos. Conceſſa inde fuit preſbyteris, diaconis, & laicis.

XIII. Ceterum quod ſupra expoſuimus ex S. Gregorio de pretiis baptiſmi cauſſa per baptizaturos epiſcopos exigendis, cave intelligas, in damnum fidelium baptiſmi ſacramentum expoſcentium: jam enim Gelaſii papæ I. decreto (*c*) cautum erat, ut *baptizandis, conſignandiſque fidelibus ſacerdotes pretia nulla præfigant*. Permiſit utique S. Gregorius, ut viſitantibus proprias dioeceſes epiſcopis, & fideles baptiſmi unda abluentibus, laboris merces penderetur; non quidem a parvulis, & catechumenis, ſed a ſacerdotibus, alioquin viſitantibus epiſcopis ſolidos duo, & moderata prandia præparare debentibus (*d*). Nihil a baptizandis exigendum.

(*a*) Hic, Dipl. CCLIV.
(*b*) Dipl. XXXII.
(*c*) Dipl. XXXII. cap. 5.
(*d*) Dipl. LVIII. & LIX.

CAPUT IV.

De prævia diſpoſitione baptizandorum.

Parvulorum baptiſmus.

XIV. SI quæ a patribus circa hoc argumenti genus edita ſunt proferre in lucem vellemus, pluſculum quam par eſſet, hic immo[illegible] oporteret. Iccirco ſufficit innuere baptiſmum (quidquid ſit de [illegible]lis, quos valide, & licite baptizari cum Eccleſia catholica (*a*) contra Anabaptiſtas, & Socinianos conſtanter firmiterque tenemus) numquam fuiſſe adultis in Sicilia, quemadmodum in toto orbe terrarum adminiſtratum, niſi præviis cum diſpoſitionibus: id eſt, niſi qui petit ad baptiſmum admitti, ſufficienter exorcizetur, ac catechizetur, juxta præceptum Domini, qui in Evangelio (*b*) homines prius doceri, inde baptizari juſſit.

Catecheſis baptizandorum.

Ex apoſtolorum tempore.

XV. Rei conteſtandæ teſtes ſunt omni exceptione majores. Auctor enim *Commentarii SS. Petri & Pauli* Metaphraſti olim attributi (*c*) agens de baptiſmo Maximi Tauromenii ab ipſo S. Petro poſt debitam catechiſim collato, *ad Siciliam*, inquit, *navigavit*, S. Petrus; *ibi Tauromenium veniens, apud Pa[illegible]ratium virum ſapientiſſimum diverſatur: ubi quum Maximum quemdam inſtruxiſſet, & baptizaſſet, eumdemque epiſcopum delegiſſet, Romam venit.*

XVI. S. Leo magnus ad epiſcopos Siciliæ ſcribens (*d*), aſſertionem noſtram expreſſius ac locupletius teſtatam reddit, diſciplinam hanc non novitate aliqua ſuis temporibus natam, ſed ex aurea apoſtolorum ætate derivatam agnoſcens. Subjiciamus ejus verba: *His itaque fratres cariſſimi, tot ac tantis exiſtentibus documentis, quibus omni ambiguitate ſubmota evidenter agnoſcitis, in baptizandis electis, qui ſecundum apoſtolicam regulam & exorciſmis ſcrutandi, & jejuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id eſt Paſcha & Pentecoſten eſſe ſervanda.* Apoſtolica regula, cujus S. Leo commemorationem hic facit, una eademque eſſe videtur ac illa, quam indigitat Siricius papa, ubi ſcribit (*e*), iis tantum electis, baptiſmi ſacramentum ab Eccleſia tradi ſolitum, *qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorciſmis quotidianiſque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati; quatenus apoſtolica illa impleatur perceptio, ut expurgato fermento veteri, nova incipiat eſſe conſperſio.*

Exorciſmus, & jejunia baptizandorum.

XVII. Ve-

(*a*) Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 13. *de Bapt.*
(*b*) Matth. 28.
(*c*) Apud Socios Bolland. die 29. Junii *de SS. Petr. & Paul.*
(*d*) Epiſt. 16. alias 4. cap. 6.
(*e*) In Epiſt. ad Himer. Terracon. cap. 2.

XVII. Verum enimvero de apoſtolica hac traditione cuſtodienda, ſexto ſæculo excedente, vel certe ſeptimo ineunte, patres minus ſolicitos fuiſſe, contendunt Eccleſiæ noſtræ calumniatores, aſſerentes ad baptiſmi ſacramentum admiſſos eſſe, ne dum qui exorciſmos, ſcrutinia, ac jejunia non ſubierant, ſed & quos miniſtri altaris ſcirent, minus fideliter venire: ſumpto argumento ex S. Gregorio magno, qui in epiſtola ad Petrum ſubdiaconum, & rectorem patrimonii eccleſiæ ſuæ in Sicilia (*a*), Judæis fundos eccleſiæ incolentibus ad Chriſti fidem quum venerint, annuæ penſionis certam relaxationem fieri præcipit. *Quia autem multi Judæorum in maſſis eccleſiæ commanent, volo ut ſi qui ex eis Chriſtiani voluerint fieri, aliquantum eis penſi relaxetur: quatenus iſto beneficio provocati, tali deſiderio & alii aſſurgant.* Eadem habet in epiſtola ad Cyprianum diaconum, & rectorem ejuſdem patrimonii Siculi (*b*): ubi ulterius addit relaxationem hujuſmodi fieri debere, quamvis eorum converſio ſuſpicionem redoleret: *Quia*, inquit, *& ſi ipſi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipſos ergo, aut eorum filios lucramur: & ideo non eſt grave quidquid de penſione pro Chriſto dimittimus.* S. Gregorius contrarium voluiſſe videtur.

XVIII. Sed tantum abeſt, ut S. Gregorius a communi Eccleſiæ ſenſu abhorrens, voluerit Judæis Siculis non vere converſis baptiſmum impertiri, ut ipſe videns aliquot ex eis revera ad baptiſmi ſacramentum velle accedere, noluerit tali gratia dignos exiſtimare, niſi prius catechumenorum leges uſque ad Paſcha adimpleverint, epiſcopi admonitiones, adhortationeſque frequenter excipientes. *Ut quanto* (exſcribo ejus verba) *quæ expectatur, elongatur feſtivitas, tanto ſe præparare, & eam deſiderio ferventi debeant ſuſtinere* (*c*). Et ubi propter imminentem cladem longa hæc dilatio admitti nequiverit, præcepit, *ut pœnitentia, ac abſtinentia quadraginta diebus indicta*, ad tantum ſuſcipiendum ſacramentum ſe præpararent. Non is ergo fuit S. Gregorii ſenſus in epiſtola ad Cyprianum diaconum, ut non probatos quoque homines vellet ad baptiſmum admitti, ſed eos qui promiſſis allecti, fidem exterius profitentur, quamvis non conſtet, interius fuiſſe converſos: nam horum baptiſmus Eccleſiæ, cujus de internis judicare non intereſt, utilis forte erit, quia *hi, qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur.* Juxta ſaniorem ſenſum explicatur.

XIX. Jejunium quadraginta dierum neceſſario hic requirit S. Gregorius, quia ea erat Eccleſiæ diſciplina: unde Laodicenum concilium (*d*) definiit: ne quis ad baptiſmum admittatur, ſi jam duæ hebdomadæ quadrageſimæ effluxerint; & S. Cyrillus Jeroſol. (*e*). *Tempus*, Quale jejunium baptizandis neceſſarium.

(*a*) Hic, Dipl. LXXXVI. in principio.
(*b*) Dipl. CXIII.
(*c*) Epiſt. 23. lib. 8. hic, Dipl. CXLVII.
(*d*) Can. 45.
(*e*) Præfat. in *Catecheſes Myſtagog.* & Catech. I.

pus, inquit, *præſcriptum tibi multum, quadraginta dierum pœnitentiam habens*. Conſonant, S. Auguſtinus (*a*), & Siricius papa (*b*).

CAPUT V.

De baptiſmo per trinam immerſionem collato.

Bapiſmus per trinam immerſionem primis ſæculis a Siculis collatus.

XX. TAmetſi variæ pro varietate temporum & ætatum fuerint conferendi baptiſmi in Sicilia cærimoniæ; at circa tamen trinam immerſionem nullam prorſus mutationem in eccleſiam Siculam irrepſiſſe certum eſt. Porro S. Leo magnus circa medium quinti ſæculi epiſcopis Siculis diſciplinam conferendi baptiſmi exponens (*c*), ritum trinæ hujus immerſionis ſupponit. *Sepulturam*, inquit, *triduanam imitatur trina demerſio*; *& ab aquis elevatio reſurgentis inſtar eſt de ſepulchro*. Diſciplina ejuſmodi magis magiſque invaluit, quum Siculi per Leonis Iſaurici tyrannidem a matre ſua Romana eccleſia divulſi, Conſtantinopolitano patriarchatui contribuere, & Græcanitatem rituum eccleſiaſticorum induere coacti ſunt. Sane praxis hujus ita Græci tenaces ſemper viſi ſunt, ut horum aliqui nobis ſecus hodie facientibus vitio imprudenter vertant. Afferamus verba noſtri Theophanis Ceramei ſcriptoris illius ævi, de hac diſciplina a Siculis admiſſa teſtimonium perhibentis (*d*): *Et ſicut ille tertio die, ex quo depoſitus eſt in ſepulchro, ad vitam rediit*; *ſic credentes ex aqua quaſi e terra tribus illis vicibus emergentes, vitam poſt tres dies reſtitutam, ipſamque adeo reſurrectionem adumbrant*.

Item Græcorum tempore.

Normannorū quoque ætate.

XXI. Nec Saracenis Siciliam Galli auferentes, & novam rei eccleſiaſticæ formam in eam intromittentes, ritus a trina immerſione diverſus, in baptizandis fidelibus adhibitus fuit. Rei conteſtandæ fidem aſtruit Miſſale membranaceum Panormitanæ noſtræ eccleſiæ ſex circiter ſæculorum, ubi exponit ordinem ad catechumenum in Sabbato ſancto faciendum, quem nos exſcripſimus in qualicumque illo noſtro Tractatu, *de Divin. Siculor. Offic.* (*e*) Ibi: *Et ego baptizo te N. in nomine Patris* (*& mergit ſemel*), *& Filii* (*& iterum*), *& Spiritus ſancti. Amen* (*& tertio*).

Immerſio in effuſionem mutatur.

XXII. Quæri hic opportune poſſet, quo præciſe tempore ritus iſte baptizandi per immerſionem evanuerit, hodierno per effuſionem admiſſo? Utut res ſe habeat, quo ad alias Latinorum Eccleſias extra omnem ingenii aleam poſitum eſt, ineunte ſæculo ſexto decimo in

---

(*a*) Sermon. 13. *ad Neophytos*.
(*b*) Epiſt. 1. ad Hemerium Tarracon. cap. 2.
(*c*) Dipl. XXIX. cap. 3.
(*d*) Homil. 28.
(*e*) Cap. 29. pag. 279.

in Sicilia effuſionem, omiſſa immerſione, adhiberi cœpiſſe. Id evincunt verba Miſſalis Gallo-Siculi juxta morem eccleſiæ Meſſanenſis, excuſi Venetiis, anno 1527. (*a*): *Et mergat eum ter in fonte, vel, ut hodie ſit, effundat aquam in capite pueri.*

XXIII. Cauſſas, quamobrem mutationi huic Eccleſia intenderit, plures fuiſſe narrant venerandæ antiquitatis indagatores diligentiſſimi, quibus duæ videntur præcipuæ: altera eſt, ut valetudini parvulorum, quorum hodie baptiſma ad provectam ætatem non differtur, damnum ex immerſione non inferretur; altera eſt, ut pudori miniſtri ſimul & ſuſcipientium proſpiceretur: maxime deficientibus hodie diaconiſſis, quarum muneris erat immergendi denudatas mulieres, ut innuere videntur verba concilii IV. Carthaginenſis, cui S. Auguſtinus interfuit: *Viduæ vel ſanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur.* Cauſſæ mutationis ejuſmodi.

DISSERTATIO V.

De antiquo patrimonio eccleſiæ Romanæ in Sicilia.

I. TRibus primis Chriſtianæ religionis ſæculis perſecutionibus crevit Eccleſia; ſed ſub imperio Conſtantini & deinceps ad noſtram uſque ætatem, numero quidem martyrum minor, dignitatibus autem & opibus major facta eſt. Quæ rerum temporalium acceſſio gratulanda utique eſt, ſi liberaliori hoſpitalitati, eleemoſynis erogandis, & virtutum incremento cedat: & ſi miniſtri altaris caducis his bonis non ſuffarcinati, eo ſunt ad ſectandas apoſtolorum virtutes promptiores, quo ab eorum æmulanda paupertate remotiores; ſin autem temporalia Eccleſiæ bona hac mente non ſpectentur, triſtitiæ potius quam lætitiæ, teſte Chryſoſtomo (*b*), materiam præbeant oportet. Ergo poſteaquam Conſtantinus imperium iniit, atque edictum promulgavit, de bonis temporalibus libere Eccleſiis relinquendis (*c*), bona plura Eccleſiis Dei acceſſerunt, potiſſimum Romanæ, quæ totius Chriſtiani orbis caput eſt & metropolis. Bona ejuſmodi præ illius ætatis more *patrimonia Romanæ eccleſiæ*, vel *ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli* dicta ſunt. Præter patrimonia per omnes ferme Europæ, Africæque provincias diſperſa, in ſola Italia, ut refert Sigonius (*d*), Romanus pontifex hæc tulit locupletiſſima: *Patrimonium Alpium Cottiarum, Tuſciæ, Sabinonſe, Brutiæ, & Lucaniæ, Calabriæ, & Siciliæ.* Omnia hic commemorare nec poſſumus nec debe- Plura patrimonia eccleſiæ Romanæ.

(*a*) Concil. ad *Catechumenum faciendum* pag. 301.
(*b*) In Matth. Homil. 26.
(*c*) L. 4. Cod. Theod. *de Epiſc. & Cler.*
(*d*) *De Regno Italiæ* lib. 1. in princ.

bemus, utpote qui uni illuſtrandæ hiſtoriæ regni Siciliæ intendamus. Aliis itaque omiſſis, de eo tantum agimus, quod in noſtra hac inſula conſtitutum erat.

Patrimonium Siculum.

II. Quod eccleſia Romana ſuum in Sicilia patrimonium habuerit, perhibet S. Gregorius magnus (*a*); cui conſonant, Nicolaus papa I. (*b*), imperator Otto I. (*c*), imperator Henricus I. (*d*), Theophanes (*e*), Gregorius Cedrenus (*f*), Anaſtaſius Bibliothecarius (*g*), & Leo Oſtienſis (*h*). Idem patrimonium pluribus abundabat annuis reditibus, fundis, villis, poſſeſſionibus, domibus, & aliis id genus; potiſſimum idem patrimonium conſtabat multis, ut vocabant, maſſis: ex quibus plures innoteſcunt nobis, id eſt: *Subpatriana*, *Varroniana*, *&* *Cinciana* (*i*), *Marato* (*k*), *Largia* (*l*), *Furiana* (*m*), *Maſſalenas*, *&* *Samanteria* (*n*), *Vitelas* (*o*), *&* *Gelas* (*p*). Quibus addi poſſent tres aliæ, maſſa ſcilicet *Caſtis*, maſſa *Trapea*, & maſſa *Taurana*, ſi vera eſſet donatio, quæ a magno illo Conſtantino Romanæ eccleſiæ traditur facta, de qua alibi (*q*) opportunius egimus.

Pluribus conſtabat maſſis.

Quid ſit maſſa.

III. Maſſa eadem erat, ac domus culta, ſeu colonia veſtita, quam nos patria voce *maſſaria* vocamus, ejuſque colonos præcipuos *maſſari* dicimus. Hujuſmodi maſſæ partem conſtituebant greges & armenta adeo numeroſiora, ut idem S. Gregorius eorum copia non delectatus, altero pontificatus ſui anno decreverit, omnia venumdari, exceptis quadringentis equis junioribus ad fœtum ſervandis, cum vaccis quæ ſteriles non eſſent, & bobus maſculis ad opus utilibus; eaſque ſingulas parituras equas ſingulis colonis condonari præcepit: *quatenus ex ipſis annis ſingulis aliquid reddant* (*r*). Ex quibus verbis præterea diſcimus, eccleſiæ patrimonium, ſervos etiam numero plures, nec minus quingentis comprehendiſſe: nam conductores agrorum eccleſiæ, ſervilis erant conditionis, & campis colendis ipſa naſcendi ſorte reperiebantur mancipati; ſervile jugum adeo ſuſtinentes, ut neque

Coloni maſſarum ſervi erāt Eccleſiæ.

(*a*) Hic, Dipl. LX. LXI. LXII. LXVI. &c.
(*b*) Dipl. CCLXXXI.
(*c*) Dipl. CCXCIII.
(*d*) Dipl. CCXCIV.
(*e*) In *Leone Iſaur.* anno imperii ejus 16.
(*f*) In *Leone Iſaur.* anno Chriſti 731.
(*g*) In *Vita Johann. V.* & in *Vita Cononis*.
(*h*) In Chron. Caſſin.
(*i*) Dipl. LXIX. §. *Liberato*.
(*k*) Dipl. LXXXV.
(*l*) Dipl. CXXXIX.
(*m*) Dipl. CLXXVIII.
(*n*) Dipl. CLXXII.
(*o*) Dipl. CCXLI.
(*p*) Dipl. CCXLVI.
(*q*) Hic in Appendice, Dipl. VIII.
(*r*) Dipl. LXXXVI.

que ad ſtationes immutandas, neque ad nuptias contrahendas; ſed nec etiam ad bona filiis ſuis relinquenda, libertatis commodum ſentirent; donec ipſe S. Gregorius, eorum conditionem miſeratus, ejuſmodi jugum quodammodo leniret atque allevaret (*a*), præter legem domicilii, quam integram inviolabiliter obſervari voluit, præcipiens ne colonorum aliquem liberos ſuos conjugaret extra maſſam, cui ſua illos naſcendi ſors devinxerat. Conſule epiſtolam quam idem S. Gregorius Romano defenſori ſuo in Sicilia hocce de argumento ſcripſit (*b*). Eoſdem ſervos quandoque ſervitute abſolvebat Romanus pontifex, *liberos, civeſque Romanos* efficiens; ea tamen lege, ut eorum bona ubi ſine legitima prole deceſſerint, in fiſcum eccleſiæ revolverentur, ut paſſim in ſuis epiſtolis docet nos S. Gregorius magnus.

IV. Sed opulentiam ejuſdem patrimonii expreſſius deſcribunt, Theophanes (*c*), & Cedrenus (*d*), aſſerentes ex Siculo hoc patrimonio, & Calabritano *tria cum medio auri talenta* quot annis eccleſiæ Romanæ acceſſiſſe utilitatis. Quot talentum (*e*) denariis æſtimabatur, dicemus infra, Diſſert. VIII. Cap. I. interim illud hic advertendum venit, majorem iſtius ſummæ partem ad Siciliam potiſſimum ſpectaſſe. Sane ex vigintiquinque partibus integram patrimonii Siculi & Calabritani ſummam componentibus, e Calabria IV. e Sicilia vero XXI. pendebantur (*f*). Unde ſcimus ex eodem S. Gregorio (*g*) Petrum ſubdiaconum rectorem patrimonii eccleſiæ ſuæ in Sicilia, primo adminiſtrationis ſuæ anno poſt diſtributas multas eleemoſynas pauperibus, quinquaginta auri libras erogaſſe in emendis frumentis, quæ una cum his ex fundis eccleſiæ recollectis, Romam juſſu ejuſdem S. Gregorii tranſmiſſa ſunt: non computatis in hac ſumma fructibus armentorum & gregum, quæ tum adeo ſegniter adminiſtrabantur, ut non utilitati, ſed incommodo eſſent ærario eccleſiæ; ut anno immediate ſequenti queſtus eſt ipſemet S. Gregorius, eidem Petro ſcribens (*h*): *Durum eſt valde*, inquit, *ut ſexaginta ſolidos paſtoribus expendamus, & ſaxaginta denarios ex eiſdem gregibus non habeamus*. — Valor patrimonii Siculi.

V. Quo ſignanter anno, quoque auctore patrimonium iſtud eccleſia Romana obtinuerit, amiſſis jam antiquitatis tabulis, gratis divinare non audemus. Potuit Conſtantinus magnus, potuit & imperator alius largitiones hujuſmodi Romanæ ſedi profundere, maxime de fundis *patrimonialibus, & emphyteuticis*, quos in Sicilia imperatores habuiſſe, diſcimus ex epiſtola Conſtantii & Conſtantis Augg. & Juliani — Quo auctore eccleſia Romana illud obtinuit.

(*a*) Hic, Dipl. LXIX.
(*b*) Dipl. CCXLI.
(*c*) In *Leone Iſaur.* anno imperii ejus 16. hic, Dipl. CCLXXIII.
(*d*) In *Leone Iſaur.* anno Chriſti 731.
(*e*) In ſuo Lexicon verbo *Talentum*.
(*f*) Hiſt. Civil. Regn. Neapol. tom. I. lib. 4. cap. 12. ſeſſ. 4.
(*g*) Dipl. LXXVII.
(*h*) Dipl. LXXXVI. §. *Vaccæ autem*.

ni cæſaris ad Taurum præfectum prætorio (*a*) ; ſi non piis quoque fidelibus gloriam hanc tribuere velimus : qui imperatoribus etſi ſemper cedant divitiis, in ditandis tamen eccleſiis eorum quandoque pietatem æmulantur . Libeat hic exſcribere verba Adriani papæ I. (*b*): *Antiquitus ab Orthodoxis imperatoribus, ſeu a ceteris Chriſtianis fidelibus oblata atque conceſſa ſunt patrimonia beati Petri apoſtolorum principis* . Verum in his offuſis prolapſæ antiquitatis tenebris , illud pro certo definiri poteſt, ante tempora S. Gregorii magni hocce patrimonium exſtitiſſe : porro ipſemet S. Gregorius (*c*) memorat Servum-Dei diaconum , qui ſub ejus deceſſore Pelagio papa II. adminiſtrationem ejuſdem patrimonii geſſit . Et in epiſtola ad Petrum ſubdiaconum & rectorem patrimonii ſui in Sicilia (*d*) poſſeſſionem ejuſdem patrimonii ad altiora tempora ſubſtollere videtur ; quum loquatur de poſſeſſione quadraginta retro annorum eccleſiæ ſuæ . Immo, ſi verum amas , ante tempora Valentiniani imperatoris hocce patrimonium Romana eccleſia obtinuit. Is enim anno 370. licentiam, qua quilibet utebatur de bonis ſuis eccleſiæ relinquendis , condita nova lege, quodammodo reſtrinxit , ut liquet ex Codice Theodoſiano (*e*); et ulterius memorant, S. Ambroſius (*f*), & S. Hieronymus (*g*); quorum primus: *Nobis* , inquit , *etiam privatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus legibus denegantur* . Et alter: *Pudet dicere, ſacerdotes idolorum Mimi, & Aurigæ, & Scorta hereditates capiunt, ſolis clericis, ac monachis hac lege prohibetur*.

Erogatio patrimonii Siculi.

VI. Patrimonium fere totum non in ſui commodum, vel in ditandam Romanam eccleſiam , ſed in alendis pauperibus erogabant Romani pontifices , potiſſimum S. Gregorius , qui illud S. Ambroſii (*h*) reveritus, ubi ſcriptum reliquit: *Poſſeſſio eccleſiæ, ſumptus eſt egenorum* , bona eccleſiæ ſuæ , *patrimonium pauperum* nuncupare ſolitus erat (*i*): & ne quod profitebatur ore, operibus contradicere videretur , illuſtriora nullo non tempore edidit caritatis indicia , & paſtoralis munificentiæ documenta. Et quoniam omnes largitiones ejus vix mente, calamo autem ne vix quidem complecti poſſe certum eſt, exponamus eleemoſynas , quas ipſe vel primo ſacerdotii ſui anno de Siculo noſtro patrimonio erogandas commiſit Petro ſubdiacono & rectori ejuſdem patrimonii . Ei itaque præcepit , ut Marcello epiſcopo Barunitano Panormi in pœnitentiam deputato, ad victum, veſtitum, & ſtra-

(*a*) Hic, Dipl. IV. & X.
(*b*) Epiſt. ad Conſtantinum Imper. & Irenem.
(*c*) Dipl. CCLIV.
(*d*) Dipl. LXIII.
(*e*) L. 20. tit. *de Epiſc. & Cler.*
(*f*) Libello *ad Rer. Relat. Symmachi*.
(*g*) Epiſt. 2. ad Nepot. *de Vita Cler.*
(*h*) Epiſt. I.
(*i*) Dipl. CI. & alibi paſſim.

& ſtratum pro ſe & puero ſuo neceſſaria provideret (*a*). Ut Godiſcalchi filio inopi, & cæco annis ſingulis tritici modios viginti quatuor, fabæ modios duodecim, & vini amphoras viginti pro ſuſtentatione vitæ miniſtraret (*b*). Ut quod ex ruſticorum nuptiis percipietur, nullatenus in commodum eccleſiæ redigatur; ſed utilitati conductorum proficiat (*c*). Ut mitteret in celebratione novæ baſilicæ pauperibus diſtribuenda, decem ſolidos auri, triginta amphoras vini, ducentos agnos, duo vaſa olei, duodecim verveces, & centum gallinas (*d*). Et ut viro cuidam nomine Paſtori, oculis infirmo, trecentos modios tritici, totidemque modios fabæ annuatim præberet (*e*). Quamobrem qui de rebus per eum geſtis hiſtoriam ſcripſit Johannes Diaconus (*f*), miram hanc liberalitatem admiratus: *Longum eſt*, inquit, *nimiſque difficile, ſi eleemoſynarum ejus ſaltem hujuſmodi proſequar actiones*; ſubjungens, quod ſicut omnibus ſibi petentibus hilariter miniſtrabat, ſic & non petentibus ultro diſtribuebat. Iccirco Libertinum exprætorem Siciliæ diſſimulantem præ verecundia inopiam, repetitis adhortationibus ad eleemoſynas ſuſcipiendas compulit (*g*): *Peto autem ne injurioſum ducatis, quod viginti a nobis veſtitus ad pueros veſtros per Romanum defenſorem ſcripſimus præberi*. Ita etiam ſe geſſit cum Euſebio abbate longa ætate, & diuturna ægritudine affecto, centum ei ſolidos erogans (*h*): & cum Juliano quodam, cui decem annuos ſolidos dari voluit (*i*).

VII. Ulterius, quod eſt notatu dignius, idem S. Gregorius vir doctrina, ſanctitate, ac eccleſiaſtico zelo ſpectatiſſimus, rectori patrimonii ſui in Sicilia ſcribens (*k*), ex eodem patrimonio regiis ſcribonibus xenia deputat offerri: *Quatenus ſibi eos placabiles reddat*. Item & prætori provinciæ *aliquid*, inquit, *ſecundum antiquam conſuetudinem tribue, per manus tamen illius, quem dimittis, ut ei gratiam eorum concilias*. Paria videtur ſentire ubi (*l*) viro magnifico Gentioni ſcriboni poſſeſſionem eccleſiæ ob malam ſcribonum opinionem non locari quidem præcipit, ſed mandat porcos viginti, totidemque verveces, & gallinas ſexaginta annis ſingulis ei offerri. Unde non illaudabile conſilium, ſi præſules noſtræ ætatis ad ſervandam concordiam ſacerdotii & imperii, tanti magiſtri vivant exemplo, ejuſque æmulantur liberalitatem, prudentiam, comitatem; dummodo

Xenia ſæcularibus miniſtris e patrimonio eccleſiæ data.

(*a*) Hic, Dipl. LXIV.
(*b*) Dipl. LXX.
(*c*) Dipl. LXIX. §. *Pervenit*.
(*d*) Dipl. LXXI.
(*e*) Dipl. LXXIII.
(*f*) Lib. 2. cap. 56.
(*g*) Dipl. CXCII.
(*h*) Dipl. LXXXVI. §. *Præterea unum*, & Dipl. LXXXIX.
(*i*) Dipl. CCLV.
(*k*) Dipl. LXXXVI. §. *Venientibus ſcribonibus*.
(*l*) Dipl. CCVII.

tamen quod in offerendis tantummodo donis, totum non intenderet epiſcoporum ſtudium; ſed prudentiæ ſanctitas uniretur, liberalitati integritas: hinc S. Hieronymus (*a*): *Judex ſæculi*, inquit, *plus defert clerico continenti, quam diviti; & magis ſanctitatem tuam venerabitur, quam opes*. Majorem itaque patrimonii partem Siculorum utilitati ceſſiſſe, non dubium eſt. Quod autem ſupererat Romam mittebatur, ornandis illuminandiſque Urbis templis erogandum; ut refert Nicolaus papa I. (*b*), & coemendis frumentis ad neceſſarios pauperum uſus impendendum, teſte S. Gregorio magno (*c*). Cum quibus paria ſentit Adrianus I. Pont. Max. (*d*), qui idem patrimonium reſtitui petit, *pro luminariorum concinnationibus eidem Dei eccleſiæ, atque alimoniis pauperum*.

VIII. Cura antedicti patrimonii uni rectori, interdum duobus committi ſolebat. De quo argumenti genere diſerte agemus infra Diſſert. VI. Cap. I. *de Rectoribus patrimonii S. Petri*. Vide ibi.

Quādo eccleſia Romana patrimonium Siculum amiſit.

IX. Hocce patrimonio caret hodie eccleſia Romana, ne fruſtulum quidem terrulæ in tota Sicilia habens. Damnum iſtud, iſtamque bonorum temporalium jacturam anno Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo primo ſuſtinuit, opera imperatoris Leonis Iſaurici, qui ſacris imaginibus, earumque cultoribus bellum indicens, in fideles quoſque imaginum defenſores ſæviit, ipſique Romano pontifici Gregorio II. inſolenter inſultavit; atque impias minas intentare non contentus, omnibus ei interdixit Siciliæ juribus, & patrimonium eccleſiæ in ea exſiſtens, in fiſcum redegit; ipſoſque Siculos, qui ejus impietati palam reſtiterant, in furorem actus perſecutus eſt, tributa eis tertia parte auctiora viritim imponens. Et ut capitatio ejuſmodi exigeretur accuratius, ſingulos pueros qui naſcerentur, deſcribi mandavit; quemadmodum patet ex ſumma Conſtitutionis ejuſdem imperatoris, quam apud Theophanem, Georgium Cedrenum, & Leonem Oſtienſem ſervavit antiquitas (*e*). Hinc Adrianus papa I. loquens de eccleſiis a Romano patriarchatu per Græcos violenter abſtractis, eas inquit, *tunc cum patrimoniis noſtris abſtulerunt, quando ſacras imagines depoſuerunt* (*f*).

Romani pontificis patrimoniū Siculum repetunt.

X. Hoc fuit in cauſſa, quamobrem pontifex Adrianus modo laudatus, antequam ſe ſubſcriberet paci a Conſtantino imperatore, ejuſdem Leonis Iſaurici pronepote petitæ, hæc primum adimpleri voluerit: *Patrimonia beati Petri apoſtolorum principis, fautoris veſtri, in integrum nobis reſtituere dignemini* (*g*). Similiter Nicolaus I. Pont. Max.

(*a*) Epiſt. ad Nepot. *de Vit. Cler.*
(*b*) Hic, Dipl. CCLXXXI.
(*c*) Dipl. LXI. & LXXVII.
(*d*) Epiſt. ad Conſtant. Imper. & Irenem.
(*e*) Conſule Dipl. CCLXXIII.
(*f*) In reſponſis ad dubia Francor.
(*g*) Epiſt. ad Conſtantin. Imper. & Irenem.

Max. ut deveniret ad concordiam cum Michaele imperatore, ſingulari ſtudio petiit, ſibi reſtitui abſtractum a Romana eccleſia patrimonium Siculum & Calabritanum. Subjiciamus ejus verba (*a*): *Præterea Calabritanum patrimonium & Siculum, quæque noſtræ eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidenda obtinuit, & diſponendo per ſuos familiares regere ſtuduit, veſtris conceſſionibus reddantur*. Sed juſta Romanorum pontificum deſideria imperfecta incompletaque dereliquit Saracenorum in Siciliam adventus. Hinc natæ ſunt piæ illæ promiſſiones ab imperatore Ottone I. anno Chriſti 962. Romano pontifici factæ, confirmantes jura patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia, quum de Saracenorum manibus inſulam illam imperator recuperaverit (*b*): *Necnon patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus ..... offerimus tibi, beate Petre apoſtole, vicarioque tuo domno Johanni papæ, & ſucceſſoribus ejus*. Quam fidem eadem pene verborum congerie Romanæ eccleſiæ quoque dedit imperator Henricus I. anno Chriſti 1014. (*c*). De reſtituẽdo ejuſmodi patrimonio promiſſiones.

XI. Verum enimvero gloriam liberationis Siciliæ non imperatoribus Græcis, neque Latinis, ſed ſtrenuo atque pio Rogerio, principi Nortmanno Deus reſervavit, qui antequam expeditioni Siculæ intenderet, Nicolaum II. Pontif. Max. conſuluit. Is Dei judicio obſecutus, heroicum virum vehementer hortatur, ut quod de ejiciendis e Sicilia Saracenis in mentem ejus venerat conſilium, cum benedictione ſanctæ & individuæ Trinitatis opere adimpleret. Intelligebat enim amantiſſimus animarum paſtor quantum laboris, atque difficultatis in ſe contineret, quod Rogerius ſubiturus erat onus: eapropter non de juribus patrimonii eccleſiæ ſuæ cum eo tractat, timens ne intempeſtiva hæc poſtulatio negotio Chriſtianæ religionis impedimento eſſet. Sed Siciliam præmium laborantium novo bello fore declarat; ita tamen ut de tota victoria tres Rogerius efficiat partes, quarum unam, gratiæ Deo referendæ ſtudioſus, conſtruendis in Sicilia, dotandiſque eccleſiis erogaret, alteram militibus ſuis, ſociis pii laboris impertiret, tertiam propriis ſublevandis neceſſitatibus reſervaret. Et quidem exitus rei non diſſentit: nam Rogerius Sicilia exactis Saracenis potitus, nil duxit antiquius, quam promiſſis non deficere; prout refert Anonymus ſed antiquus ſcriptor *Hiſtoriæ liberationis Meſſanæ*, quem poſt Stephanum Balutium (*d*) edidit Ludovicus Antonius Muratorius (*e*): *Totam* (inquit de Rogerio) *inſulam paulatim in ſuam redegit poteſtatem, & ubicumque pace compoſita, quæ cum ſummo pontifice de tripartienda victoria, unam eccleſiis dando, militibus* Rogerius an Siciliam acquiſierit pleno jure.

(*a*) Dipl. CCLXXXI.
(*b*) Dipl. CCXCIII.
(*c*) Dipl. CCXCIV.
(*d*) Miſcell. tom. 6. pag. 174.
(*e*) *Rerum Italic. Script.* tom. 6. pag. 616.

bus alteram , ſibique tertiam ; juxta votum quod promiſerat , humaniſſime adimplevit .

XII. Quod verum eſſe, nemo ibit inficias , quem non latet, Rogerium eccleſias a nefanda Saracenorum impietate dirutas , in priſtinum ſtatum reſtituiſſe ; novaſque ædificaſſe , muneribus , poſſeſſionibus, ac ornamentis magnificentiſſime decoratas . Iccirco Urbanus papa II. ut in Siciliam venit, & præſens Rogerii ſtrenuitatem , religionem , atque pietatem eſt intuitus , heroico pioque principi gratulatur : eum Siciliæ dominum recognoſcit: atque temporali lucro non delectatus , nil de antiquo patrimonio eccleſiæ ſuæ cum eo agit ; ſed largitionibus ejus in reſtituendis, conſtruendis, atque dotandis Siciliæ eccleſiis contentus , omnia per eum geſta laudat atque confirmat . Audiamus ipſum Rogerium de ſe loquentem (*a*) : *Per diverſa Siciliæ loca idonea eccleſias ædificavi juſſu ſummi pontificis, & epiſcopos ibidem collocavi, ipſo eodem Romanæ Sedis apoſtolico & laudante, & concedente, & ipſos epiſcopos conſecrante.*

DISSERTATIO VI.

De primariis magiſtratibus eccleſiaſticis Siciliæ, in hoc primo Volumine Cod. Diplomat. commemoratis.

CAPUT I.

De rectoribus patrimonii S. Petri.

I. ECcleſiæ Romanæ ingens in Sicilia patrimonium erat : cujus adminiſtratio uni rectori committi ſolebat , interdum duobus , quorum alter Syracuſis , alter Panormi ſedem ſuam conſtituebat . Unde Pelagio II. Chriſtiani orbis habenas moderante , Servus-Dei diaconus totius patrimonii Siculi curam obtinuit , ut perhibet S. Gregorius magnus in ſua ad epiſcopos Siciliæ epiſtola (*b*): *Præterea* , inquit , *relatum eſt nobis , ſanctæ memoriæ deceſſoris mei temporibus per Servum-Dei diaconum, qui jam tunc eccleſiaſtici patrimonii curam geſſit , fuiſſe diſpoſitum* , &c. Huic in officio rectoris ſub exordio pontificatus ejuſdem S. Gregorii , id eſt ineunte indictione IX. anni 590. ſuffectus eſt Petrus ſubdiaconus , de quo diſerte ſatis ac diſtincte egimus ſupra, in monitis ad Dipl. LX. Eidem Petro ante diem 14. Septembris ſancto Cypriano ſacram anni 592. Romam reverti mandavit S. Gregorius, ejus videndi cupidus : & ne pa-

Rector patrimonii Siculi Servus - Dei diaconus.

Petrus ſubdiaconus.

(*a*) In Donat. Eccleſ. Catanenſ. ann. 1091. in Donat. Eccleſ. Pactenſis ann. 1094. & alibi paſsim.

(*b*) Hic, Dipl. CCLVI.

patrimonium curatore ſuo interim careret, duos rectores, Benenatum notarium; & Anonymum quemdam conſtitui præcepit, in duplici ſtatione, Panormitana & Syracuſana totum patrimonium recturos: donec vel ipſe Petrus in Siciliam redierit, vel alius loco ſui ordinatus fuerit (*a*). — Benenatus notarius, & Anonymus quidam.

II. Quumque ipſi Petro ad diaconatus inde ordinem evecto (*b*), reverti in Siciliam non arriſerit, Cypriano diacono, adminiſtrandi patrimonii provincia concredita fuit; quemadmodum clare demonſtrant epiſtolæ ejuſdem S. Gregorii (*c*) portantes hanc epigraphen: *Cypriano diacono & rectori patrimonii Siciliæ*. Immo ex aliis epiſtolis (*d*) eum menſe Auguſto anni 593. ab Urbe in Siciliam jam veniſſe intelligimus. Conſule quæ exhibuimus in monitis ad Dipl. xcix. — Cyprianus diaconus.

III. Poſt Cyprianum Johanni Syracuſano epiſcopo adminiſtrandi patrimonii facultatem fecit S. Gregorius, ſed pro Syracuſana tantum ſtatione (*e*): quum pro Panormitana ordinaverit Fantinum defenſorem (*f*); ita tamen ut in debitorum electione eſſet, vel Panormi, vel Syracuſis ſolvere cenſus; ut ipſemet S. Gregorius perhibet ipſi Johanni epiſcopo ſcribens (*g*). Rectores iſti in regimine ejuſdem patrimonii ſteterunt, donec ordinati ſunt duo rectores alii, Savinus ſubdiaconus pro Panormitana ſtatione (*h*), & Adrianus chartularius pro Syracuſanis partibus (*i*); cui proxime poſtea ſocius adminiſtrationis adjunctus fuit Pantaleon notarius (*k*). — Johannes Ep. Fantinus Def. Savinus Sub. Adrianus Char. Pantaleon Not.

IV. Rectores alii qui ante vel poſt memoratos iſtos inſtituti fuerint, notitiæ noſtræ exciderunt, uno ſolummodo excepto Conſtantino Syracuſanæ eccleſiæ diacono; cui Cono Pontif. Max. anno 687. cum rectoris poteſtate in toto patrimonio Siciliæ licentiam tribuit, ut quum equitaret, pallio uti poſſet. Qui quod non bene munus ſuum in damnum populorum obierit, a ſæculari poteſtate carceribus detruſus, ſceleris ſui pœnam luit, teſte Anaſtaſio Bibliothecario (*l*). — Conſtantinus Diac. Syracuſanus.

V. Ritus ordinationis rectorum patrimonii Siculi erat ejuſmodi. Primum ii ceteris præponebantur, quos ſuffragia totius cleri Romani juvabant: eapropter Anaſtaſius modo laudatus antedicti Conſtantini diaconi Syracuſani ordinationem in rectorem, præter conſuetudinem factam eſſe refert, quia defuit ejuſmodi conſenſus cleri. Inde, ante corpus B. Petri inſtituendis rectoribus adminiſtrandi patrimonii poteſtas tradebatur, accepta viciſſim ab eis promiſſione juramento vallata, ne quid umquam facerent vel prætermitterent, quod pauperum utilitatibus adverſaretur (*m*). Poſtremo, plura ipſis rectoribus, vel in actu — Rectoris ordinandi ritus & cærimoniæ.

(*a*) Hic, Dipl. lxxxvi.
(*b*) Dipl. cxix.
(*c*) Dipl. ciii. & cxiii.
(*d*) Dipl. xcix. & ci.
(*e*) Dipl. clxxv.
(*f*) Dipl. clxxii.
(*g*) Dipl. ccxlvi.
(*h*) Dipl. cclxvi.
(*i*) Dipl. ccliv. cclv.
(*k*) Dipl. cclviii.
(*l*) In *Canone papa*.
(*m*) Dipl. cclviii.

actu ordinationis, vel poſtea dari ſolebant monita, ſummam ſpirantia æquitatem (*a*): ut intelligerent, quomodo ſe gerere deberent cum epiſcopis, monachis, & clericis: quomodo cum his qui a defenſoribus eccleſiæ violentias in poſſeſſionibus, mancipiis, & rebus mobilibus ſuſtinuerant: quomodo cum invaſoribus rerum eccleſiæ ſuæ: quomodo cúm miniſtris ſæcularibus, & prætore provinciæ: quomodo demum cum populo bene vel male agente, præmiis vel pœnis digno. Additis præceptis aliis (*b*), de emendandis gravaminibus ruſticorum in maſſis & fundis eccleſiæ exſiſtentium, tam circa exactionem, æſtimationem, menſuram, & pondera canonum; quam circa nuptias, ſucceſſiones, & delicta eorumdem agricolarum.

Rectoris munus & poteſtas.

VI. Ex his plane liquet quale fuerit officium rectoris patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia. Apud quem ſupremum etiam jus litium dirimendarum colonorum reſidebat: & ſuper omnes defenſores eccleſiæ excellentior poteſtas erat. Iccirco quod Johanni epiſcopo Syracuſano rectori patrimonii S. Petri in ſtatione Syracuſana aliqui eccleſiæ defenſores obedientiam exhibere detrectaverint, voluit S. Gregorius ut diſtricta ultione punirentur, præcipue Marcianus quidam omnium inobedientiſſimus, duram exilii pœnam ei indicens (*c*).

VII. Rectoribus hujuſmodi illud in primis S. Gregorius præcipere ſolitus erat, quamobrem ab injuſtis exactionibus ſemper abhorrerent, ſubjungens in epiſtola ad Petrum ſubdiaconum (*d*): *Quia nos ſacculum eccleſiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari*. Qua animi perſuaſione eidem Petro quoque mandavit, ut quæ fuerant ab Antonino, aliiſque defenſoribus contra jus imprudenter exacta, ſtatim reſtituerentur (*e*): *Omnia cum peccato ablata reſtitue, ſciens quod magnum mihi lucrum reportas, ſi mercedem potius quam divitias congregas*. Et potiſſimum de reſtituendis Tauromenitanæ eccleſiæ poſſeſſionibus ab actionariis eccleſiæ Romanæ injuſte invaſis, eum hortatur (*f*) debere eſſe ſolicitum. Actionarii autem ipſius rectoris adminiſtri erant præcipui, de quibus aptius in capite proxime ſequenti redibit ſermo.

CA-

(*a*) Hic, Dipl. LXVI.
(*b*) Dipl. LXIX.
(*c*) Dipl. CLXXV.
(*d*) Dipl. LXIX. §. *Cognovimus etiam quod ſi quis*.
(*e*) Dipl. LXIX.
(*f*) Dipl. LXXVIII.

CAPUT II.

De actionariis ſeu actoribus.

VIII. Actionarii erant iidem ac actores, unde qui in Dipl. cliv. nominantur actionarii, ipſi in Dipl. clv. & clxix. dicuntur actores; & utroque nomine appellantur in uno eodemque Dipl. ccxxii. Actionariorum muneris erat, negotia eccleſiæ gerere: hinc dicti quoque ſunt *negotiorum geſtores*. Actionarii Siculi in duplici erant differentia, alii eccleſiæ Romanæ dicebantur, alii particularium eccleſiarum. Illi ſub dictione rectoris, de quo modo egimus, adminiſtrando patrimonio eccleſiæ intendebant, quos memorat S. Gregorius, Petro ſubdiacono & rectori patrimonii eccleſiæ ſuæ in Sicilia ſcribens (*a*): *Actionario autem, quem in eodem patrimonio deputaſti, prout tibi videtur, ei aliquid largire*. Et iterum (*b*): *Et quia domus vel fines, atque poſſeſſiones Tauromenitanæ juri eccleſiæ pertinentes, ab actionariis dicuntur noſtræ eccleſiæ contra rationis ordinem occupatæ*, &c. Rurſus in epiſtola ad Laurentium epiſcopum Mediolanenſem (*c*): *Quod autem perhibetis ab exactione patrimonii Siciliæ provinciæ juri, ſanctæ cui Deo auctore præſidetis eccleſiæ, certam redhiberi pecuniæ quantitatem, pro eo quod ab actoribus ſanctæ Romanæ eccleſiæ illo in tempore patrimonii eccleſiæ veſtræ celebrabatur exactio*, &c. Actores hujuſmodi clerici erant & tonſurati, teſtimoniales litteras ordinationis ſuæ ab ipſo Romano pontifice recipientes; quemadmodum refert ipſemet S. Gregorius antedictum Petrum ſubdiaconum alloquens (*d*): *Si vero de laicis Deum timentibus inveneris ut tonſurari debeant, & actionarii ſub rectore fieri, omnino libenter fero. Quibus neceſſe eſt ut etiam epiſtolæ tranſmittantur.*

Actionarii iidem ac actores.

Actionarii eccleſiæ Romanæ.

Clericatus honore fungebantur.

IX. De actionariis vero ſingularum eccleſiarum agit ipſemet S. Gregorius in epiſtola ad Johannem epiſcopum Syracuſanum (*e*): *Felix vir memorandus ſuis nobis epiſtolis queſtus eſt, fraternitatis veſtræ actionarios*, &c. Et iterum in epiſtola ipſi Felici inſcripta (*f*): *Ab actoribus eccleſiæ Syracuſanæ*. Rurſum in epiſtola ad antedictum Johannem epiſcopum Syracuſanum (*g*): *Actores eccleſiæ ſuæ*. Demum Romano defenſori in Sicilia ſcribens (*h*): *Ab actionariis Syracuſanæ eccleſiæ*. Præter duplex hoc actionariorum genus, erant præterea actionarii publici iſtis antiquiores, de quibus in ſequente Diſſertatione Cap. viii.

Actionarii particularium eccleſiarum.

(*a*) Hic, Dipl. lxix.
(*b*) Dipl. lxxviii.
(*c*) Dipl. lxxix.
(*d*) Dipl. lxxxvi.
(*e*) Dipl. cliv.
(*f*) Dipl. clv.
(*g*) Dipl. clxix.
(*h*) Dipl. ccxxii.

CAPUT III.

De defenſoribus.

Defenſores ab initio laici fuerunt.

X. DEfenſoris dignitas, quidquid ſit de Græcis, apud Latinos ab initio laicis mandabatur. Clerici enim propter eminentiſſimam quamdam ſtatus ſui ſanctitatem adeo a litibus ſimul & tribunalibus ſæcularibus abhorrebant, ut nullo negotio adduci poſſent ad defenſitandas cauſſas, tum civiles tum criminales, proprias vel alienas. Hoc fuit in cauſſa, quamobrem epiſcopis ſententia illa inſediſſet animo, ut a Chriſtianis imperatoribus exorarent defenſores, in cauſſis agendis verſatos, qui ante tribunalia judicum lites eccleſiæ, clericorum, pauperum, orphanorum, viduarumque adverſus potentium vim, & partium fraudolentiam actitarent; ut patet ex concilio Milevitano I. (*a*), & Carthaginenſi V. (*b*). Diſciplina hæc uſque ad annum 494. in Sicilia obtinuit: tunc enim Gelaſius I. Pont. Max. voluit defenſores minoribus clericis accenſeri: unde in epiſtola ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos (*c*): *Continuo*, inquit, *lector vel notarius, aut certe defenſor effectus, poſt tres menſes exſiſtat acolythus*.

Inde clerici.

Et quidem nõ poſtremi gradus.

XI. Defenſores S. Gregorii temporibus non ultimo ſedebant loco inter Eccleſiæ miniſtros, & ut ceteri beneficiarii eccleſiaſticis ſtipendiis nutriebantur; quemadmodum diſcimus ex epiſtola ejuſdem S. Gregorii, ſcripta Petro ſubdiacono & rectori patrimonii ſui in Sicilia (*d*). Et ex altera anno ſequenti ad eumdem Petrum data (*e*), nobis innoteſcit ulterius ritus, quo quis ad defenſoris gradum promovebatur: loquens enim S. Pontifex de Cyriaco ſervo Dei e Sicilia Romam veniente: *Eum*, inquit, *in gratiam familiariter recepi, coram populo, & clero eum perduxi, presbyterium ei auxi, in loco ſuperiori inter defenſores poſui, collaudans coram omnibus fidem ejus*.

Horum officium & numerus.

XII. Quale fuerit eccleſiaſtici defenſoris Siciliæ officium, facile datur intelligi ex litteris (*f*), quibus ipſe idem S. Gregorius Romanum & Vitum defenſores creavit. Non unum toti provinciæ nec ſingulis fere urbibus ſingulos defenſores, ſcimus datos: unde uno ferme tempore novem in Sicilia defenſores claruiſſe noſcuntur: id eſt, Siſinnius (*g*), Romanus (*h*), Gaudioſus (*i*), Fantinus (*k*), Candi-

(*a*) Can. 16.
(*b*) Can. 9.
(*c*) Hic, Dipl. XXXII. cap. 2.
(*d*) Dipl. LXIX. §. *Fantinum defenſorem*.
(*e*) Dipl. LXXXVI. §. *Veniente autem*.
(*f*) Dipl. CLVI. & CCXX.
(*g*) Dipl. CXLI.
(*h*) Dipl. CLVI. & ſeqq.
(*i*) Dipl. CLXVI.
(*k*) Cit. Dipl. LXIX. CLXX. CLXXI. CLXXII. CLXXIV. CLXXVII.

didus (*a*), Sergius (*b*), Bonifacius (*c*), Vitus (*d*), Petrus (*e*), & Sabinianus (*f*). Ex quibus Romano quatuor urbium defenſio concredita fuit, Syracuſanæ ſcilicet, Catanenſis, Agrigentinæ, & Milenſis; quemadmodum perhibet epiſtola S. Gregorii antedicto Romano ſcripta (*g*). Ipſe Romanus antea idem officium in Sicilia exercuerat; ut plane liquet ex Dipl. LXXXVI. ibi : *Indicante mihi Romano defenſore cognovi* : unde non caſu factum, ut S. Gregorius in citata epiſtola ipſi Romano inſcripta de ejus electione in rectorem, dixerit : *Quia te Romanum, defenſorem fidelem ſolicitumque probavimus exſtitiſſe, patrimonium*, &c.

CAPUT IV.

De notariis & chartulariis.

XIII. DEfenſorum dignitati proxime accedebat notariorum officium. Horum munus erat & acta publica, & mandata privata epiſcoporum, cleri, & eccleſiæ ſcriptis mandare. Unde S. Auguſtinus (*h*) clerum alloquens & populum, qui convenerant, ut ſucceſſorem ſibi eligerent Eradium presbyterum, inquit : *A notariis eccleſiæ, ſicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, eccleſiaſtica geſta conficimus*. Hujuſmodi notarios inter minores clericos non ſecus, ac lectores, defenſoreſque eccleſiæ recenſuit Gelaſius papa I. epiſcopis Siculis ſcribens (*i*). Etſi igitur in Oriente notarii ut plurimum diaconi erant, & in Occidente non raro ſubdiaconi; at in noſtra tamen Sicilia inferioris ſemper ordinis exſtiterunt. Iccirco Specioſus quidam jam ad ſubdiaconatus munus evectus, quum non potuerit continentiæ ſe addicare, quæ tempore S. Gregorii magni cœpit a ſubdiaconis religioſius exigi, ut cum uxore ſua uſque ad extremum viveret, abdicavit ſe ſubdiaconatu, & ad notarii munus ſpes ſuas artavit. Subjiciamus ejuſdem S. Gregorii verba (*k*) : *Specioſus tunc ſubdiaconus pro hac re* (ſervandæ continentiæ) *ab adminiſtrationis ſe ſuſpendit officio, & uſque in obitus ſui tempus notarii quidem geſſit officium, & a miniſterio, quod ſubdiaconum optaverat exhibere ceſſavit. Poſt cujus obitum, quia relicta ejus Honorata marito eſt ſociata*, &c. Notariatus munere fungi potuit Specioſus, utpote quum Siciliæ minores clerici lege cœlibatus non conſtringerentur (*l*).

Notariorum munus.

Notarii clerici erant.

Specioſus notarius.

(*a*) Hic, cit. Dipl. CLXXI.
(*b*) Dipl. CLXXIV.
(*c*) Cit. Dipl. CLXXIV.
(*d*) Dipl. CCXX.
(*e*) Dipl. CCXLI.
(*f*) Dipl. CXCI.
(*g*) Dipl. CLVI.
(*h*) Epiſt. 110.
(*i*) Dipl. XXXII. cap. 2. pag. 64.
(*k*) Dipl. CVIII.
(*l*) Dipl. CLXXIV.

Primogenitus. XIV. Ex eodem S. Gregorio (*a*) nobis innoteſcit Primogenitus notarius, uxorem quoque habens, quam moriens heredem cum eccleſia Romana inſtituit. Sic itaque ipſe S. Gregorius in epiſtola ad Fantinum defenſorem: *Cognoſcat experientia tua, Primogenitum notarium noſtrum de hac pro peccatis luce tranſiſſe. Et quoniam ſanctam Romanam, cui auctore Deo deſervimus, eccleſiam, & conjugem ſuam, quæ ſe tuitioni eccleſiaſticæ poſtea commendavit heredes, necnon & filium fratris ſui in unam unciam heredem idem noſcitur reliquiſſe: eapropter*, &c. Præter hos duos Siciliæ notarios, Specioſum & Primogenitum, alios memorat ipſemet S. Gregorius. Ii ſunt, Benenatus. Benenatus quem rectorem patrimonii eccleſiæ Romanæ pro Panormitana ſtatione in locum Petri ſubdiaconi, Romam redeuntis, conſtituit (*b*); Adrianus & Eugenius. Adrianus, & Eugenius, quibus inter alia decretum miſit, ne mulieres cum epiſcopis, aut clericis in ſacris ordinibus conſtitutis habitarent; ea lege ut uxores non relinquerent, ſed caſte regerent (*c*). De eodem Adriano agit quoque ipſemet S. Gregorius in epiſtola, quam ad Julianum quemdam præ verecundia inopiam diſſimulantem dedit, hic Dipl. CCLV. *Per Adrianum notarium ac rectorem patrimonii*, &c. Hilarius. Hilarius cui præcepit, ut tueretur navem ad Adeodatam abbatiſſam pro ſuſtentatione Lilybœtani monaſterii ſui emiſſam (*d*); Pantaleon. Pantaleon quem laudat, quod patrimonium S. Petri adminiſtrans, ad juſtam menſuram modium, quo eccleſiæ coloni frumenta dabant, redegerit: hortaturque ut percepta ex injuſto modio pecuniam colonis pauperibus ſecreto diſtribuat (*e*). Et ut quæ clerici Itali vaſa ſacra in Siciliam detulerant, atque vendiderant, ipſe requirat (*f*). Salerius. Salerius ex quo multa didicit, de quibus ſcripſit Fantino defenſori Panormitano (*g*), & Urbico abbati (*h*). Agnellus. Et Agnellus qui Petronillam converſam ſtupravit, atque e monaſterio ſeduxit (*i*).

XV. Sed quoniam in Dipl. ſuperius laudato CCXLIV. ipſe idem Adrianus notarius & chartularius etiam nominatur, ſicut & in Dipl. CCLVI. & CCLVIII. hinc obſervandum venit, nullum notarios inter & chartularios eccleſiæ interceſſiſſe diſcrimen. Quod plane confirmari videtur ex notitia Salerii ſupra etiam inter notarios commemorati, qui in Dipl. CCLVIII. *chartularius* appellatur. Ultra chartularios eccleſiæ erant præterea & illi principis ſæcularis, de quibus in ſequente Diſſertatione noſtra opportunius redibit ſermo.

DIS-

(*a*) Hic, Dipl. CCXXXVI.
(*b*) Dipl. LXXXVI.
(*c*) Dipl. CLXXIV.
(*d*) Dipl. CCX.
(*e*) Dipl. CCLVIII.
(*f*) Dipl. CXLIX.
(*g*) Dipl. CLXX.
(*h*) Dipl. CCXXVI.
(*i*) Dipl. CIII.

DISSERTATIO VII.

De principalioribus magiſtratibus ſæcularibus Siciliæ, de quibus ſit mentio in hoc primo Volumine Codicis Diplomatici.

CAPUT I.

De correctoribus.

I. Regendæ Siciliæ correctores olim propoſitos fuiſſe, probant in primis acta genuina & ſincera S. Eupli diaconi Catanenſis, Diocletiano novies, & Maximiano octies conſulibus, id eſt anno Chriſti 304. paſſi: quæ publici juris effecit Cotelerius (*a*), quæque exſcribunt & laudant viri eruditiſſimi, Ruinart (*b*), Tillemont (*c*), Baillet (*d*), & continuator Bollandi Johannes Pinius (*e*). Id plane confirmat epiſtola Conſtantini magni ad Chreſtum Syracuſanum epiſcopum, anno Chriſti 314. ſcripta, ut ad Arelatenſe concilium duobus cum ſociis veniret, *accepto publico vehiculo a viro clariſſimo Latroniano correctore Siciliæ* (*f*); cui conſonant tres antiquæ tabulæ Siciliæ a Gualterio (*g*) publicatæ. Una Mazarenſis ſub n. CXXIII. *Betitius Perpetuus V. C. Corr. Prov. Sicil.* Altera Lilybœtana ſub n. CXXXIII. *Domino Zenofilo V. C. Corr. Prov. Sicil.* Tertia Panormitana ſub n. CLXIV. *Domitius Latronianus V. C. Corr. P. S.* Correctores regendæ Siciliæ præpoſiti. Corrector Latronianus. Betitius. Zenofilus.

II. Latronianum hunc eumdem eſſe ac illum, de quo agit Conſtantiniana epiſtola ſuperius laudata, longe ſimilius vero ſuſpicatur idem Gualterius (*h*), ſumma cum circumſpectione dubitans, quonam anno Sicilia per correctores gubernari cœperit; non ita tamen ſibi cavit Inveges (*i*), cui Latronianum hunc primum Siciliæ correctorem dicere arrigit: quum ſatis antea ex antedictis S. Eupli actis innoteſcat nobis *Calviſianus clariſſimus corrector*. Quis fuerit primus Siciliæ corrector.

III. Plura hic exponere poſſem & forſitan deberem de correctoris munere & inſignibus; ſed quum dicat Notitia imperii Occidentalis (*k*), agens de correctore Apuliæ & Calabriæ: *Ceteri correctores ad* Correctorum munus & inſignia.

(*a*) *Monument. Eccl. Græc.* tom. 1. pag. 192.
(*b*) *Act. primor. Martyr.* ad ann. 304.
(*c*) *Hiſt. Eccl.* tom. 5. *de S. Euplo*.
(*d*) In *Vitis Sanctor.* tom. 2. die 12. Auguſti.
(*e*) *Act. Sanctor.* menſis Auguſti die 12.
(*f*) In hac Collect. Dipl. I.
(*g*) *Tabul. Antiq. Sicil.*
(*h*) Loco cit. *in Notis ad Tab.* 164.
(*i*) *Annal. Eccl. Panorm.* ad ann. 314. n. 5.
(*k*) Hic, Dipl. XXI.

ad ſimilitudinem correctorum Apuliæ & Calabriæ officium habent. In iſto itaque veluti in exemplari aliorum correctorum, quæ fuerint partes correctoris Siciliæ, facile conſpicere poſſumus. Atque ad officium quod attinet, ipſe corrector ſub poteſtate ſua habebat, *Principem ex eodem officio, cornicularium, tabularios, commentarienſem, adjutorem, ab-actis, ſubadjuvam, exceptores & ceteros cohortalinos, quibus non licebat ad aliam tranſire militiam ſine notatione clementiæ principalis*. Verba ſunt antedictæ Notitiæ. In qua repræſentantur ulterius inſignia ipſius ejuſdem correctoris provinciæ Apuliæ & Calabriæ: *Cujus inſignium formam ceteri omnes correctores retinent*, inquit eruditiſſimus Pancirolus (*a*). Sunt autem ejuſmodi inſignia: in ſummo auratæ columnæ duo averſi principes, nigra tenuique linea tantummodo diviſi, ad oſtendendam duorum imperiorum concordiam, diviſione non fractam: prope eſt abacus albo tapeto inſtratus, qui librum rubro corio tectum ſuſtinet: infra imago eſt oppiduli cum inſcriptione provinciæ.

CAPUT II.

De conſularibus.

Conſularis Siciliæ exemplo conſularis Cāpaniæ inſtitutus.

IV. Quemadmodum ad exemplar correctoris Apuliæ & Calabriæ ceteri correctores Italiæ officium, atque inſignia habebant; ita ad ſimilitudinem conſularis Campaniæ & reliqui conſulares; ut plane liquet ex Notitia imperii Occident. quam invenies in hac Collectione ſub n. xxi. Quæ poſtquam dixerit ſub diſpoſitione vicarii Urbis quatuor fuiſſe conſulares, illum ſcilicet *Campaniæ*, illum *Tuſciæ & Umbriæ*, illum *Piceni ſuburbicarii*, & illum *Siciliæ*, de conſulari Campaniæ ſingillatim agens, ejus oſtendit inſignia, & officia deſcribit, hac in fine adjecta clauſula: *Ceteri omnes conſulares ad ſimilitudinem conſularium Campaniæ officium habent*. Ergo conſularis Siciliæ conſularis Campaniæ inſtitutus exemplo, tot ſub juriſdictione ſua adminiſtros habebat, quot & corrector, de quo in ſuperiori capite egimus, excepto principe, quem non ex eodem officio accipiebat, ſed *de officio præfecti Prætorio Italiæ*.

Ejus inſignia.

V. Inſignia autem ipſi conſulari Siciliæ tribuſque aliis communia, & in eadem Notitia exhibita ſunt ejuſmodi: mulier provinciam referens, & in medio ampli tribunalis ſolio inſidens: a cujus dextro humero cingulum ſuſpenſum ad ſiniſtrum latus oblique deſcendit: ſiniſtra ſcutum tenet, dextera haſtam, in cujus ſummo præfixa eſt tabella, nomen provinciæ ſcriptum portans: ipſa in capite titulum cum prominentibus pinnis gerit: nuda pedes, albaque palla ſuccincta:

(*a*) Commentar. *in notitiam Imper. Occident.* cap. 92. pag. 155.

ꝺta : viride pallium a parte ſiniſtra brachio retenta, ad genua fluere permittit : ad dexteram abacus albo tapeto inſtratus, librum luteo tegmine tectum ſuſtinet.

VI. Dignitatem hanc Adrianus imperator inſtituit; qui nova magiſtratuum forma inventa, Italiam quatuor conſularibus teſte Spartiano, regendam commiſit: *Quatuor*, inquit, *conſulares per omnem Italiam judices conſtituit*. Cui conſonat Julius Capitolinus (*a*), dicens: *Ab Adriano inter quatuor conſulares, quibus Italia committebatur, Antoninus Pius electus eſt, ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum poſſidebat.* Adrianus Imp. conſulares inſtituit.

VII. Ex conſularibus Siciliæ novem tantummodo nobis innoteſcunt. I. Fl. Dulciſius; II. Valerius Quinctianus; III. Fabius Titianus; IV. Aradius Valerius Proculus; V. Memmius Vitraſius Orfitus; VI. Virius Nicomachus Flavianus; VII. Domnus; VIII. Euſebius; IX. Felix. De ſex prioribus agunt ſex antiquæ tabulæ Siciliæ apud Gualterium (*b*); Domnum commemorat epiſtola imperatorum Valentiniani & Valentis (*c*); Euſebium exhibet epiſtola imperatorum Arcadii & Honorii (*d*); Felicis autem fit mentio in epiſtola S. Gregorii magni ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum (*e*). Ex quo venerandæ antiquitatis documento diſcimus præterea, conſulares Siciliæ, qui numquam conſules fuerunt, ſed ita dicti ſunt quod conſulari jure provinciam adminiſtrarent, etiam poſt tempora Juſtiniani imperatoris permanſiſſe, ad differentiam illorum conſularium ſic nominatorum, quod aliquando conſulatum geſſerant: ii enim, extinctis a Juſtiniano conſulibus, ad pontificatum S. Gregorii non pervenerunt. Vide infra Cap. VI. n. 19. Conſularium Siciliæ numerus.

VIII. Conſularis poteſtas adeo inſignis erat, ut imperatores Arcadius & Honorius anno Chriſti 400. conſtitutionem (*f*) condiderint, unde conſulares provinciarum adminiſtratione perfunctos, cenſuerint præferendos *comitibus Italicianorum, & Gallicianorum*, id eſt comitibus largitionalium titulorum, reique tributariæ, & theſaurorum per præfecturam Prætorianam Italiæ & Galliarum. Poteſtas.

CA-

(*a*) *In Antonino Pio.*
(*b*) *Tabul. Antiq. Sicil.* ſub n. 117. 134. 437. 438. 439. & 442.
(*c*) Hic, Dipl. XV.
(*d*) Dipl. XIX.
(*e*) Dipl. LXXXIV.
(*f*) Lib. 6. Cod. Theod. tit. 19.

CAPUT III.

De comitibus provinciæ.

IX. QUi argumentum de comitibus ad illuſtrandum ſibi delegerunt ſcriptores, in ea ſunt opinione plerique omnes, ut velint comitem illum Syracuſanum, cujus privilegium ex Caſſiodoro tranſcripſimus ſupra (a), non toti provinciæ Siciliæ, ſed uni tantum Syracuſanæ civitati præfuiſſe: ſic inter alios, Dufreſne (b), & Petiſcus (c). Sane plurimum inter comitem civitatis, comitemque provinciæ intercedebat diſcriminis: ille uni civitati præerat, atque in ea judicis partes ſuſtinebat; iſte judiciali hac prærogativa per totam provinciam, cui præſidebat, decorabatur: atque ita comitiva primi ordinis donatus, rei etiam militari ſuperintendebat: & poſt depoſitam adminiſtrationem vicariis præfectorum exſequabatur; quemadmodum definiunt litteræ imperatorum Honorii & Theodoſii, exſcriptæ in Cod. Theod. (d).

Comes civitatis a comite provinciæ diverſus.

X. Verum enimvero vel ex ipſa formula comitivæ Syracuſanæ a Caſſiodoro exhibita, plane liquet una cum Syracuſis & totam Siciliam eidem rectori fuiſſe concreditam: *Nullum enim*, ibi dicitur, *tale negotium eſt, quod Siculi itineris tantas pati poſſit expenſas*. Et infra: *Non enim querelas de Sicilia volumus venire*. Inde ipſam comitivam dignitatem militarem fuiſſe, declaratur: *Militum tibi numerus noſtris ſervit expenſis: redderis inter arma geniatus, proceſſio tua procinctualis ornatus eſt: exercitu uteris pacato, nec pericula belli ſubis, & armorum pompa decoraris. Verum inter hæc civilem cogita diſciplinam: non permittas, milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes: annonas ſuas ſub moderatione percipiant: cauſſis non miſceantur extraneis*. Antedicta itaque comitiva, quam contulit Theodoricus Gothorum rex, *Syracuſana* appellatur, non quod uni Syracuſarum urbi propria eſſet; ſed quod civitas illa Siciliæ caput & metropolis nonnullis haberetur, in qua præſides jus dicebant. Eam ſane *caput Siciliæ* appellant, Valerius Maximus (e), & Florus (f); *Principem urbium* nominat Solinus (g); & *maximam Græcarum urbium* vocat M. Tullius (h).

Comes unus tori Siciliæ datus.

CA-

(a) Hic, Dipl. XXXVI.
(b) Gloſſar. *Script. mediæ Latin.*
(c) Lib. 6. tit. 17. *Lexic. Antiq. Rom.*
(d) Cod. Theod. lib. 6. tit. 17. & Cod. Juſtin. lib. 12. tit. 14.
(e) Lib. 2. cap. 8.
(f) Lib. 2. cap. 7.
(g) Cap. 6.
(h) *In Verr.* 4.

CAPUT IV.

De rationalibus ſummarum, procuratoribus Baphii Syracuſani, & rationalibus rei-privatæ.

XI. EX Notitia imperii Occident. in hac Collectione ſub n. XXI. publicata, nobis innoteſcunt, comes ſacrarum-largitionum, & comes rei-privatæ, de quibus agitur ulterius in Codice Theod. (*a*). Sub diſpoſitione ejuſdem comitis ſacrarum-largitionum ipſa eadem Notitia rationales conſtituit, inter quos quinto loco recenſetur *rationalis ſummarum trium provinciarum, Siciliæ Sardiniæ & Corſicæ*. Ergo tribus hiſce provinciis unus præerat rationalis, veluti fuit Eufraxius, cui ſcripſit (*b*) Conſtantinus imperator, de admittenda ſolutione ſimultanea, & quocumque tempore facta: item de æſtimatione ſolidi: de materia auri loco ſolidorum inferenda, deque ejuſdem auri ponderatione. Eufraxio Gerulus ſucceſſit, ad quem ipſemet Conſtantinus epiſtolam (*c*) dedit, ut conjunctæ ſervorum perſonæ in locandis fundis patrimonialibus vel emphyteuticariis ad principem pertinentibus, per diverſos conductores non dividantur. Gerulus autem Callepium ſucceſſorem habuit, cui idem imperator ſcripſit (*d*), quatenus dominium rerum ab imperatore donatarum anteriori donatario tradatur. Rationalium munus erat adminiſtrandis fundis patrimonialibus vel emphyteuticariis principis operam dare; ut ex tribus citatis Conſtantini epiſtolis clare liquet, & diſcimus ulterius ex duplici lege Codicis Theodoſiani (*e*).

Rationales ſummarum per Siciliam. Eufraxius. Gerulus. Callepius. Rationalium munus.

XII. Sub poteſtate ejuſdem comitis ſacrarum-largitionum, referente eadem Notitia Imp. Occid. procurator erat *Baphii Syracuſani Siciliæ*, id eſt loci, ubi lana & ſericum pro purpura principis excoquebantur: veſtes enim hujuſmodi privatis perſonis vendere ſub pœna capitis vetitum erat (*f*).

Baphii Syracuſani procurator.

XIII. Poſt comitem ſacrarum-largitionum in antedicta Notitia exhibetur comes rerum-privatarum, cui ſubjiciebantur XI. rationales, totidemque procuratores. Ex quibus rationalibus quintus erat *rationalis rei-privatæ per Siciliam*. Pancirolus (*g*) veretur ne error aliquis irrepſerit in hoc loco: veroſimile enim non videtur ei, dupli-

Rationalis rei-privatæ per Siciliam.

(*a*) Lib. 6. tit. 9.
(*b*) Hic, Dipl. III.
(*c*) Dipl. IV.
(*d*) Dipl. V.
(*e*) L. I. *de Domibus ad rem privatam pertinentib.* & L. ult. *de Conlat. Fund. Patrim.*
(*f*) L. I. Cod. Juſtin. *quæ res ven. non poſſ.*
(*g*) Comment. in Notit. Imper. Occident. cap. 42.

cem in Sicilia fuiſſe rationalem, illum ſcilicet *ſummarum* ſub diſpoſitione comitis ſacrarum-largitionum, & hunc *rei-privatæ*, cui imperabat comes rerum-privatarum: icc irco, ſecundo rejecto, primum tantummodo admittit. At contrarium tamen convincit epiſtola (*a*) imperatorum, Honorii & Theodoſii *ad Machedonium comitem rerum-privatarum*, ubi de Sicilia nominatim agitur, veluti ipſi comiti rerum privatarum ſubjecta; cui conſonat epiſtola (*b*) Theodorici Gothorum regis *ad Senarium virum illuſtrem comitem privatarum*.

CAPUT V.

De prætoribus, vice-prætoribus, & exprætoribus.

Priores magiſtratus Siciliæ.

XIV. Sicilia temporibus reipublicæ Romanæ per prætores, teſte M. Tullio (*c*), adminiſtrari gubernarique ſolita fuit; verum ſub imperatoribus, loco prætorum, proconſules, conſulares, correctores, alioſque magiſtratus varios ſortita eſt; donec Juſtinianus ipſam Siciliam Beliſarii opera a Gothis recuperaret. Tunc enim condita nova lege *de prætore Siciliæ*, quam ſupra (*d*) exſcripſimus, priſtina dignitas prætoria eidem provinciæ reſtituta fuit.

Prætoris Siciliæ munus.

XV. Hujus prætoris muneris erat, res civiles tractare, militariſque impenſæ curam gerere; ad ejus tamen ſolicitudinem publica tributa non pertinebant; ſed comiti patrimonii Italiæ reſervabantur; ut ex citata Conſtitutione plane liquet. Tanti erat auctoritas prætoris Siciliæ, ut nullæ adverſus ſententias ejus porrigi poſſent appellationes, niſi ad quæſtorem regiæ Urbis. Qui Conſtantinopolitanus quæſtor, etſi maxima polleret poteſtate, quod tamen ſuper provocationes ejuſmodi daturus erat judicium, ipſi imperatori referre debebat, ſuprema poteſtate confirmandum; quemadmodum diſcimus ex altera Conſtitutione ejuſdem Juſtiniani (*e*).

Auctoritas.

XVI. Ceterum de prætore Siciliæ agitur præterea in epiſtola Pelagii papæ I. ad Cethegum patricium (*f*): *Sicuti filii noſtri magnifici viri prætoris teſtificatione didicimus*. Pelagius II. Pont. Max. in ſua ad clerum Catanenſem epiſtola (*g*) memorat etiam Leonem prætorem: *Quum igitur huc filius noſter magnificus vir Leo prætor veniſſet, retulit nobis de ſingulis, quæ ibi mota ſunt*. Initio pontificatus S. Gregorii magni ad præturam Siciliæ Juſtinus evectus fuit, ut refert

Leo prætor.

(*a*) Hic, Dipl. XXII.
(*b*) Dipl. XXXIX.
(*c*) *In Verrem.*
(*d*) Dipl. L.
(*e*) Dipl. LI.
(*f*) Dipl. LIV.
(*g*) Dipl. LVII.

Juſtinus. Libertinus. Alexander. Sergius.

refert epiſtola (*a*) ejuſdem S. Gregorii inſcripta ipſi *Juſtino prætori Siciliæ*. Ex eodem S. Gregorio Juſtinus in prætoria dignitate Siciliæ Libertinum ſucceſſorem habuit, ut patet ex ejus epiſtola ad Cyprianum diaconum (*b*): *Virum autem glorioſum domnum Libertinum prætorem*; de quo alibi (*c*) nos diſerte egimus. Libertino ſuffectus eſt Alexander, ut diſcimus ex epiſtola (*d*) antedicti S. Gregorii data *Alexandro prætori Siciliæ*. Sub Leone Iſauro Sergium Siciliæ prætorem fuiſſe narrat Johannes Zonara (*e*): *Anno*, inquit, 717. *interea Sergius Siciliæ prætor cognita urbis obſidione Arabica*, &c.

Prętoris ſedes ejuſque vicarii.

XVII. Prætor in una ex principalioribus urbibus ſedem ſuam tenebat, in aliis ſervatores ſuos, ſive vice-prætores conſtituebat, teſte S. Gregorio magno in epiſtola ad Theodorum epiſcopum Lilybœtanum (*f*); ubi agens de quodam Bonifacio, inquit: *Cujus ſcelera volumus utrum vera ſint, ut fraternitas tua cum loci ſervatore prætoris examinet.*

Expraetores.

XVIII. De prætoribus & vice-prætoribus hactenus, nunc de expraetoribus aliquid dicamus. Expraetores ii dicebantur, qui præturam antea geſſerant: unde S. Gregorius ſcribens Libertino prætura Siciliæ jam privato, hanc præmiſit epigraphem: *Libertino exprætori* (*g*).

Prætor idem ac præfectus.

XIX. Quod prætor apud Græcos ἔπαρχος dictus ſit, hinc non caſu factum, ut unus idemque Siciliæ rector nunc prætoris, nunc præfecti nomen obtinuerit: nam utramque ſignificationem admittit Græca illa vox ἔπαρχος. Adi quæ expoſuimus ſupra (*h*). Et præterea conſule hujus Diſſertationis Cap. XIII. *de patriciis & præfectis*.

CAPUT VI.

De exconſulibus.

Exconſul Siciliæ Leo.

XX. ILluſtrantibus nobis Siciliæ diplomaticæ hiſtoriam hanc duo occurrunt exconſules. Alter eſt Leo, de quo agit S. Gregorius, Paulo Scholaſtico ſcribens (*i*): *Et quia viro eminentiſſimo domno Leone exconſule veniente, vos in Sicilia remanere non ſuſpicor*. Et rurſum in epiſtola ad Petrum ſubdiaconum (*k*): *Glorioſi*

(*a*) Hic, Dipl. LXI.
(*b*) Dipl. CXVIII.
(*c*) In notis ad Dipl. XCV.
(*d*) Dipl. CCXI.
(*e*) Ad annum 717.
(*f*) Dipl. XCVI.
(*g*) Dipl. CXCII.
(*h*) In notis ad cit. Dipl. CCLXXIV.
(*i*) Dipl. LXII.
(*k*) Dipl. LXXVII.

Leontius. *viri Leonis exconſulis epiſtolæ concurrunt*. Alter eſt Leontius, cui ipſe idem S. Gregorius plures dedit epiſtolas, ejuſmodi portantes inſcriptionem: *Leontio exconſuli* (*a*). Hunc in aliis quoque epiſtolis paſſim (*b*) memorat ipſemet S. Pontif. Eos exconſules a S. Gregorio dictos putamus, non quod conſulatum revera geſſerant, quum ſatis antea, anno ſcilicet 541. Juſtinianus imperator dignitatem ejuſmodi aboleverit; ſed quod honorificum tantùm titulum per chartam receperant: quem morem tunc temporis obtinuiſſe, facile datur intelligi ex alia epiſtola (*c*) ejuſdem S. Gregorii: *Chartas exconſulatus expetiit*, &c. Nihilominus aut titulus iſte non omni erat vacuus exercitio, aut certe iis tribuebatur, quibus alioquin dignitas inhærebat: nam ex epiſtolis ſuperius laudatis plane liquet, Leontium exconſulem Mauricii imperatoris miniſtrum fuiſſe, ac ejus nomine in Sicilia rebus judicandis præfuiſſe. Confer cum his quæ exhibuimus ſupra Cap. II. n. VII.

CAPUT VII.

De defenſoribus civitatum.

Defenſorum electio & munus.

XXI. IN urbibus quæ civium frequentia celebres erant, eorum decretis defenſores eligebantur, quorum muneris erat, diſciplinæ invigilare, plebem & decuriones ab omni inſolentia compeſcere, mercatores & naucleros tueri, patientium injuriam querelas excipere, & alia id genus facere, quæ habentur in utroque Codice, Thodoſiano & Juſtiniano (*d*). Quot qualeſque Siciliæ urbes honorificentiam hanc obtinuerint, amiſſis jam antiquitatis tabulis, gratis divinare non poſſumus. De Catana nihilominus & Syracuſis dubitare non ſinunt, epiſtola (*e*) Theodorici regis, inſcripta *honoratis, poſſeſſoribus, defenſoribus, & curialibus Catanenſis civitatis*; & epiſtola (*f*) Athalarici regis *ad univerſos poſſeſſores & defenſores Syracuſanæ civitatis*. Lilybœtanum vero defenſorem nomine Sabinianum indicat & laudat S. Gregorius magnus Fantino defenſori ſuo ſcribens (*g*). Ceterum præter hos defenſores civitatum erant illi eccleſiæ, de quibus aptius in præcedente Diſſertatione noſtra Cap. III. actum eſt.

CA-

(*a*) Hic, Dipl. CLII. CXCIX. CCIII.
(*b*) Dipl. CLXI. CXCV. CXCVIII. CCI. CCXLVIII.
(*c*) Lib. 2. Epiſt. 53.
(*d*) Tit. *de Defenſoribus civitatum*.
(*e*) In hac Collect. Dipl. XXXVIII.
(*f*) Dipl. XLI.
(*g*) Dipl. CXCI.

CAPUT VIII.

De actionariis publicis.

XXII. IN ſuperiore Diſſertatione noſtra Cap. II. diſerte egimus *de actionariis ſeu actoribus eccleſiæ*, quorum alii ſub ditione rectoris adminiſtrando patrimonio eccleſiæ Romanæ operam dabant; alii autem cujuſque eccleſiæ utilitatibus intendebant. Iis nihil commune erat cum actionariis publicis, ſæcularis poteſtatis miniſtris, quos memorat S. Gregorius Petro ſubdiacono, rectori patrimonii eccleſiæ ſuæ in Sicilia ſcribens (*a*): *Qui dum de ſuo unde dare debeant, non habent, ab actionariis publicis mutuo accipiunt, & gravia commoda pro eodem beneficio perſolvunt*. Et iterum in epiſtola ad Anthemium ſubdiaconum (*b*): *Pro quo ab actionariis publicis ſe remeantem queritur eſſe conſtrictum, impetentibus, cur ſervum juris publici furtim de illis partibus auferre præſumpſerit*. Actionariis publicis actionarii eccleſiæ recentiores ſunt. Sane primis ſæculis eccleſiæ bona adminiſtrare, actionariorum publicorum muneris erat: quare Theodoſius junior, Siſinno ſcribens (*c*), in adminiſtrando patrimonio eccleſiæ Ravennatis in Sicilia imperatoris actionarios partem aliquam habuiſſe refert.

Actionarii publici ab actionariis eccleſiæ diverſi.

CAPUT IX.

De chartulariis.

XXIII. CHartularii quinque in Sicilia fuiſſe noſcuntur, Maurentius, Felix, Stephanus, Leo, & Anonymus quidam. Primum commemorat S. Gregorius magnus, Paulo Scholaſtico ſcribens (*d*): *Veniente autem viro magnifico domno Maurentio chartulario*. Alterius recordatur in epiſtola (*e*) ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum: *Præſentium vero latorem Felicem, virum conſularem, chartularium, ſalva fraternitati tuæ juſtitia, commendamus*. De tertio agit ipſemet S. Gregorius in epiſtola (*f*) inſcripta ipſi *Stephano chartulario*: ut monachos duos ſui ſtatus deſertores jubeat retrudi, & monaſterio conſuetudines novas imponi non ſinat. Et rurſum in epiſtola (*g*) ad Johannem abbatem: *Quia Stephanus chartularius*

Chartulariorũ Siciliæ numerus.

(*a*) In hac Collectione, Dipl. LXIX.
(*b*) Dipl. CCXXXIII.
(*c*) Dipl. XXVIII.
(*d*) Dipl. LXII.
(*e*) Dipl. LXXXIV.
(*f*) Dipl. LXXXV.
(*g*) Dipl. XCI.

larius dicitur imminere, ut eam prædictus Florianus in publicum transferat, & grave nobis eſt cum publico litigare: unde neceſſe eſt nobis, aliquid cedere, ut poſſimus eamdem cauſſam ad compoſitionem perducere. De Leone mentionem facit ipſe idem S. Gregorius, Secundino epiſcopo Tauromenitano ſcribens (*a*): *Præſentium portitor Leo chartularius, ad nos veniens, indicavit.* Anonymum vero memorat Photius pſeudo-patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſtola (*b*) ad Theophanem monachum: *Qui chartularii munus iſthic ab imperatore adeptus eſt, hoc dicens, celeberrimæ Siciliæ exitium obtigiſſe.*

Eorum officium.

XXIV. Ex teſtimoniis modo laudatis plane liquet chartularios miniſtros fuiſſe imperatoris, quorum muneris erat, cuſtodiæ imperialis archivii intendere, pecunias publicas tractare & adminiſtrare, necnon judicis partes ſuſtinere: unde de eodem Stephano, qui injuſte ac nimium Siculos gravabat, ad Conſtantinam auguſtam hæc ſcripſit S. Gregorius (*c*): *In Sicilia autem inſula Stephanus quidam marinarum partium chartularius, tanta præjudicia, tantaſque oppreſſiones operari dicitur, invadendo loca ſingulorum, atque ſine ditione cauſſarum per poſſeſſiones, ac domos titulos ponendo, ut ſi velim acta ejus ſingula, quæ ad me pervenerunt, dicere, magno volumine hæc explere non poſſim.* Ceterum a chartulariis imperatoris diverſi plane erant chartularii eccleſiæ, qui frequentius notarii dicebantur. Conſule quæ de iis expoſuimus in Diſſertatione proxime præcedente Cap. IV. *de notariis, & chartulariis.*

CAPUT X.

De ſcribonibus.

Scribonum Siciliæ officium.

XXV. APud Anaſtaſium Bibliothecarium (*d*) ſcribo accipitur pro ſatellitum præfecto; ſed apud Siculos officium honoratius ſonabat, quale erat illud colligendi probandique tyrones; ut diſcimus ex S. Gregorio, qui Petro ſubdiacono & rectori patrimonii eccleſiæ ſuæ in Sicilia ſcribens (*e*): *Venientibus*, inquit, *ſcribonibus, qui ſicut audio jam illuc tyrones colligunt, loci tui ſervatori deputa, ut parum aliquid xenii offerat.* De hujuſmodi tyronibus fit quoque mentio in epiſtola Impp. Honorii & Theodoſii ad Machedonium comitem rerum-privatarum (*f*); & præterea diſertiſſime agitur in

(*a*) Hic, Dipl. CXCIII.
(*b*) Dipl. CCLXXX.
(*c*) Dipl. CXXI.
(*d*) *In Vigilio*, atque *in Theodoro*, & alibi paſſim.
(*e*) Dipl. LXXXVI. §. *Venientibus*.
(*f*) Dipl. XXII.

in Codice Theodoſiano (*a*). Porro ſcribonibus aliquid xenii ex patrimonio S. Petri offerri præcipit S. Gregorius, per manus autem ejus, quem Petrus ſubdiaconus Romam profecturus, loco ſui in Sicilia deputaverit: *Quatenus ſibi eos placabiles reddat*. Nam ſcribones turpi exiſtimatione erant apud omnes, potiſſimum apud ipſum eumdem S. Gregorium, qui Gentioni hocce munere fungenti, quamvis bonum eſſe non ignoraverit, maluit annis ſingulis ex patrimonio eccleſiæ per defenſorem ſuum in Sicilia (*b*) gratis dari porcos viginti, totidemque verveces, & gallinas ſexaginta, quam ei propter malam ſcribonum opinionem, eccleſiæ poſſeſſionem ſub ſpecie locationis committi: *Propter malos*, inquit, *ſcribones judicavimus in hac nos cauſſa nec bono committere*. Ceterum in hoc Codice frequens admodum eſt memoria Azimarchi ſcribonis in Sicilia, cui epiſtolas (*c*) tres inſcripſit ipſemet S. Gregorius; & de eo agit ulterius in epiſtola (*d*) ad Secundinum & Johannem epiſcopos Siciliæ.

Scribones mala exiſtimatione affecti. Gentio ſcribo. Azimarchus.

CAPUT XI.

De ſtrategis.

XXVI. CONſtantinus & Irene imperatores in ſua divali ſacra, quam exſcripſimus ſupra, ſub n. CCLXXVI. ſtrategum Siciliæ memorant, cui nimirum jubent, quamobrem Adriano papæ, Roma Conſtantinopolim naviganti, ad ſynodum adverſus Iconoclaſtas celebrandam, quidquid iter agendi cauſſa neceſſarium fuerit, ſumma cum liberalitate ſuppeditaret. Alios antiquos ſtrategos Siciliæ indicat Octavius Cajetanus (*e*); ſed exactis Saracenis, numero plures, in Meſſanenſi potiſſimum urbe claruiſſe, diſcimus ex Conſtitutionibus Regni (*f*), ex Hugone Falcando (*g*), & ex omnibus pene tum antiquis, tum recentioribus hiſtoriæ Siculæ ſcriptoribus.

Plures in Sicilia ſtrategi.

CA-

(*a*) Lib. 7. tit. 13. *de Tyronibus*.
(*b*) Hic, Dipl. CCVII.
(*c*) Dipl. CCVI. CCXXXVII. & CCXXXIX.
(*d*) Dipl. CCV.
(*e*) Iſag. ad *Hiſt. Sicil.* cap. 43. n. 25. & ſeqq.
(*f*) Lib. 1. tit. 69. §. 2.
(*g*) *Hiſt. Sicil.* pag. 663. 669. & 671.

CAPUT XII.

De magiſtris militum.

Magiſtrorum militum officium & numerus in Sicilia.

XXVII. Magiſtri militum dicti ſunt qui copiis militaribus præerant: ab initio duo tantummodo fuere, ad quos, teſte Zoſimo (*a*), Conſtantinus magnus a præfectis Prætorio imperium militare tranſtulit: quorum alter equitibus, peditibus alter præerat. Horum numerum, quemadmodum teſtatur idem auctor (*b*), inde auxit Theodoſius: unde non mirandum ſi plures in Sicilia magiſtri militum uno eodemque tempore claruiſſe noſcuntur: veluti ſunt, Maurentius (*c*), Zittanus (*d*), & Apollonius (*e*).

CAPUT XIII.

De patriciis, præfectis, & expræfectis.

XXVIII. Plura de patriciis eo libentius diſſerere prætermittimus, quo dignitatem hanc fuſiori notitia proſecuti ſunt, Sigonius, Panvinius, Gothofredus, aliique venerandæ antiquitatis cultores eximii. Inter patricios, de quibus fit mentio in hac Collectione, primus eſt Caſſiodorus, cui quod naſcentes in Sicilia tumultus auctoritate ſua compeſcuerat, patriciatus dignitatem contulit Theodoricus Gotthorum rex (*f*). Poſt Caſſiodorum occurrit Venantius exmonachus Syracuſanus, ejuſmodi patriciatus dignitate quoque donatus; ad quem triplicem epiſtolam (*g*) dedit S. Gregorius magnus: epiſtolam aliam ipſemet S. Gregorius inſcripſit *domno Venantio patricio & Italiæ jugalibus* (*h*).

Caſſiodorus patricius.

Venātius Syrac.

Venātius Panorm.

XXIX. Ab antedicto Venantio diverſus plane fuit Venantius patricius Panormitanus, cui ſemel atque iterum ſcripſit idem S. Gregorius (*i*); quemque ulterius memorat Fantino defenſori Panormitano ſcribens (*k*). Deinde ex epiſtola (*l*) Leonis papæ III. ad imperato-

(*a*) Lib. 2.
(*b*) Lib. 4.
(*c*) Hic, Dipl. CXLIV. CXLV. & CCXXXIV.
(*d*) Dipl. CXC.
(*e*) Dipl. CXCVI. & CXCVII.
(*f*) Dipl. XXXIV.
(*g*) Dipl. LXV. CXXXII. & CCXVI.
(*h*) Dipl. CLXXXI.
(*i*) Dipl. CCXLIV. & CCLIII.
(*k*) Dipl. CLXX. & CCXXXIV.
(*l*) Dipl. CCLXXVIII.

ratorem Carolum magnum anno 813. ſcripta duo alii patricii Sicilienſes nobis innoteſcunt, Conſtantinus & Gregorius. Antedicto Conſtantino nil commune fuit cum Conſtantino altero patricio, quem de militum intemperantia decimo ineunte ſæculo Tauromenii libere objurgavit S. Elias Ennenſis; quemadmodum conſtat ex vita ejuſdem ſancti apud Octavium Cajetanum (*a*), & Socios Bollandianos (*b*). Ad Conſtantinum hunc juniorem pertinere videtur vetus ſigillum plumbeum, quod Tauromenii repertum apud nos habemus; cui eſt inſcriptio Κωνσταντινῳ Πατριx . . Σικελίας. *Conſtantino patric . . Siciliæ.* Ad ipſum eumdem Conſtantinum ſpectat, ni fallor, Græca inſcriptio, quæ exſtat in majori templo oppiduli Molæ ſupra ipſam Tauromenii urbem ædificati, quam ita legimus: ΕΚΤΙΣΘΗ ΤΟΤΟ ΤΟ ΚΑΣΤΡΟΝ ΤΠΙ ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΤ ΠΑΤΡΙΚΙ . . . *Conditum eſt hoc Caſtrum ſub Conſtantino patrici . . .* Conſtantinus. Gregorius. Conſtantinus alter.

XXX. Ceterum patricii dignitas taliter diſponebatur, quatenus non vili perſonæ concederetur, nec ignotæ, vel elatæ; ſed valde notæ imperatoribus, fideli ſatis, ac prudenti, quemadmodum apud Paulum Forojulianum (*c*) teſtatum reliquit antiquitas. Apud quem exſtat & forma conſtituendi ejuſmodi patricios: *Protoſpatharius*, inquit, *veniens ante imperatorem, oſculetur ſuum humerum, & dicat: Maxime imperatorum, adeſt quem vocaſti. Tunc ſtet ad ſiniſtram imperatoris illius Hyparchus, quem nos dicimus præfectum, & dicat ei imperator: Cum protoſpathario futurum patricium adducito. Dum autem venerit patricius, in primis oſculetur pedes imperatoris, deinde genu, ad extremum oſculetur ipſum: tunc oſculetur omnes Romanos circumſtantes, & dicant omnes: Beneveniatis. Nobis nimium laborioſum eſſe videtur conceſſum nobis a Deo miniſterium ſolum procurare: quocirca te nobis adjutorem facimus, & hunc honorem tibi concedimus, ut Eccleſiis Dei, & pauperibus legem facias, & inde apud altiſſimum judicem rationem reddas. Tunc induat eum imperator mantum, & ponat ei in dextro indice annulum, & det ei bombacinum propria manu ſcriptum, ubi taliter contineatur ſcriptum: Eſto patricius, miſericors, & juſtus. Tunc ponat ei in caput aureum circulum, & dimittat.* Eadem fere habet Caſſiodorus (*d*), niſi quod præter chlamydem, etiam calceos addit. Conſule figuram Caroli magni in patricii habitu a Mabillonio (*e*) exhibitam. Patricii conſtituendi formula.

XXXI. Patriciatus dignitatem feminis quoque noſcimus datam: hinc in noſtra hac Collectione epiſtolam S. Gregorii magni invenies, *Italicæ patriciæ* inſcriptam (*f*). Rurſum & alteram ad Johannem epi- Patriciatus dignitas feminis quoque data.

(*a*) Tom. 2. *Sanctor. Siculor.* pag. 73.
(*b*) *Act. Sanctor.* menſis Auguſti die 17. *de S. Elia Ennenſi.*
(*c*) Hiſtor. *de Geſtis Longob.*
(*d*) Var. lib. 3. Epiſt. 9.
(*e*) In *Supplem. Dipl.* pag. 40.
(*f*) Hic, Dipl. CI.

epiſcopum Syracuſanum datam (*a*), in qua recordatur ipſemet S. Gregorius, *glorioſæ filiæ Ruſticianæ patriciæ*. Quibus addi poteſt epiſtola Lucii præfecti ad Impp. Leonem & Conſtantinum (*b*); ubi agitur de Heliodoro mago Catanenſibus infeſtiſſimo, *Barbaræ patriciæ* filio.

Præfecti. XXXII. Patriciis proximi erant præfecti. *Nam patricios* (Du-Gang (*c*) verba exſcribimus) *etiam peculiari nomenclatura appellabant, Siciliæ & Longombardiæ præfectos, Conſtantinopoli ab auguſtis ſubmiſſos*. Quod plane confirmat antedicta hiſtoria S. Eliæ Ennenſis, ubi unus idemque imperatoris miniſter in Sicilia, nomine Conſtantinus, & patricius & præfectus appellatur. Subjiciamus ejus verba: *Pari etiam licentia, ac libertate patricium Conſtantinum objurgans* (S. Elias): *Quin dicebat, præfecte, populos tuæ curæ ac fidei*
Expræfecti. *creditos a turpiſſimis factis prohibes?* Præfectus depoſita dignitate, expræfecti nomenclaturam retinebant: hinc adeſt S. Gregorii epiſtola (*d*) ad Maurilionem expræfectum.

DISSERTATIO VIII.

De antiquis ponderibus & menſuris Siciliæ, in hoc primo Volumine Cod. Dipl. commemoratis.

CAPUT I.

De ponderibus.

I. QUoniam frequens eſt in hoc primo Volumine Siciliæ diplomaticæ ponderum mentio & menſurarum, noſtræ prorſus ætati incognitorum, non in vacuum me puto laborare, ſi brevi velut compendio ejuſmodi pondera & menſuras ad calculos revocemus, & cum ponderibus & menſuris noſtrorum temporum, ut fieri poteſt, conferamus. Haud nos latet, eruditiſſimum virum Johannem Baptiſtam Hodiernam opuſculum de ponderibus & menſuris patriis in lucem emiſiſſe; at is tamen de antiquis minus ſolicitus, hodiernis Siculis cum veteribus Romanis, Græcis, & Hebraicis comparandis, totus intendit. Atque ita in hoc argumenti genere actum agere non videor, ſed neceſſariam prorſus provinciam illuſtrandam nanciſci reor. Et ut meliori clariorique ordine progrediar, agam primum de ponderibus, inde de menſuris. Et quoniam inter pondera præſtantius eſt talentum, ſacris profaniſque ſcri-

(*a*) Hic, Dipl. CCXXIV.
(*b*) Dipl. CCLXXIV.
(*c*) In *ſuo Gloſſario*.
(*d*) Dipl. CCXL.

ſcriptoribus ſatis cognitum, illi igitur exponendo prius hærendum duxi.

II. Talentum de quo ſit mentio in hac Collectione noſtra (*a*), non realis, ſed imaginarius nummus fuit. Si minarum ſeu librarum numerus, quibus conſtabat, ſpectetur, unum omnibus, atque idem talentum erat: utpote quod apud omnes populos ſexaginta minas, ſeu ſexmille drachmas, ſive denarios contineret; ſi autem minarum valor attendatur, diverſa talentorum genera conſtituamus, oportet: nam ſicut drachmæ in quibuſdam locis minores erant pretio, & pondere, quam in aliis, ſic & minæ ex drachmis compoſitæ. Hinc non caſu factum, nec ſcriptorum obſcitantia, ut talentum, quo utebantur Siculi, dictum ſit, *talentum Siculum*, aut *Syracuſanum*. Hocce talentum, ſecundum Suidam decimi ſæculi ſcriptorem (*b*), antiquitus vigintiquatuor minas Atticas habebat; ſed ætate ſua duodecim tantum continebat: *Unde primum valebat drachmis Atticis duabus mille, & quadrigentis: ſecundum mille ducentis*. Verba ſunt Bartholomæi Beverini (*c*). Qui alibi (*d*) hujuſmodi talenta ſicula cum hodierno aureo, ex decem juliis conflato conferens, refert: *Talentum Siculum vetus argenteum, aureos habuiſſe* CCXL. Et: *Talentum Siculum novum argenteum, aureos habuiſſe* CXX. Noſter Hodierna ſuperius laudatur (*e*), hocce vetus talentum Siculum non memorat, ſed hodiernum, quod centipondium dicimus, & patria voce *cantaro*: utpote quum centum rotulis Siculis conſtet, inſtar talenti Hebraici ex centum minis Atticis compoſiti. Talentum.

III. Etſi multa fuerint, ac varia, pro varietate gentium, & regionum, ſolidorum genera, ut erudite diſſerunt, Budæus, Cenalis, Du-Gang, & Beverinus modo laudatus; at Siculis tamen ſolidus aureus ſemper uſui fuit, nimirum qui conſtabat ex auro cocto; ut plane liquet ex epiſtola imperatoris Conſtantini magni ad Euſraxium rationalem Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ (*f*). Eumdem ſolidum aureum memorat ulterius S. Gregorius magnus, Petro ſubdiacono rectori patrimonii S. Petri in Sicilia ſcribens (*g*): *Ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus, in auro ſolidos decem*. Et quidem ſub nomine ſolidi, de quo frequens in hac Collectione (*h*) occurrit mentio, alium ab aureo diverſum non venire, plane liquet ex eodem S. Gregorio, qui centum illos ſimplices ſoli- Solidus.

(*a*) Hic, Dipl. CCLXXIII

(*b*) In ſuo *Lexico* verbo *Talentum*.

(*c*) *Syntagm. de Ponder. & Menſur.* pag. 107.

(*d*) Ibid. pag. 221.

(*e*) In Opuſculo *la Statera del momento* pag. 21.

(*f*) In hac Collect. Dipl. III.

(*g*) Dipl. LXXI.

(*h*) Dipl. XXII. LVIII. LIX. & alibi paſsim.

dos, quos Euſebio abbati per antedictum Petrum ſubdiaconum dari præceperat (*a*), in epiſtola ad ipſum Petrum (*b*), ſolidos aureos appellat. Item Judæis latifundia eccleſiæ in Sicilia colentibus, ubi ad Chriſtum fuerint converſi, ita minui vult (*c*) penſionum onera, ut ex tribus ſolidis unus relaxetur, & ex uno tremiſſis: qui, ut mox dicemus, nummus erat, tertiam ſolidi aurei partem valens.

Solidi valor. IV. Quilibet ſolidus ſeptimæ unciæ pars erat, & quatuor ſcripulis conſtabat; ut diſcimus ex epiſtola Conſtantini magni, ſuperius laudata: *Siquis*, inquit, *ſolidos appendere voluerit auri cocti, ſeptem ſolidos quaternorum ſcripulorum noſtris vultibus figuratos appendat pro ſingulis unciis, quatuordecim vero pro duabus*. Non eamdem ſemper fuiſſe ſolidi æſtimationem, ſed variam, docent nos rei nummariæ ſcriptores, apud quos, ne verbum quidem legimus de mutatione in ſolido Siciliæ inducta. Nihilominus in tantis obfuſis prolapſæ antiquitatis tenebris S. Gregorius facem nobis præbere videtur, qui ætate ſua tanti ſolidum Siculum fuiſſe perhibet, ut quindecim argenti libræ trecentis ſolidis taxarentur (*d*).

Tremiſsis. V. Solido proxime accedit tremiſſis, nummus tertiam ſolidi partem continens. Hujus monetæ uſus apud Siculos obtinuit; quemadmodum datur intelligi ex epiſtola, quam S. Gregorius magnus Cypriano diacono & rectori patrimonii Siculi dedit (*e*): *Quod ita quoque fieri volo, ut ſi quis ex eis converſus fuerit, ſi ſolidi penſionem habet, tremiſſis ei relaxari debeat*.

Libra. VI. Libra notiſſimum ponderis genus, alias *pondo*, *as*, & *mina* appellata. Olim, ſicut & tunc, partibus duodecim conſtabat, quæ unciæ appellabantur. Ejus uſum tum ponderando auro, tum argento invenimus adhibitum; de auro agit S. Gregorius magnus in epiſtola (*f*), quam Petro ſubdiacono & rectori patrimonii ſui in Sicilia inſcripſit. Ibi: *Quinquaginta vero auri libras, nova frumenta ab extraneis compara*. Rurſum in epiſtola ad Johannem (*g*) epiſcopum Syracuſanum: *Sed acceptis decem auri libris, tunc Theodorus, magiſter militum obſtitit*. Et iterum in epiſtola ad eumdem Johannem (*h*): *Decem libras auri*, &c. De argento vero libra ponderato, teſtimonium perhibet ipſemet S. Gregorius in epiſtola (*i*) ad Donum epiſcopum Meſſanenſem: *Ut de argento Merienſis eccleſiæ, cujus miles eſſe dignoſcitur, quod apud vos eſt, quindecim ei libras, accepto ab eo de-*

(*a*) Hic, Dipl. LXXXIX.
(*b*) Dipl. LXXXVI. §. *Præterea unum nobis*.
(*c*) Dipl. CXIII.
(*d*) Dipl. CXXXVII.
(*e*) Dipl. CXIII.
(*f*) Dipl. LXXVII.
(*g*) Dipl. CLXXIII.
(*h*) Dipl. CLXXXIV.
(*i*) Dipl. CXXXVII.

deſuſcepto , dare modis omnibus debeatis . Libra item à Siculis noſtris, ſicut & a Romanis, pro nummo aereo, ſeu aliquo pecuniarum acervo accipiebatur, & eadem fuiſſe videtur , ac as ille libralis, qui Doricis oram Italiæ incolentibus uſui erat; ut poſt Pitiſcum (*a*) obſervavit Beverinus (*b*). De qua libra locutum fuiſſe S. Gregorium, quum Petro ſubdiacono (*c*) ſcriberet , vel ex contextu ejuſdem epiſtolæ plane liquet . Ibi : *Sed tua experientia , ſive in hoc , quod per libram amplius, ſive in aliis minutis oneribus . . . . . Et neque ſiliquas extra libras , neque libram majorem , neque onera ſupra libram majora exigere debeant.*

VII. Quoniam libra in uncias dividi ſolita erat , poſtquam igitur de libra egimus, de uncia aliqua expendere operæ pretium eſſe arbitramur . Ergo uncia , quam memorat (*d*) Conſtantinus magnus, Eufraxio rationali Siciliæ ſcribens, duodecima libræ pars erat, atque in ſemunciam , duellam , ſicilicum, ſextulam, ſcripulum, & ſiliquam opportunius dividebatur : ſemuncia dimidiam unciæ partem continebat, duella tertiam partem, ſicilicus quartam, ſextula ſextam, ſcripulum vigeſimamquartam , ſiliqua vero ſextam ſcripuli . Ex his unciæ partibus , duarum tantummodo in hac Collectione mentio occurrit, ſcripuli ſcilicet (*e*), & ſiliquæ (*f*). Uncia.

VIII. Et ne aliquid prætermiſiſſe videamur , notatu dignum remur, quod uncia ultra ponderalem ſignificationem duodecima cujuſque rei pars dicebatur ; ut patet ex epiſtola S. Gregorii magni ad Johannem abbatem (*g*) . Et magis proprie de hereditate accipiebatur: nam veteres integram hereditatem *aſſem* appellabant , ejuſque partes *uncias*: iccirco cui integra hereditas debebatur, heres ex aſſe dictus erat; cui ſex unciæ, heres ex ſemiſſe; cui quatuor, heres ex quadrante, &c. Et in hac ſignificatione accipienda eſt unciæ vox ſemel, iterum, atque tertio (*h*) hocce in Codice adhibita. Ceterum uncia numerus eſt aureus, triginta tarenos valens (*i*), qui temporibus regis Jacobi (*k*) in uſu erat , & noſtra hac ætate cudi rurſus cœpit. Ejus varia ſignificatio.

CA-

(*a*) *Lexic. Antiq. Rom.* tom. 2. pag. 456.
(*b*) *De Ponder. & Menſur.* pag. 75.
(*c*) Hic, Dipl. LXIX.
(*d*) Dipl. III.
(*e*) Cit. Dipl. III.
(*f*) Dipl. LXIX.
(*g*) Dipl. XCI.
(*h*) Dipl. LXIX. CXCIV. & CCXXXVI.
(*i*) Du-Cang in ſuo *Gloſſar.* verbo *uncia*, & verbo *tarenus*.
(*k*) Capitula regis Jacobi cap. 7.

CAPUT II.

De menſuris.

IX. DE ponderibus hactenus, nunc de menſuris pauca delibare viſum eſt; quæ, quod in duplici exſiſtant differentia, quum aliquæ liquidis menſurandis, aliquæ vero aridis ſerviebant: de utriſque igitur diſtincto ordine agendum erit. Et primo quidem de liquidorum menſuris, quæ tres erant, nempe decimatus vel decimata, amphora, & orca.

Decimatus. X. Decimatum memorat S. Gregorius magnus (*a*), Petro ſubdiacono & rectori patrimonii S. Petri in Sicilia mandans, quatenus cujuſdam Godiſcalchi filio inopi & cæco, pro ſuſtentatione vitæ, *vini decimatas viginti* inter alia ſuppeditet. Rurſum eidem Petro ſubdiacono præcipit (*b*), ut Siſinnio, Samnii olim judici, in Sicilia inde inopia laboranti, quatuor ſolidos annuos miniſtret, & *viginti decimatos vini*. Decimatus, menſura eſt vini, librarum ſexaginta capax; ut patet ex Anaſtaſio (*c*): *Decimatas*, inquit, *duas penſantes per unamquamque decimatam libras ſexaginta*.

Amphora. XI. Decimato grandior erat amphora, ſic appellata, quod duplicem anſam haberet, unde facilius ferri poſſet. De ea fit mentio in epiſtola (*d*) antedicti S. Gregorii ad eumdem Petrum ſubdiaconum, quem monet, ut in celebratione novæ baſilicæ facienda, inter res alias, det pauperibus erogandas, *vini amphoras triginta*. Amphora vas erat fictile, continens vini libras octoginta; ut plane demonſtrat Bartholomæus Beverinus (*e*), quem conſule.

Orca. XII. Ipſe idem S. Gregorius in epiſtola modo laudata, ab antedicto Petro ſubdiacono etiam dari præcipit, *olei orcas duas*. Orca vox Hiſpanica eſt, vas ſonans incertæ quantitatis, oleo, aut etiam vino conſervando aptiſſimum; ut conſtat, ex Varrone (*f*), S. Gregorio Turonenſi (*g*), & S. Iſidoro (*h*).

Modius. XIII. Supereſt jam nunc, ut de aridorum menſuris agamus, nimirum de his quarum Codex noſter recordatur: quales ſunt, modius & ſextarius. Horum primum indicat S. Gregorius magnus in epiſtola ad antedictum Petrum Subdiac. & rectorem patrimonii Siculi, de emendandis

(*a*) Hic, Dipl. LXX.
(*b*) Dipl. LXXXVI. §. *Præterea unum.*
(*c*) In *Adriano*.
(*d*) Dipl. LXXI.
(*e*) *De Ponder. & Menſur.* pag. 116. & ſeqq.
(*f*) *De Re ruſtica* lib. I. cap. 13.
(*g*) *Hiſt.* lib. 4. cap. 44.
(*h*) Lib. 20. cap. 6.

dis gravaminibus ruſticorum *(a)*; & in altera ad ipſum Petrum, ut annis ſingulis viginti quatuor modios tritici, fabæ quoque modios duodecim Godiſcalchi filio inopi & cæco, ſuppeditet *(b)*; item in alia, ut Paſtori oculis infirmo, annuos tritici modios trecentos, necnon & fabæ modios totidem præſtare non differat *(c)*; rurſum in epiſtola ad Cyprianum diaconum, ut Zenoni epiſcopo ex rebus eccleſiæ in Sicilia, det modiorum tritici duo millia pauperibus diſtribuenda *(d)*; demum in epiſtola ad Pantaleonem notarium, quem laudat, quod injuſtam modii menſuram ad juſtam redegerit *(e)*.

XIV. Modius, quo rectores patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia frumenta a colonis recipiebant, grandior juſto erat: nam quum decem & octo ſextariorum eſſe debuerit *(f)*, viginti quinque ſextariis conſtabat; quem quod Pantaleon notarius integritatis amator, juſta adhibita menſura, confregerit, S. Gregorius fraudem jure execratus, notarii ſui diligentiam commendat; eumque hortatur, ut perceptam ex injuſto modio pecuniam, colonis pauperibus ſecreto diſtribuat *(g)*. Ex his plane liquet, modium Siculum duobus ſextariis Romano grandiorem fuiſſe. Romanus enim non decem & octo, ut Siculus, ſed ſexdecim tantum continebat ſextarios; quemadmodum patet ex Plebiſcito, quod duo Silii, Publius & Marcus tribuni plebis rogarunt anno ab Urbe condita quingenteſimo decimo: *Sexdecim ſextarii in modio ſient.* Modius Siculus diverſus a Romano.

XV. Sextarius, quæ modii pars erat, tam aridis, quam liquidis menſurandis ſerviebat. Hinc apud M. Tullium *(h)*, memoratur, *ſextarius aquæ*; apud Livium *(i)*, *ſextarius vini*; & in antedictis epiſtolis S. Gregorii, *ſextarius frumenti*. Fuit ſextarii capacitas unciarum frumenti quindecim, aquæ autem & vini unciarum viginti: unde in Plebiſcito ſuperius laudato, hæc leguntur: *Sextarius æquus libræ cum beſſe ſiet*. Sextarius in duodecim cyathos diviſus erat; quorum duo dicebantur *ſextans*, tres *quadrans*, quatuor *triens*, quinque *quincunx*, ſex *ſemiſſis*, ſeptem *ſeptunx*, octo *bes*, novem *dodrans*, decem *dextans*, & undecim *deunx*. Adi Beverinum *(k)*. Sextarius.

DIS-

(a) Hic, Dipl. LXIX.
(b) Dipl. LXX.
(c) Dipl. LXXIII.
(d) Dipl. CXXII.
(e) Dipl. CCLVIII.
(f) Dipl. LXIX.
(g) Dipl. CCLVIII.
(h) 2. *De Offic.* cap. 16.
(i) Lib. 7.
(k) *De Ponder. & Menſur.* pag. 153.

DISSERTATIO IX.

De ſtatu Eccleſiæ Siculæ ſub Saracenorum tyrannide.

I. QUi de ſtudio antiquitatis Siculæ non ſatis bene merentur, in eam facile inclinant opinionem, ut velint rei eccleſiaſticæ Siciliæ per Saracenos non vulnus tantum, ſed interitum inflictum eſſe ita, ut tunc ceſſarit omnino religionis Chriſtianæ ſtudium. Iis ſic opinandi viam inter primos ſtraviſſe videtur, qui Saracenicæ tyrannidis e Sicilia abigendæ auctor exſtitit primarius, comes Rogerius. Is in charta dotationis Meſſanenſis eccleſiæ (*a*), Siciliam a ſe inventam perhibet, *terram Saracenorum, habitaculum nequitiæ & infidelitatis*. Eiſdem ferme verbis utitur in ſcriptura reædificationis eccleſiæ Catanenſis (*b*): *Terra Sicilia, terra Saracenorum: habitaculum nequitiæ & infidelitatis*. Et expreſſius loquitur in ſuo de erectione Troinenſis eccleſiæ diplomate (*c*): *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini* 1082. *Indictione vi. tempore domini Gregorii venerabilis præſulis ſedis apoſtolicæ. Reſpexit Dominus oculo miſericordiæ ſuæ miſerias Sicilienſis eccleſiæ, quas paſſa eſt longa Saracenorum oppreſſione. Felix dies & multa celebritate notandus, quo primum Siculorum fines aggreſſus Nortmannus. Proinde enim Eccleſia Domini roboratur: Chriſtianum nomen extollitur: clerus & populus Chriſtianus augetur; Saracenorum vero multitudo offenditur, quæ tantum & talem meruit habere comitem. Per quem Chriſtianum viget nomen, & Chriſtianus populus ſuam recuperat dignitatem; gentilitas vero, ut dignum eſt, ſuam incurrit perniciem. Hujus ergo laus non deſinat in ſæcula, cujus conſtitutionis potentia Sicilienſis erigitur Eccleſia: clericorum ordo jam convertitur ad ſumma: ipſe poſt obitum ſit præmium, qui eſt Eccleſiæ primum fundamentum.*

Rogerii comitis teſtimoniũ de ſtatu Siciliæ.

II. Eadem, immo non eadem, ſed longe clariora exhibet Urbanus papa ſecundus in epiſtola (*d*), quam Syracuſano epiſcopo Rogerio dedit: *Effera enim*, inquit, *Saracenorum gens præfatam inſulam ingreſſa, quoſcumque ibi Chriſtianæ fidei cultores reperit, alios gladio peremit: quoſdam exilio deputavit: plures miſerabili ſervitute oppreſſit. Sicque Chriſtiana religio per tres centum fere annos a Dei ſui cultura ceſſavit.*

Item & Urbani papæ II.

III. Ad hæc venerandæ antiquitatis teſtimonia facilis reſponſio eſt & multiplex. Et quidem non is certe fuit Rogerii atque Urbani ſenſus,

Saniori mẽte explicantur.

(*a*) Pyrrhus *Notit. Eccleſ. Meſſan.* ad annum 1090.
(*b*) Groſſus *Catana ſacra* ad annum 1091.
(*c*) Pyrrhus *Notit. Eccleſ. Troinenſ.* ad annum 1082.
(*d*) Idem *Notit. Eccleſ. Syracuſ.* ad annum 1093.

ſus, ut alliſam prorſus voluerint & attritam rem eccleſiæ Siculæ, ſed infirmam certe, languore confectam, & reparatione dignam. Porro in ipſo eodem diplomate erectionis Troinenſis eccleſiæ ipſemet Rogerius memorat, *presbyteros epiſcopatus, tam Latinos, quam Græcos*: eos ſcilicet quos græcanitani addictos in his partibus invenerat, & alios quos ipſe latinitatis intromittendæ ſtudioſus, juxta Latinorum morem ordinari curaverat. Adi Tractatum noſtrum, *de Divin. Siculor. Offic.* (*a*).

Presbyteros in Sicilia invenit Nortmanni.

IV. Sententiæ noſtræ fidem quoque aſtruit Gaufredus Malaterra, teſtis coævus & oculatus, qui de rebus per ipſum Rogerium in Sicilia & propter Siciliam geſtis hiſtoriam ſcribens (*b*), de Chriſtianis Siculis paſſim mentionem facit, & potiſſimum de his, qui appropinquanti Troinam Rogerio maxima cum lætitia occurrerunt, & una cum eo feſtum natalis Domini ſollemniter celebraverunt. *Inde Trainam adveniens a Chriſtianis civibus, qui eam incolebant, cum gaudio ſuſceptus urbem intrat: pro velleque ſuo ordinans, ibidem natale Domini celebrant*. Hæc Malaterra, qui etiam eſt auctor, non populum modo & clerum ritu Græco, ſed & epiſcopos quoque Chriſtianæ religionis cuſtodes vigilantiſſimos, inventos eſſe a Nortmannis: unde Panormitanum memorans principi templo ſuo dejectum, & in paupere eccleſia S. Cyriaci Dei cultum exſequentem, inquit (*c*): *Archiepiſcopum qui ab impiis dejectus, in paupere eccleſia S. Cyriaci, quamvis timidus, natione Græcus, cultum Chriſtianæ religionis pro poſſe exſequebatur, revocantes reſtituunt*.

Clericos queque & Chriſtianos.

Item & epiſcopos.

V. Argumentum plane confirmat hiſtoria liberationis Meſſanæ, a Balutio primum (*d*), tum a Muratorio (*e*) in lucem emiſſa: ex qua diſcimus clare, Rogerium non ſponte ſua in Siciliam emenſo freto navigaſſe, ſed invitantibus, ac jurejurando ſocios pii certaminis ſe ultro offerentibus Chriſtianis Siculis. Hujus hiſtoriæ teſtimonium, quod prolixius ſit, quam ut commode hic exſcribi poſſit, habebis in principio ſecundi Voluminis noſtri hujus Codicis Diplomatici.

Nortmanni liberandæ Siciliæ invitati a provincialibus intendũt.

VI. Rem teſtatam præterea reddunt Capitula confraternitatis venerabiliſſimæ imaginis S. Mariæ Naupactiteſſæ Panormi, anno Chriſti 1048. concinnata, & a nobis hic Dipl. CCXCVIII ex charta membranacea manu exarata regiæ capellæ S. Petri hujus urbis, in lucem emiſſa. Quæ erudiunt nos, imperitantibus in Sicilia Saracenis, Panormitanos non privatis modo, ſed & publicis proceſſionibus operam dare conſueviſſe. Et in noſtris ad eamdem ſcripturam admonitionibus, Siculis aliis a Saracenorum rege Melauta, Bulfaraci filio, facultatem prope ſimilem factam fuiſſe oſtendimus, ſecuti auctoritatem Conradi, qui

Publicæ proceſſiones Saracenorum tempore in Sicilia celebratæ.

(*a*) Cap. 12.
(*b*) Lib. 2. cap. 18.
(*c*) Idem lib. 2. cap. 45.
(*d*) Tom. 6. *Miſcellan.* pag. 174.
(*e*) Tom. 6. *Rer. Italic. Script.* col. 616.

qui de eodem Melauta ſcriptum reliquit: *Conceſſit Siculis Chriſtianis, ut audirent divina palam; & ſacerdotibus, ut portarent corpus Chriſti ad infirmos.*

Sancti plures in Sicilia quũ Saraceni dominarentur.

VII. Et ne illuſtrandæ rei meridiana luce clariori, diutius quam par eſt, intendamus, legat curioſus lector hiſtoriam monaſterii S. Philippi de Agyrio non uno tantum ſervo Dei ſub Saracenorum tyrannide illuſtrati (*a*): legat præterea vitam S. Lucæ abbatis Demonæ (*b*); vitam S. Leonis-Lucæ Corilionenſis (*c*), S. Sabbæ Agyrenſis (*d*), & S. Simeonis Syracuſani (*e*).

F I N I S.

IN-

(*a*) Amicus *Sicil. Sacr.* lib. 4. par. 2. notit. 13.
(*b*) Octavius Cajet. tom. 2. *SS. Siculor.* pag. 96.
(*c*) Idem pag. 80.
(*d*) Idem pag. 100.
(*e*) Socii Bolland. *Act. Sanctor.* die 1. Junii.

INDEX

Eorum ad quos data ſunt Diplomata, & qui ea dederunt.

A

ABbati monaſterii S. Mariæ de Latina Jeroſol. Benedictus papa IX. *in Append. Dipl.* 29.
Adeodatæ illuſtri S. Gregorius magnus, *Dipl.* 198. 208.
Adeodato Servo Dei S. Gregorius magnus, *d.* 250.
Adilæ viro ſenatori Theodoricus rex, *d.* 37.
Adriano notario Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 189. 230.
Adriano notario, Romano defenſori, &c. S. Gregorius magnus, *d.* 174.
Adriano notario Panormitano S. Gregorius magnus, *d.* 227.
Adriano patrimonii rectori, Leoni Ep. &c. S. Gregorius magnus, *d.* 254.
Adriano papæ I. Conſtantinus & Irene Impp. *d.* 276.
Adrianus papa II. S. Ignatio patriarchæ, *d.* 287.
Alexandro prætori Siciliæ S. Gregorius magnus, *d* 211.
Amalaſuntha Reg. Juſtiniano Imp. *d.*48.
Amalaſunthæ reginæ Juſtinianus Imp. *d.* 47.
Amandino domeſtico S. Gregorius magnus, *d.* 200. 204.
Anaſtaſio Imp. Orient. Hormiſda papa, *d.* 40.
Anthemio Subd. S. Gregorius magnus, *d.* 233.
Antoninæ, & Barbaræ S. Gregorius magnus, *d.* 217. 232.
Antonio Subd. & Dometio Abb. S. Gregorius magnus, *d.* 165.
Apollinari Abb. monachi Sicilienſes, *in Append. d.* 26.
Arcadius Imp. Meſſanenſibus, *in Append. d.* 9.
Arcadius & Honorius Impp. Euſebio conſulari Siciliæ, *d.* 19.
Athalaricus rex Gildiæ comiti Syracuſano, *d.* 43. 44.
Athalaricus rex poſſeſſoribus, & defenſoribus Syracuſanæ civitatis, *d.* 41.
Athalaricus rex Victori & Vitigiſclo Siciliæ cenſitoribus, *d.* 42.
S. Athanaſius epiſcopis Ægypti & Lybiæ, *d.* 8.
S. Athanaſius & epiſcopi Ægypti & Lybiæ epiſcopis Africæ, *d.* 16.
S. Auguſtino Hilarius Syracuſanus, *d.*23.
S. Auguſtinus Deogratias presbytero, *d.* 20.
S. Auguſtinus Hilario Syracuſano, *d.*24.
Azimarcho ſcriboni S. Gregorius magnus, *d.* 206. 237. 239.

B

BArbaræ, & Antoninæ S. Gregorius magnus, *Dipl.* 217. 232.
Barbaro Ep. Beneventano S. Gregorius magnus, *d.* 251.
Baſilio Imp. Orient. Ludovicus Imp. Occ. *d.* 290.
S. Baſilius Neocæſarienſibus, *d.*17.
Beliſarii ducis cum Gothis induciæ, *d.*53.
Beliſario duci Gothi, *d.* 46.
Beliſarius dux Gothis, *d.* 45.
Beliſarius dux Juſtiniano Imp. *d.*49.
Benedicti papæ IX. bulla de ſollemni canonizatione S. Simeonis Syrac. *d.*296.
Benedicti papæ IX. bulla de confirmatione monaſterii S. Mariæ de Latina Jeroſol. *in Append. d.* 29.
Benedicto Diac. rectori patrimonii eccleſiæ Ravennatis in Sicilia Maurus Ep. Ravennæ, *d.* 269.
S. Benedicto Abb. Juſtinianus Imp. *in Append. d.* 12.
S. Benedicto Abb. monachi Sicilienſes, *in Append. d.* 13.
Benedicto papæ IX. Poppo Archiep. Trevirorum, *d.* 295.
S. Benedicto Abb. Tertullus patricius, *in Append. d.* 11.
Benedictus papa IX. Popponi Archiep. Trevirorum, *d.* 297.
Benenato Ep. Tyndaritano S. Gregorius magnus, *d.* 178.
Benenato notario rectori patrimonii Panormitani S. Gregorius magnus, *d.*93.

Bonifacio defenſori, Romano defenſori, &c. S. Greg. magnus, *Dipl.* 174.

C

CAllepio rationali Siciliæ Conſtantinus Imp. *Dipl.* 5.
Carolo magno Imp. Leo III. Pont. Max. *d.* 277. 278.
Caſſiodoro patricio Theodoricus rex, *d.* 34.
Catanenſi clero Pelagius II. Pontif. Max. *d.* 57.
Cethego patricio Pelagius I. Rom. Pont. *d.* 54.
Chreſto Ep. Syracuſano Conſtantinus Imp. *d.* 1.
Chreſtus Ep. Syracuſanus S. Silveſtro papæ, *d.* 2.
Ciridano S. Gregorius magnus, 160. *d.* 242.
Conciliabulum Philippopolitanum Donato Carthaginenſi, *d.* 7.
Concilium Sicilienſe, & Liberius papa epiſcopis Orientalibus, *d.* 14.
Congregationi Caſinenſi monachi Sicilienſes, *in Append. d.* 22.
Conſolantiæ, & Paſchali S. Gregorius magnus, *d.* 256.
Conſtans, Conſtantius, & Julianus Impp. Tauro præfecto Prætorio, *d.* 9.
Conſtantinopolitano clero Nicolaus I. Rom. Pontif. *d.* 285.
Conſtantinæ Aug. S. Gregorius magnus, *d.* 121.
Conſtantino & Leoni Impp. Lucius præfectus Siciliæ, *d.* 274.
Conſtantinus Imp. Callepio rationali Siciliæ, *d.* 5.
Conſtantinus Imp. Chreſto Ep. Syracuſano, *d.* 1.
Conſtantinus Imp. Eufraxio rationali Siciliæ, *d.* 3.
Conſtantinus Imp. Gerulo rationali Siciliæ, *d.* 4.
Conſtantinus Imp. S. Silveſtro papæ, *in Append. d.* 8.
Conſtantinus & Irene Impp. Adriano papæ, *d.* 276.
Conſtantis Imp. decretum de gravaminibus Siculorum, *d.* 271.
Conſtantius, Conſtans, & Julianus Impp. Tauro Præf. Præt. *d.* 9.
Conſtantius & Julianus Impp. Tauro Præf. Præt. *d.* 10.
Creſconio illuſtri Pelagius II. Pontif. Rom. *d.* 58. 59.
Curialibus, poſſeſſoribus, & defenſoribus Catanæ Theodoricus rex, *d.* 38.
Cypriano diacono S. Gregorius magnus, *d.* 99. 107. 115. 117. 118. 119. 120. 122. 124. 126. 129. 136. 140.
Cypriano diacono rectori Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 103. 113. 139.

D

DEcentio Ep. Eugubino Innocentius I. PP. *Dipl.* 25.
Decio Ep. Lilybœtano S. Gregorius magnus, *d.* 209.
Defenſoribus, & poſſeſſoribus Syracuſarum Athalaricus rex, *d.* 41.
Defenſoribus, poſſeſſoribus, & curialibus Catanæ Theodoricus rex, *d.* 38.
Demetrio Abb. & Antonino Subd. S. Gregorius magnus, *d.* 165.
Deogratias presbytero S. Auguſtinus, *d.* 20.
Diomedi Puteolorum principi Valerianus aſſeſſor Licinii Imp. *in Append. d.* 4.
Domno conſulari Siciliæ Valentinianus & Valens Impp. *d.* 15.
Donato Carthaginenſi conciliabulum Philippopolitanum, *d.* 7.
Dono Epiſc. Meſſanenſi S. Gregorius magnus, *d.* 123. 130. 137. 141. 202. 229.
Dono, Leoni, Secundino, &c. epiſcopis Siciliæ S. Greg. magnus, *d.* 254.

E

ELpidio Ep. Catanenſi Pelagius I. papa, *Dipl.* 55.
Epiſcopis Africæ epiſcopi Ægypti & Lybiæ, &c. *d.* 16.
Epiſcopis Ægypti & Lybiæ S. Athanaſius, *d.* 8.
Epiſcopis Orient. Liberius papa, & concilium Sicilienſe, *d.* 14.
Epiſcopis Siciliæ Euthychianus papa, *in Append. d.* 7.
Epiſcopis Siciliæ Gelaſius I. papa, *d.* 32. 33.
Epiſcopis Siciliæ Lampſacenæ ſynodi legati, *d.* 13.
Epiſcopis Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 60. 75. 142. 228.
Epiſcopis Siciliæ S. Leo magnus, *d.* 27. 29. & *in Append. d.* 10.
Epiſcopis Siciliæ Zephyrinus papa, *in Append. d.* 3.
Eva-

Evagrius Ep. Siciliæ cum aliis epiſcopis Acacianis Joviniano Imp. *Dipl.* 12.
Eucarpo Ep. Meſſanenſi Pelagius II. papa, *d.*50.
Eufraxio rationali Siciliæ Conſtantinus Imp. *d.*3.
Eugenio notario, Romano defenſori, &c. S. Gregorius magnus, *d.*174.
Eulogio patriarchæ Alex. S. Gregorius magnus, *d.* 249.
Euſebio Abb. S. Gregorius magnus, 89.
Euſebio conſulari Siciliæ Arcadius & Honorius Impp. *d.* 19.
Euthychianus papa epiſcopis Siciliæ, *in Append. d.*7.
Euthychio Ep. Tyndaritano S. Gregorius magnus, *d.*102.
Euthymio Catanenſi Metrop. Photius pſeudo-patriarcha, *d.* 288.

F

FAntino defenſori S. Gregorius magnus, *Dipl.* 111. 147. 183. 191. 234. 235. 236. 243.
Fantino defenſori, Adriano notario, &c. S. Gregorius magnus, *d.* 174.
Fantino defenſori Panormitano S. Gregorius magnus, *d.* 170. 171. 177. 187. 264.
Felici Ep. Meſſanenſi S. Gregorius magnus, 67. 72. 80. & *in Append. d.*21.
Felici Sicilienſi S. Gregorius magnus, *d.* 155. 168.
Felici ſubdiacono, Romano defenſori, &c. S. Gregorius magnus, *d.* 174.
Felix Ep. Meſſanenſis S. Gregorio magno, *in Append. d.* 20.
Flaviano fratri Symmachus præfectus Urbis, *d.* 18.

G

GElaſius papa I. epiſcopis Siciliæ, *Dipl.* 32. 33.
Georgio Ep. Syracuſano Vitalianus papa, *d.* 270.
Gerulo rationali Siciliæ Conſtantinus Imp. *d.* 4.
Gildiæ comiti Syracuſano Athalaricus rex, *d.* 43. 44.
Gordiano monacho Maurus condiſcipulus, *in Append. d.* 15.
Gordianus monachus Meſſalino, Pompejo, &c. *in Append. d.* 16.
Gordianus monachus Mauro condiſcipulo, *in Append. d.* 14.
Gordianus monachus Vigilio papæ, *in Append. d.* 19.
Gothi Beliſario duci, *d.* 46.
Gothis Beliſarius dux, *d.* 45.
Gothorum cum Beliſario induciæ, *d.* 53.
Gregorio Ep. Syracuſano Photius pſeudo-patriarcha, *d.* 289.
S. Gregorio magno Felix Ep. Meſſanenſis, *in Append. d.* 20.
S. Gregorius magnus Felici Ep. Meſſanenſi, *in Append. d.* 21.
S. Gregorius magnus diverſis perſonis, *a Dipl.* 60. *uſque ad d.* 266.
Gregorius papa II. Leoni Iſauro Imp. *d.* 272.

H

HEnricus Imp. Romano pontifici, *Dipl.* 294.
Hilario notario S. Gregorius magnus, *d.* 210.
Hilario Syracuſano S. Auguſtinus, *d.*24.
Hilarius Syracuſanus S. Auguſtino, *d.*23.
Honorius & Arcadius Impp. Euſebio conſulari Siciliæ, *d.*19.
Honorius & Theodoſius Impp. Machedonio comiti rerum-privatarum, *d.* 22.
Hormiſda PP. Anaſtaſio Imp. Orient. *d.* 40.

I

S. IGnatio patriarchæ Adrianus II. papa, *Dipl.* 287.
Innocentius papa I. Decentio Ep. Eugubino, *d.* 25.
Johannes papa IV. Iſaac Ep. Syracuſano, *d.* 267.
Johanni abbati S. Gregor. magnus, *d.*91.
Johanni Ep. Panormitano S. Gregorius magnus, *d.* 259. 260. 261. 263. 265. 266.
Johanni Ep. Syracuſano S. Gregorius magnus, *d.* 125. 133. 135. 138. 146. 149. 150. 153. 154. 161. 169. 173. 176. 184. 195. 196. 218. 223. 224. 246. 257.
Johanni & Secundino epiſcopis Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 205.
Johanni, Leoni, Secundino, &c. epiſcopis Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 254.
Joviniano Imp. Evagrius Ep. Siciliæ, alii-

aliique epiſcopi Acaciani, *Dipl.* 12.
Irene & Conſtantinus Impp. Adriano papæ, *d.* 276.
Iſaac epiſcopo Syracuſano Johannes papa IV. *d.* 267.
Italicæ patriciæ S. Gregorius magnus, *d.* 101.
Italicæ & Venantio patricio jugalibus S. Gregorius magnus, *d.* 181.
Juliano S. Gregorius magnus, *d.* 255.
Julianus Imp. Mamertino Præf. Præt. *d.* 11.
Julianus, Conſtantius, & Conſtans Tauro Præf. Prætorio, *d.* 9.
Julianus & Conſtantius Impp. Tauro Præf. Præt. *d.* 10.
Julio papæ ſynodus Sardicenſis, *d.* 6.
Juſtiniani Imp. conſtitutio de prætore Siciliæ, *d.* 50.
Juſtiniani Imp. conſtitutio de appellationibus Siciliæ, *d.* 51.
Juſtiniani Imp. conſtitutio de officio quæſtoris circa appellationes Siculorum, *d.* 52.
Juſtiniano Imp. Amalaſuntha regina, *d.* 48.
Juſtiniano Imp. Beliſarius dux, *d.* 49.
Juſtiniano Imp. Vigilius papa, &c. *in Append. d.* 18.
Juſtinianus Imp. Amalaſunthæ reginæ, *d.* 47.
Juſtinianus Imp. monachis Benedictinis, *in Append. d.* 12.
Juſtinianus Imp. Vigilio papæ, &c. *in Append. d.* 17.
Juſtino prætori Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 61. 87.
Juſtinus Epiſc. Siciliæ Petro Cnapheo vulgo *Fulloni*, *d.* 31.

L

Lampſacenæ ſynodi legati epiſcopis Siculis, *Dipl.* 13.
Laurentio Ep. Mediolanenſi S. Gregorius magnus, *d.* 79.
S. Leo papa I. epiſcopis Siciliæ, *d.* 27. 29. & *in Append. d.* 10.
S. Leo papa I. Paſchaſino Ep. Lilybætano, *d.* 30.
Leo papa III. Carolo magno Imp. *d.* 277. 278.
Leo papa VIII. ſchiſmaticus Imp. Ottoni, *in Append. d.* 28.
Leoni abbati Caſinenſi monachi Sicilienſes, *in Append. d.* 27.
Leoni archidiacono Theodoſius monachus Syracuſanus, *d.* 291.
Leoni Ep. Catanenſi S. Gregorius magnus, *d.* 108. 127. 143. 188. 212.
Leoni & Conſtantino Impp. Lucius præfectus Siciliæ, *d.* 274.
Leoni Iſauro Imp. Gregorius II. papa, *d.* 272.
S. Leoni papæ I. Paſchaſinus Ep. Lilybætanus, *d.* 26.
Leoni præfecto Conſtantinopol. Lucius præfectus Siciliæ, *d.* 275.
Leoni, Secundino, &c. epiſcopis Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 254.
Leonis Iſauri Imp. conſtitutio de novo tributo Siculis impoſito, & patrimonio Eccleſiæ in fiſcum redacto, *d.* 273.
Leonis Sapientis diſpoſitio de patriarchatu Conſtantinop. *d.* 292.
Leontio exconſuli S. Gregorius magnus, *d.* 152. 197. 199. 203.
Libertino expræfecto S. Gregorius magnus, *d.* 159.
Libertino exprætori S. Gregorius magnus, *d.* 192.
Libertino præfecto Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 95.
Liberius papa & concilium Sicilienſe epiſcopis Orient. *d.* 14.
Lucido Ep. Leontino S. Gregorius magnus, *d.* 247.
Lucido, Leoni, Secundino, &c. epiſcopis Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 254.
Lucillo Ep. Melitenſi S. Gregorius magnus, *d.* 90.
Lucius præfectus Siciliæ Impp. Leoni & Conſtantino, *d.* 274.
Lucius præfectus Siciliæ Leoni Conſtantinop. præfecto, *d.* 275.
Ludovici Pii Imp. Occ. donatio eccleſiæ Romanæ facta, *in Append. d.* 24.

M

Machedonio comiti rerum-privatarum Honorius & Theodoſius Impp. *Dipl.* 22.
Mamertino præfecto Prætorio Julianus Imp. *d.* 11.
S. Marciano Ep. Syracuſano S. Pancratius Ep. Tauromenitanus, *in Append. d.* 2.
S. Marcianus Ep. Syracuſanus S. Pancratio Ep. Tauromenitano, *in Append. d.* 1.

Ma-

Mariniano abbati S. Gregorius magnus, *Dipl.* 231.
Mariniano abbati de Panormo S. Gregorius magnus, *d.* 93.
Maurentio magiſtro militum S. Gregorius magnus, *d.* 144. 145.
Maurilioni expræfecto S. Gregorius magnus, *d.* 240.
Mauro monacho Gordianus condiſcipulus, *in Append. d.* 14.
Maurus monachus Gordiano condiſcipulo, *in Append. d.* 15.
Maurus Ravennæ Ep. Benedicto Diac. *d.* 269.
S. Maximiano Ep. Syracuſano S. Gregorius magnus, *d.* 81. 82. 84. 88. 92. 97. 98. 104. 105. 106. 109. 110.
S. Maximus martyr Siculis patribus, præpoſitis, &c. *d.* 268.
Meſſalino, Pompejo Tylio, &c. Gordianus monachus, *in Append. d.* 16.
Meſſanenſibus Arcadius Imp. *in Append. d.* 9.
Michaeli Imp. Nicolaus I. papa, *d.* 281. 282. 283. 284.
Monachi Sicilienſes Apollinari abbati, *in Append. d.* 26.
Monachi Sicilienſes S. Benedicto abbati, *in Append. d.* 13.
Monachi Sicilienſes congregationi Caſinenſi, *in Append. d.* 22.
Monachi Sicilienſes Leoni abbati Caſinenſi, *in Append. d.* 27.
Monachis Sicilienſibus Vitalianus papa, *in Append. d.* 23.

N

NEocæſarienſibus S. Baſilius, *Dipl.* 17.
Nicolaus papa I. clero Conſtantinop. *Dipl.* 285.
Nicolaus papa I. Michaeli Imp. *d.* 281. 282. 283. 284.
Nicolaus papa I. Photio pſeudo-patriarchæ, *d.* 286.
Notitia imperii Occidentalis, *d.* 21.

O

OTtoni Leo VIII. antipapa, *in Append. Dipl.* 28.
Otto Imp. Rom. pontifici, *d.* 293.

P

S. PAncratio Ep. Tauromenii S. Marcianus Ep. Syracuſanus, *in Append. Dipl.* 1.
S. Pancratius Ep. Tauromenii S. Marciano Ep. Syracuſano, *in Append. d.* 2.
Panormitanæ confraternitatis S. Mariæ Naupactiteſſæ capitula, *d.* 298.
Panormitano archiepiſcopo Paſchalis I. Pontif. Max. *in Append. d.* 25.
Panormitano clero, ordini, & plebi S. Gregorius magnus, *d.* 252.
Pantaleoni notario S. Gregorius magnus, *d* 258.
Paſchali & Conſolantiæ S. Gregorius magnus, *d.* 256.
Paſchalis papa I. archiepiſcopo Panormitano, *in Append. d.* 25.
S. Paſchaſino Ep. Lilybœtano S. Leo magnus, *d.* 30.
S. Paſchaſinus Ep. Lilybœtanus S. Leoni magno, *d.* 26.
Patronis ſex, Romano defenſori, &c. S. Gregorius magnus, *d.* 174.
Paulino epiſcopo S. Gregorius magnus, *d.* 83.
Paulo ſcholaſtico S. Gregorius magnus, *d.* 62. 262.
Pelagius papa I. Cethego patricio, *d.* 54.
Pelagius papa I. Elpidio Ep. Catanenſi, *d.* 55.
Pelagius papa II. Catanenſi clero, *d.* 57.
Pelagius papa II. Creſconio illuſtri, *d.* 58. 59.
Pelagius papa II. Eucarpo Ep. Meſſanenſi, *d.* 56.
Petro Cnapheo, vulgo *Fulloni* Juſtinus Ep. Siciliæ, *d.* 31.
Petro Ep. Tricalitano S. Gregorius magnus, *d.* 114.
Petro Sicilienſi S. Gregorius magnus, *d.* 158.
Petro ſubdiacono S. Gregorius magnus, *d.* 63. 64. 66. 68. 69. 70. 71. 73. 74. 76. 77. 78. 86.
Photio pſeudo-patriarchæ Nicolaus I. papa, *d.* 286.
Photius pſeudo-patriarcha Euthymio Catanenſi metropolitæ, *d.* 288.
Photius pſeudo-patriarcha Gregorio Ep. Syracuſano, *d.* 289.
Photius pſeudo-patriarcha Theophani monacho, *d.* 280.
Pompejo Tylio, Maſſalino, &c. Gordianus monachus, *in Append. d.* 16.

Pop-

Poppo Archiep. Trevirorum Benedicto IX. Pont. Max. *Dipl.* 295.
Popponi Archiep. Trevirorum Benedictus IX. Rom. Pontif. *d.* 297.
Poſſeſſoribus bonorum monaſterii Caſinenſis, Maſſalino, &c. Gordianus monachus, *in Append. d.* 16.
Poſſeſſoribus, defenſoribus, & curialibus Catanæ Theodoricus rex, *d.* 38.
Poſſeſſoribus & defenſoribus Syracuſanæ civitatis Athalaricus rex, *d.* 41.
Projectæ illuſtri S. Gregorius magnus, *d.* 172.

R

Ravennata documenta pro fundis Siciliensibus, *Dipl.* 28.
Robertus dux Nicolao II. papæ, *d.* 299. 300.
Romanis & Africanis orthodoxis patribus B. Anaſtaſius, *in Append. d.* 22.
Romano defenſori S. Gregorius magnus, *d.* 156. 162. 163. 164. 166. 167. 175. 180. 182. 185. 186. 201. 207. 214. 215. 219. 221. 222. 238. 241. 245. 248.
Romano defenſori, Fantino defenſori, &c. S. Gregorius magnus, *d.* 174.
Romano pontifici S. Thecla virgo, *in Append. d.* 6.

S

Sabino ſubdiacono, Romano defenſori, &c. S. Gregorius magnus, *Dipl.* 174.
Secundino Ep. Tauromenitano S. Gregorius magnus, *d.* 94. 100. 128. 151. 193. 194.
Secundino & Johanni epiſcopis Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 205.
Secundino, Leoni, &c. epiſcopis Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 254.
Senario viro illuſtri comiti privatarum Theodoricus rex, *d.* 39.
Senatui Urbis Theodoricus rex, *d.* 35.
Sergio defenſori, Romano defenſori, &c. S. Gregorius magnus, *d.* 174.
Siculis patribus, præpoſitis, &c. S. Maximus martyr, *d* 268.
S. Silveſtro papæ Chreſtus Ep. Syracuſanus, *d.* 2.
S. Silveſtro papæ Conſtantinus Imp. *in Append. d.* 8.
Siſinnio Theodoſius Imp. *d.* 28.
Stephano chartulario S. Gregorius magnus, *d.* 85.
Symmachus Præf. Urbis Flaviano fratri, *d.* 18.
Synodus Sardicenſis Julio papæ, *d.* 6.
Syracuſani patrimonii colonis S. Gregorius magnus, *d.* 157.
Syracuſanis nobilibus S. Gregorius magnus, *d.* 116.

T

Talitano S. Gregorius magnus, *Dipl.* 213.
Tauro Præf. Præt. Conſtantius, Conſtans, & Julianus Impp. *d.* 9.
Tauro Præf. Præt. Conſtantius & Julianus Impp. *d.* 10.
Tertullus patricius S. Benedicto Abb. *in Append. d.* 11.
Tertyllo Siciliæ gubernatori Valerianus aſſeſſor Licinii Imp. *in Append. d.* 5.
Thecla virgo Romano pontifici, *in Append. d.* 6.
Theodoricus rex Adilæ viro ſenatori, *d.* 37.
Theodoricus rex Caſſiodoro patricio, *d.* 34.
Theodoricus rex poſſeſſoribus, defenſoribus, & curialibus Catanæ, *d.* 38.
Theodoricus rex Senario viro illuſtri, comiti privatarum, *d.* 39.
Theodoricus rex ſenatui Urbis, *d.* 35.
Theodoro Ep. Lilybœtano S. Gregorius magnus, *d.* 96.
Theodorus Studita diſperſis fratribus, &c. *d.* 279.
Theodoſius & Honorius Impp. Macedonio comiti rerum-privatarum, *d.* 22.
Theodoſius Imp. Siſinnio, *d.* 28.
Theodoſius monachus Syracuſanus Leoni archidiacono, *d.* 291.
Theophani monacho Photius pſeudopatriarcha, *d.* 280.
Trajano, Leoni, Secundino, &c. epiſcopis Siciliæ S. Gregorius magnus, *d.* 254.

Va-

V

Valens & Valentinianus Impp. Domno conſulari Siciliæ, *Dipl.* 15.
Valerianus aſſeſſor Licinii Imp. Diomedi Puteolorum principi, *in Append. d.* 4.
Valerianus aſſeſſor Licinii Imp. Tertyllo Siciliæ gubernatori, *in Append. d.* 5.
Venantio exmonacho patricio Syracuſano S. Gregorius magnus, *d.* 65. 132. 216.
Venantio patricio & Italicæ jugalibus S. Gregorius magnus, *d.* 181.
Venantio patricio Panormitano S. Gregorius magnus, *d.* 244. 253.
Victori Ep. Panormitano S. Gregorius magnus, *d.* 112. 131. 148. 179.
Victori & Vitigiſclo Siciliæ cenſitoribus Athalaricus rex, *d.* 42.
Vigilio papæ, &c. Juſtinianus Imp. *in Append. d.* 17.
Vigilio papæ Gordianus monachus, *in Append. d.* 19.
Vigilius papa, &c. Juſtiniano Imp. *in Append. d.* 18.
Vitalianus papa Georgio Ep. Syracuſano, *d.* 270.
Vitalianus papa monachis Sicilienſibus, *in Append. d.* 23.
Vitigiſclo & Victori Siciliæ cenſitoribus Athalaricus rex, *d.* 42.
Vito defenſori S. Gregorius magnus, *d.* 220.
Urbico abbati S. Gregorius magnus, *d.* 134. 225. 226.

Z

Zephyrinus papa epiſcopis Siciliæ, *in Append. Dipl.* 3.
Zittano magiſtro militum S. Gregorius magnus, *d.* 190.

INDEX

RERUM.

A

Abbatiſſa juvencula non fiat, *pag.* 154.
Acolythi in Eccleſia, *p.* 64. & 189.
Actionarii ſeu actores Eccleſiæ, *p.* 457. Clericatus honore fungebantur, *ibid.* Actionarii publici, *p.* 469.
Adeodata Lilybœtana a S. Gregorio ad mundi contemptum confirmatur, *p.* 237. Sanctorum reliquias ab eodem impetratur, *p.* 246. Monaſterium ancillarum Dei fundat, *p.* 247. Abbatiſſa efficitur, *p.* 248. Navem ab antedicto S. Gregorio pro ejuſdem monaſterii ſuſtentatione recipit, *ibid.*
Adeodatus monachus, *p.* 279.
Adrianus notarius & rector patrimonii S. Petri in Sicilia *p.* 455. & 460.
Adrianus papa confirmat quæ in Photium, & Syracuſanum Gregorium geſſerat Nicolaus I. *p.* 328. Eum Conſtantinopolim celebrandæ ſynodi cauſſa venientem, hoſpitio recipere jubetur ſtrategus Siciliæ, *p.* 311.
Adulterii pœna erat, ut innocens conjux, invito delinquente, monaſticum habitum induere poſſet, *p.* 262.
Agatho Liparitanæ eccleſiæ epiſcopus dignitate privatus, *p.* 147.
Agatho monachus, *p.* 180.
S. Agatho papa natione Siculus, *p.* 180. & *ſeq.*
S. Agnæ oratorium in Sicilia, *p.* 136.
Agrigentini epiſcopi, Gregorius & Euſanius, *p.* 123.
Agrigentinus epiſcopus Syracuſano olim ſubjectus, *p.* 341. & 421. Nunc Panormitano, *p.* 413.
Alexander prætor Siciliæ, *p.* 248. & 467.
Alienatio bonorum eccleſiæ fieri non poteſt ab epiſcopo ſine conſenſu cleri, *p.* 292.
Alleluja ex quo ritu extra Pentecoſten

ſten cantatum, *pag.* 198.
SS. Alphii, Philadelphi, & Cyrini acta fabuloſa, *p.* 364.
Amalaſuntha Athalarici Gothorum regis mater, *p.* 88. & *ſeq.*
Amandinus domeſticus, *p.* 241. Et Gregorius expræfectus commendatur, *p.* 244.
Amphoræ uſus in Sicilia, *p.* 478.
Angellii in Tyndaritana urbe exſiſtentes qui erant, *p.* 152.
Angelus tutelaris unicuique Eccleſiæ datus, *p.* 337.
Anthemius ſubdiaconus, *p.* 267.
Antonia & Barbara Venantii patricii Syracuſani filiæ, *p.* 252. 253. & *alibi paſſim*.
Apollonius magiſter militum, *p.* 236. & 472.
Appellationes Siculorum ad quem porrigebantur, *p.* 9. & 18.
Arcadii privilegium Meſſanenſibus conceſſum non omnibus probatur, *p.* 372.
Archelaus medicus, *p.* 168. & 204.
Arethuſa Syracuſanus fons, *p.* 333.
Aſyli privilegium ſacris ædibus datum, *p.* 235.
S. Athanaſii teſtimonium de Capitone epiſcopo Siciliæ, *p.* 8. Item de ſynodo Sicula Nicænam approbante, *p.* 16.
S. Auguſtini teſtimonium de Porphyrio Siculo, *p.* 19. Is ab Hilario Syracuſano conſultus, reſpondet, *p.* 23. & *ſeqq.*
Azimarchus ſcribo, *p.* 245. 270. & 271.

B

BAphii Syracuſani procurator, *pag.* 21. & 465.
Baptiſmi conferendi gratia nihil exigendum, *p.* 443.
Baptiſmus ſollemnis quo tempore in Sicilia celebratus, *p.* 438. Quo in loco, *p.* 441. A quo miniſtro, *p.* 443. Quibus præviis diſpoſitionibus, *p.* 444. Quo lavacri genere, *p.* 446.
Baptiſterii antiqui forma, *p.* 442. plures in eo fontes, *p.* 442. Aqua repletur per miraculum, *p.* 45. De monaſterio auferri præcipit S. Gregorius, *p.* 149.
Barbara & Antonia Venantii patricii Syracuſani filiæ, *p.* 253.
Barbara patricia mater Heliodori magi, *p.* 309.
Barbarus Beneventanus epiſcopus Panormitanæ eccleſiæ viſitator inſtituitur, *p.* 280. & *ſeq.*
S. Baſilius gratis dicitur auctor monaſtici inſtituti in Sicilia, *p.* 424.
Batiola idem ſonat ac vas ruſticis proprium, *p.* 113.
Beliſarius cum Gothis propter Siciliam inducias firmat, *p.* 92. Scribit Juſtiniano de his, quæ poſt captam Siciliam ſibi acciderunt, *p.* 89.
Benedictinorum monachorum expeditio in Siciliam tempore S. Benedicti facta ſuſpecta eſt, *p.* 425.
Beneficia minus dignis, deficientibus dignioribus, dantur, *p.* 165. Civibus tribuuntur excluſis extraneis, *p.* 93.
Benenatus Miſenatis eccleſiæ epiſcopus, *p.* 168.
Benenatus notarius ac rector patrimonii S. Petri in ſtatione Panormitana, *p.* 133. 142. & 455.
Benenatus Tyndaritanus epiſcopus, *p.* 219.
Betitius corrector Siciliæ, *p.* 461.
Bigami non ordinentur, *p.* 47. 65. & 71.
Bizacena provincia in Africa, *p.* 214.
Bonifacius defenſor, *p.* 215. & 459.
Bonifacius numerarius, *p.* 271. & 272.
Bonorum temporalium eccleſiæ diviſio, *p.* 73.
Burdatio idem eſt ac onus, ſive penſio, *p.* 111.

C

CÆſarius abbas Syracuſani monaſterii S. Petri *ad Bajas*, *pag.* 184.
Callepius rationalis Siciliæ, *p.* 5. & 465.
Campagis ſoli diaconi Meſſanenſes in tota Sicilia uti poterant, *p.* 195.
Candidus defenſor eccleſiæ, *p.* 213. & 458.
Capito Siciliæ epiſcopus a S. Athanaſio laudatur, *p.* 8.
Carinenſis eccleſia olim epiſcopalis Syracuſanæ ſubjecta, *p.* 341. & 422.
Caſinenſis monaſterii patrimonium in Sicilia, *p.* 402.
Caſſiodorus ſenior, *p.* 75. & *ſeq.* Junior, *ibid.*
Catanæ amphytheatrum, *p.* 79. Ejuſdem urbis poſſeſſores, defenſores, & curiales, *ibid.*

Catanenſis eccleſia olim metropolitana, ſed abſque ſuffraganeis, *p.* 422. Nunc Monte-Regalenſi ſubjacet, *pag.* 413.
Catanenſis epiſcopus Fortunatus, *p.* 81. Elpidius, *p.* 94. Elpidius alter, *p.* 95. Leo, *p.* 136. *& alibi paſſim*. Leo alter, *p.* 422. Theodorus, *p.* 420. Euthymius, *p.* 329. *&* 422. Antonius, *p. ibid.* Leo tertius, *ibid.*
Cathedraticum viſitantibus epiſcopis debitum, *p.* 96. *&* 97.
Cauſſæ majores Romano pontifici reſervatæ, *p.* 128. *&* 141.
Cenſitores, ſeu cenſores, *p.* 83.
Cephaludenſis epiſcopus Syracuſano olim ſubjectus, *p.* 341. Nunc Meſſanenſi, *p.* 413.
Cethegus patricius, *p.* 93.
Chartularii iidem ac notarii, *p.* 288. *&* 460. Eorum numerus in Sicilia, & munus, *p.* 469. *& ſeq.*
Chreſtus Syracuſanus epiſcopus ad Arelatenſe concilium accerſitus, *p.* 1. De geſtis in eodem concilio S. Silveſtro ſcribit, *p.* 3.
Chreſtus Syracuſanus epiſcopus, S. Marciani ſucceſſor, *p.* 2.
Cicero monachus lapſus Miſenati eccleſiæ reſtituatur, *p.* 168.
Circumciſio mancipiorum Judæis dominis interdicta, *p.* 175.
Ciridano Romanum defenſorem commendat S. Gregorius, *p.* 204.
Cives ad beneficia conſequenda ſunt exteris præferendi, *p.* 93.
Clariſſimi qui dicebantur, *p.* 96. *&* 259.
Clerici ſanctiores monachis eſſe debent, *p.* 428. Fenus nec proprio nec alieno nomine exerceant, *p.* 48. A turpibus lucris, & negotiatione abhorreant, *p.* 69. Monaſterii curam non adipiſcantur, *p.* 154. Pauperes eccleſiaſtico ſunt beneficio providendi, *p.* 157. Alienæ diœceſis, inconſulto proprio epiſcopo, non ordinentur, *p.* 160. 224. *&* 257. Eorum cauſſas epiſcopus cognoſcat, *p.* 256.
Coloni patrimonii S. Petri in Sicilia ſervi erant eccleſiæ, *p.* 448. *& ſeq.*
Comites provinciæ diverſi a comitibus civitatum, *p.* 464. Unus comes toti Siciliæ datus, *ibid.*
Comitiva Syracuſanæ civitatis, *p.* 77.
Commutatio teſtamentariæ voluntatis in aliud opus ſimile, *p.* 269.
Concilium Sicilienſe fidem Lampſacenæ ſynodi comprobans, *p.* 12. Alterum Nicænam fidem confirmans, *p.* 16. Semel in anno Syracuſis, vel Catanæ celebrari juſſit S. Gregorius, *p.* 98.
Conſecratio novæ baſilicæ. *Vide*, Dedicatio.
Conſtans Imp. Siculis gravamina infert, *p.* 307. Syracuſis interficitur, *p.* 307. *& ſeq.*
Conſtantini donatio eccleſiæ Romanæ facta. *Vide*, Donatio.
Conſtantinus diaconus Syracuſanus, & rector patrimonii S. Petri in Sicilia, *p.* 455.
Conſtantinus epiſcopus Leontinus, *p.* 312.
Conſulares Siciliæ, eorumque inſtitutio, inſignia, numerus, & poteſtas, *p.* 462. *& ſeq.*
Correctores Siciliæ, eorumque numerus, munus, & inſignia, *p.* 461.
Creſcens diaconus ab epiſcopatu Panormitano excluditur, *p.* 282.
Creſcentius vicarius S. Gregorii in Sicilia, *p.* 235.
Creſconius vir illuſtris, *p.* 96. *& ſeq.*
Cyprianus diaconus ac rector patrimonii S. Petri in Sicilia, *p.* 148. 455. *& alibi paſſim*.

D

Decimata menſuræ genus, *pag.* 117. *&* 478.
Decius Lilybœtanus epiſcopus, *p.* 146. 173. 231. *& alibi paſſim*.
Decretales epiſtolæ antiquorum Romanorum pontificum ſuppoſititiæ, *p.* 362.
Dedicatio eccleſiæ a quo & quibus ſub legibus fieri debebat, *p.* 65. 72. 126. 219. *& alibi paſſim*.
Defenſores eccleſiæ primum laici fuerunt, inde clerici, *p.* 458. Horum officium, & numerus in Sicilia, *ibid.*
Defenſores civitatum, *p.* 92. *&* 468. Syracuſanæ civitatis, *p.* 82. Catanenſis, *p.* 79. Lilybœtanæ, *p.* 231.
Defunctorum anniverſaria commemoratio, *p.* 350.
Depoſitio epiſcopi a quibus facienda, *p.* 217.
Deſuſceptum idem ſonat ac deſcriptum, vel exemplum, *p.* 146. 183.
Diaconi Euchariſtiam porrigant, *p.* 66.
Digniores. *Vide*, Præſentatio.
Divitem manentem in divitiis, falſum

ſum eſt, non poſſe ſalvari, *pag.* 34. *& ſeqq.*
Domnus conſularis Siciliæ, *p.* 16.
Domnus & Domna voces barbaræ pro *Domino* & *Domina* uſurpatæ, *p.* 165. 179. 192. *& alibi paſſim.*
Donatio Conſtantini Imp. eccleſiæ Romanæ facta, ſuppoſititia eſt, *p.* 371.
Donus epiſcopus Meſſanenſis, *p.* 172. 177. 183. 186. *& alibi paſſim.*
Drepanenſis eccleſia olim epiſcopalis, Syracuſanæ ſubjecta, *p.* 421.

E

ECcleſia caveat cum curia litigare, *pag.* 134.
Eccleſia S. Michaelis Panormi, *p.* 348.
Eccleſiæ Siculæ ſtatus ſub Saracenorum tyrannide, *p.* 488. *& ſeqq.*
Eleemoſynæ ingentes a S. Gregorio ex patrimonio Siculo factæ, *p.* 450. *& ſeq.*
S. Eliæ cultus quando incœpit, & quare a S. Gregorio reprobatur, *p.* 144.
Elpidius I. Catanenſis epiſcopus, *p.* 93. Elpidius II. *p.* 94.
Epaphrauditus S. Pancratii diſcipulus, *p.* 360.
Epiſcopi eccleſias ſuas viſitantes quale ſtipendium accipere debeant, *p.* 96. 97. *&* 154. Pacem cum prætore provinciæ habeant, *p.* 99. Quomodo deponendi, *p.* 217. Jam depoſiti ſuſtentationem ex rebus eccleſiæ recipiant, *p.* 147. Teſtamentum, illæſis eccleſiæ bonis, condere poſſunt, *p.* 159. *&* 167. Eorum protectio in vinctos & reos, *p.* 207. Temporalia non negligebant, *p.* 290. *Vide*, Præſentatio, *&* Siculi epiſcopi.
Evagrius Siciliæ epiſcopus, *p.* 11.
Eucarpus epiſcopus Meſſanenſis Catanenſis eccleſiæ viſitator inſtituitur, *p.* 94.
Eufraxius rationalis Siciliæ, *p.* 4. *&* 465.
Eugenius notarius, *p.* 215.
S. Euplus diaconus & martyr Catanenſis, *p.* 126.
Euſanius epiſcopus Agrigentinus gradu ſuo dejectus, *p.* 123. *&* 159.
Euſebius abbas ab epiſcopo Syracuſano excommunicatus, *p.* 133. 137. *& ſeq.*
Euſebius conſularis Siciliæ, *p.* 19. *&* 463.
Eutychiani papæ ad epiſcopos Siciliæ epiſtola ſuppoſititia, *p.* 362. *&* 367.
Eutychius epiſcopus Tyndaritanus, *p.* 151.
Eutymius Catanenſis metropolita, *p.* 329. *&* 422. Photio primum adhæſit, inde adverſatus eſt, *p.* 330.
Exarchorum dignitas, *p.* 241.
Excommunicatio pro tuitione rerum temporalium adhibita, *p.* 107. Tarde, & non ob leviores cauſſas infligenda, *p.* 137. Indifferenter non inferenda, *p.* 324. Etiam injuſta timenda, *ibid.*
Exconſules Siciliæ, *p.* 467.
Expræfecti Siciliæ, *p.* 273. *&* 473.
Exprætores Siciliæ, *p.* 467.

F

FAntinus defenſor Panormitanus, *pag.* 212. *& alibi paſſim.* Rector patrimonii S. Petri in ſtatione Panormitana inſtituitur, *p.* 213. *&* 455.
Felix epiſcopus Meſſanenſis, *p.* 108. 118. 126. *& alibi paſſim.* Ejus ad S. Gregorium epiſtola una cum reſponſione ejuſdem S. Gregorii ſuppoſitionem redolent, *p.* 388. *& ſeqq.*
Felix ſubdiaconus, *p.* 215.
Felix vir conſularis chartularius, *p.* 130. 199. *& ſeq.* 210. *& ſeq.* 463. *&* 469.
Feminæ ſacris altaribus non miniſtrent, *p.* 72. Patriciatus dignitatem habeant, *p.* 150. 310. *&* 473.
Fibula munus ſonat ab imperatore dari ſolitum, *p.* 187.
Fiſcus quando mortuorum ſubſtantias ſibi vindicat, *p.* 85.
Florus Syracuſanæ eccleſiæ diaconus Arelatenſi ſynodo interfuit, *p.* 2. *& ſeq.*
Fortunatus epiſcopus Catanenſis, *p.* 81.
Frumentum Romam e Sicilia mitti ſolebat, *p.* 100. *&* 123. Etiam in Gallias, *p.* 80. Naufragio perditum debet reputari, *ibid. & p.* 110.
S. Fulgentius in Ægyptum navigans Syracuſas appulit, *p.* 425.
Fundator eccleſiæ. *Vide*, Patrono.
Fundus Fulloniacus, *p.* 101. *&* 279. Monotheus, *p.* 131. Pacilaicus, *p.* 49. *&* 52. Annianus, *p.* 52.
Fuſcus duorum monaſteriorum abbas, *p.* 227. *& ſeq.*

Gau-

G

Gaudioſus defenſor Eccleſiæ, *pag.* 209. & 458.
Gelaſius papa plura decreta edidit pro eccleſia Sicula, *p.* 63. & *ſeqq.*
Gentius ſcribo, *p.* 246.
S. Georgii cultus antiquiſſimus in Sicilia, *p.* 265.
Germanus epiſcopus Syracuſanus, *p.* 7.
Gerulus rationalis Siciliæ, *p.* 5. & 465.
Gildia comes Syracuſanus, *p.* 84. & *ſeq.*
Gothi eccleſiam Siculam non ſunt perſecuti, *p.* 85.
Græcæ linguæ uſus in Sicilia, *p.* 337.
Gregorius abbas Panormitani monaſterii S. Theodori, *p.* 101. & 161.
Gregorius epiſcopus Agrigentinus, *p.* 123. & 141.
Gregorius expræfectus, *p.* 243. & *ſeqq.*
S. Gregorius papa I. ſex in Sicilia monaſteria ædificavit, *p.* 431. Podagræ morbo laborabat, *p.* 251. Plures epiſtolas ad Siculos, & propter Siculos ſcripſit. *Vide in priori Indice.*
Gregorius papa II. necem imperatoris Conſtantis in Sicilia interfecti memorat, *p.* 308.
Gregorius patricius Siciliæ, *p.* 313. & *ſeq.*
Gregorius Cerameus. *Vide*, Tauromenitanus epiſcopus.
Gregorius epiſcopus Syracuſanus Photiani ſchiſmatis fautor, *p.* 319. & *ſeqq.*

H

Heliodorus magus Catanenſibus infeſtiſſimus, *pag.* 309. & *ſeq.*
Henrici I. Imp. de reſtituendo patrimonio S. Petri in Sicilia promiſſio, *p.* 342.
Heracleonis hæretici ad Achillium epiſtola, *p.* 302. & *ſeq.*
Hilarius notarius Eccleſiæ, *p.* 248. & 460.
Hilarius Syracuſanus ad S. Auguſtinum de quibuſdam quæſtionibus Syracuſis exortis ſcribit, *p.* 23. Ab eodem S. Auguſtinus reſponſum accipit, *p.* 24. & *ſeqq.*
Honorati viri dicebantur qui magiſtratum geſſerant, *p.* 79.

I

Jamnus Judæus Siculus, *pag.* 213.
Jejunium baptizandis neceſſarium, *p.* 444. & *ſeq.*
Illuſtratus vox index erat eximiæ dignitatis, *p.* 76. & 96.
Immunitas ſacris ædibus data, *p.* 235.
Impeccantia in hac vita non datur, *p.* 24. & *ſeq.*
Incantatores, & ſortilegos inſectetur Adrianus notarius, *p.* 264.
Induciæ Græcos inter & Gothos propter Siciliam, *p.* 97.
Innocentius papa I. de antiquitate eccleſiæ Siculæ teſtimonium perhibet, *p.* 42.
Interſtitia ordinandorum, *p.* 63. & *ſeq.* Abbatiſſarum, *p.* 155. Monachorum, *p.* 64.
Johannes abbas Syracuſani monaſterii S. Luciæ, *p.* 120. 140. & 184.
Johannes epiſcopus Panormitanus pallii uſum obtinet, *p.* 289. Eum ne Romam veniat S. Gregorius hortatur, *p.* 289. Quartam redituum partem det clericis, *p.* 290. Cauſſam Petri cum Fantino defenſore perquirat, *p.* 294. Baſilicæ conſecrandæ licentiam impetratur, *p.* 295.
Johannes epiſcopus Syracuſanus, prius archidiaconus Catanenſis, *p.* 165. Pallii uſum a S. Gregorio obtinet, *p.* 173. Epiſcopi ſui ceſſione indiget, *p.* 174. Litem cum Venantio patricio habet, *p.* 178. Eleemoſynas Romam mittit, *p.* 181. Ad menſam S. Gregorii ſcripta legere facit, *ibid.* Ei de quibuſdam Miſſæ ritibus S. Gregorius ſcribit, *p.* 198. Cum Felice controverſiam habet, *p.* 210. & *ſeq.* Adminiſtrandi patrimonii S. Petri curam recipit, *p.* 455.
Irregularitas delinquentium, *p.* 70. Energumenorum, *ibid.* Bigaminorum, *p.* 61. & 71. Mutilorum, & illitteratorum, *p.* 69. Servorum, *p.* 68. & 267.
Iſaac epiſcopus Syracuſanus, *p.* 295.
Iſtricorum ſchiſma qui prius ſecuti ſunt, indeque deteſtati, in Siciliam veniunt, *p.* 156. 177. & 221.
Italica patricia Venantii Syracuſ. uxor, *p.* 104. 150. & 222.
Judæi in Sicilia, *p.* 113. 122. & 144. Promiſſis ad fidem invitantur, *p.* 132. & 163. Chriſtiana mancipia non ha-

habeant, *pag.* 145. *&* 191. Paganos ſervos non circumcidant, *p.* 175. Chriſtiani fieri volentes ſunt adjuvandi, *p.* 192. Pro his, quæ eis conceſſa ſunt, non moleſtentur, *p.* 193.
Judex ab ira abhorreat, *p.* 240.
Julianus auguſtus Syracuſis legem condidit de reformatione curſus publici, *p.* 10.
Juramenta ſunt cavenda, *p.* 41. Ad corpora ſanctorum præſtari ſolita, *p.* 136. *& ſeq.*
Juriſdictio epiſcopalis per defenſores eccleſiæ Romanæ non violetur, *p.* 256.
Juſtinus epiſcopus Siciliæ, *p.* 61.
Juſtinus prætor Siciliæ, *p.* 99. *&* 136.

K

Kyrie & Chriſte a Siculis in Miſſa quando cantari cœperunt, *pag.* 198.

L

Lampaduſa inſula, *pag.* 313.
Latronianus corrector Siciliæ, *p.* 2. *&* 461.
Lectio ſacra in epiſcopali menſa adhibenda, *p.* 181.
Leo epiſcopus Catanenſis accuſatus, Romam proficiſcitur, *p.* 123. A falſis criminibus plene purgatur, *p.* 136. Pro ſubdiaconorum cœlibatu a S. Gregorio præcepta recipit, *p.* 158. De negligentia ab eodem reprehenditur, *p.* 175. Quartam redituum partem clericis juxta laboris meritum dividat, *p.* 189. Monaſterium S. Viti tueatur, *p.* 228. Severum commendatum recipiat, *p.* 256. Item & Adrianum, *p.* 283.
S. Leo papa I. decreta Siculis miſit de tempore conferendi baptiſmi, *p.* 53. *& ſeqq.* Ejus epiſtola ad epiſcopos Siciliæ de rebus Eccleſiæ non alienandis ſuppoſititia eſt, *p.* 373.
Leo prætor Siciliæ, *p.* 95.
Leonis Sapientis diſpoſitio de epiſcopis Siciliæ agit, *p.* 341.
Leontinorum epiſcoporum catalogus ſuſpectus, *p.* 277.
Leontius exconſul Siciliæ a S. Gregorio laudatur: munera ab eo recipit, & viciſſim mittit, *p.* 196. Injuſte non agat erga Creſcentium, *p.* 235. Apollonium commendatum recipiat, *p.* 236. Item & Gregorium expræfectum, *p.* 243. Cauſſam Decii epiſcopi Lilybœtani una cum Johanne epiſcopo Syracuſano cognoſcat, *p.* 237. In Libertinum manſuete agat, *p.* 238. *& ſeqq.* Neapolitanorum jura tueatur, *p.* 242.
Liberi arbitrii quæſtione in Sicilia orta, S. Auguſtinum Hilarius Syracuſanus conſulit, *p.* 25. *& ſeqq.*
Libertinus prætor Siciliæ, *p.* 144. 168. *&* 182. Ei Romanum defenſorem commendat S. Gregorius, *p.* 203. Ut adverſa ſuſtineat eum hortatur idem S. Gregorius, *p.* 232. Reus inventus non in perſona, ſed in rebus puniatur, *p.* 238. *& ſeqq.* Ejus cauſſa Amandino domeſtico commendatur, *p.* 241.
Libra, ponderis genus, *p.* 476. Ejus partes & uſus in Sicilia, *ibid.*
Lilybœtanum caſtellum a Gothis petit Beliſarius, *p.* 87. Negant Gothi, *p.* 88. Repetit Juſtinianus, *ibid.* Reſpondet Amalaſuntha, *p.* 89.
Lilybœtanus epiſcopus Decius, *p.* 146. 173. 231. 237. *&* 247. Paſchaſinus, *p.* 43. *&* 59. Theodorus, *p.* 145. 167. *&* 231. Syracuſano metropolitæ olim ſubjectus, *p.* 341.
Liparitana eccleſia ob depoſitionem Agathonis paſtore caret, *p.* 128. Paulinum epiſcopum obtinet, *p.* 128. *& ſeq.* Ejuſdem eccleſiæ paſtorem moneat Cyprianus diaconus, *p.* 182. Syracuſano metropolitæ olim ſubjecta, *p.* 341.
Litanias epiſcopi Siciliæ binas per hebdomadam adverſus hoſtium invaſionem recitent, *p.* 263.
Lites in propria provincia Siciliæ ſunt terminandæ, *p.* 77. 107. *&* 178. Cum ſæcularibus magiſtratibus a miniſtris Eccleſiæ non agitentur, *p.* 134.
Litteras Siculi ad Orientales patres mittunt, & viciſſim ab eis recipiunt, *p.* 14. *&* 17.
Lucidus epiſcopus Leontinus, *p.* 277. *&* 283.
Lucillus Melitenſis epiſcopus gradu ſuo dejectus, *p.* 129. 217. *&* 223.
Lucius præfectus Siciliæ, *p.* 309. *& ſeq.*
Ludovicus junior de liberanda Sicilia e Saracenorum manibus ſolicitus, *p.* 331.
Ludovicus Pius auctor donationis de Si-

Sicilia Romanæ eccleſiæ factæ non exſtitit, *pag.* 398.
Luminoſa ancilla Dei, *p.* 275.

M

Magiſtri militum in Sicilia, *pag.* 471. Eorum officium, & numerus, *ibid.*
Manichæorum aliqui in Sicilia reperti, *p.* 163.
S. Marcianus epiſcopus & martyr Syracuſanus non tertio, ſed primo ſæculo claruit, *p.* 2. 406. *& ſeqq.* Ejus epiſtola ad S. Pancratium, & altera S. Pancratii ad ipſum S. Marcianum ſuppoſititiæ ſunt, *p.* 358. *&* 359.
Marinianus abbas, *p.* 117. 142. *&* 265.
Marinarum partium chartularius in Sicilia, *p.* 171.
Martia ſanctimonialis, *p.* 162.
Maſcalis civitas ad radices Ætnæ ſita, *p.* 149. Ad Catanenſem epiſcopum ſpectat, *ibid.* Quo ad ſpiritualia autem ad Meſſanenſem, *ibid.*
Maſſæ numero plures in Sicilia, *p.* 448. Earum coloni ſervi erant Eccleſiæ, *ibid.*
Matrimonii diſſolutio ob adulterium conjugis, *p.* 233. Votum caſtitatis ſollemne matrimonii impedimentum non erat, *p.* 70. *&* 71. Unius maſſæ coloni cum colonis alterius maſſæ matrimonium contrahere nequibant, *p.* 273.
Maurentius magiſter militum, *p.* 190. 191. 268. *&* 472.
Mauritii Imp. legem eccleſiaſticæ libertati contrariam, favore Siculorum explicat S. Gregorius, *p.* 188. Sub eodem imperatore injuſtis exactionibus gravantur Siculi, *p.* 170.
Maurus Ravennatis epiſcopus Benedictum diaconum rectorem patrimonii ſui in Siciliam mittit, *p.* 305.
S. Maximianus epiſcopus Syracuſanus, *p.* 127. 137. 141. 130. *& alibi paſſim.*
S. Maximus Siculis catholicum ſe eſſe oſtendere conatur, *p.* 297. *& ſeqq.* Ejus ad Marinum epiſtola Monothelitarum erroribus abundans ſuppoſititia eſt, *p.* 304. Qua mente is Pyrrhum hæreticum coluit, atque honore proſecutus eſt, *ibid.*
Mediolanenſis eccleſiæ patrimonium in Sicilia, *p.* 78. *&* 125.
Melitenſis eccleſia Syracuſanæ olim ſubjecta, *p.* 341. *&* 421. Nunc Panormitanæ, *p.* 413. Ejus clerici Africanæ eccleſiæ prædia colunt, *p.* 139. Ejuſdem eccleſiæ epiſcopus Lucillus deponatur, & novus antiſtes eligatur, *p.* 217. *& ſeq.* Trajanus nominatur, *p.* 223.
Meſſanenſis eccleſia, ante nonum ſæculum non fuit metropolis, *p.* 419. Syracuſanæ olim ſubjecta, *p.* 341. Archiepiſcopali dignitate donata, *p.* 423. Nunc metropolis, *p.* 413. Ejus diaconi campagis utebantur, *p.* 195.
Meſſanenſis epiſcopus Eucarpus, *p.* 94. Felix, *p.* 108. Donus, *p.* 172.
Metropolita nullus in Sicilia ante nonum ſæculum, *p.* 413. *& ſeqq.*
Milenſis civitas in Sicilia, *p.* 201.
Milites non recipiantur in clero, neque in monaſterio, niſi poſt triennalem probationem, *p.* 188.
Modius Siculus diverſus a Romano, *p.* 479.
Momenti vox pro poſſeſſione accipitur, *p.* 110.
Monachorum origo, progreſſus, unitas, perpetuitas, officium, & ſubjectio per decem priora ſæcula in Sicilia, *p.* 425. *& ſeqq.*
Monaſterium S. Adriani Panormi, *p.* 102. 279. *&* 433. Caſtellienſe, *p.* 195. *Cella-fratrum* Panormi, *p.* 117. 432. S. Chriſtophori in Tauromenitana diœceſi, *p.* 234. *&* 436. Eulalii epiſcopi Syracuſani, *p.* 431. S. Georgii de Triocala, *p.* 437. Gregoriana, ſeu ſex illa a S. Gregorio ædificata, *p.* 431. S. Gregorii in maſſa *Marato*, *p.* 131. *&* 432. S. Hermæ Panormi, *p.* 162. 178. 180. *&* 433. Juliani Catanæ, *p.* 285. *&* 435. S. Leonis Catanæ, *p.* 437. Leontinæ civitatis, *p.* 277. *&* 436. Lilybœtanum, *p.* 146. *&* 433. S. Luciæ Syracuſarum, *p.* 184. 287. *&* 434. Lucuſcanum, ſeu SS. Maximi & Agathæ Panormi, *p.* 208. 260. *&* 435. S. Martini Panormi, *p.* 162. *&* 433. Monialium in fundo *Monotheo*, *p.* 131. *&* 432. Aliud ſanctimonialium Panormi, *p.* 162. *&* 433. S. Nicandri Meſſanæ, *p.* 437. S. Petri *ad Bajas*, *p.* 184. *&* 434. SS. Petri, Laurentii, &c. Lilybœi, *p.* 246. 247. *&* 436. S. Philippi de Agyrio, *p.* 436. S. Placidi Meſſanæ, *p.* 437. Prætorianum Panormi, *p.* 134. 136. 220. 432. *& ſeq.* Ruſticæ illu-

illuſtris feminæ, *pag.* 205. *&* 435. S. Stephani Agrigenti, *p.* 192. *&* 434. Syracuſanum, *p.* 223. *&* 434. Tauromenitanum, *p.* 436. S. Theodori Meſſanæ, *p.* 108. *&* 432. S. Theodori Panormi, *p.* 101. *&* 432. S. Viti in monte Ætnæ, *p.* 228. 229. *&* 435.
Monophyſitarum error, *p.* 278.
Monothelitarum hæreſim deteſtantur Siculi, *p.* 297. *& ſeqq.*
Mulieres non ſint in domo epiſcopi, vel clerici, *p.* 215.

N

NAſas Judæus Chriſtianorum ſeductor, *pag.* 144.
Natura duplex in Chriſto, *p.* 60.
Naupactiteſſarum Panormitana regio, *p.* 348. *& ſeq.* Imago B. M. V. ibi devotiſſime venerata, *ibid.*
Naxus Siciliæ urbs a Dionyſio excisa, *p.* 377.
S. Neophyti in epiſcopum Leontinum petita ordinatio ſuſpecta, *p.* 366.
Nicetas Syracuſanus a Saracenis vivus decorticatur, *p.* 336. *& ſeq.*
Nicolaus papa I. ordinationem Syracuſani archiepiſcopi ſibi reſtitui petit, *p.* 318. Conſecrationem Photii repudiat, *p.* 319.
Nilus Doxopatrius de epiſcopalibus Siciliæ eccleſiis ſcripſit, *p.* 341. *&* 421.
Notariorum eccleſiæ munus & numerus in Sicilia, *p.* 459. *& ſeq.*
Notitia imperii Romani agit de magiſtratibus Siciliæ, *p.* 20. *& ſeq.*

O

OLeum S. Crucis Leontius exconſul Siciliæ mittit S. Gregorio, *pag.* 197.
Onychina idem eſt ac vas vinarium, *p.* 115.
Oratio dominica in Miſſa ab ipſis apoſtolorum temporibus adhibita, *p.* 199.
Oratorii privati uſus in Sicilia, *p.* 179.
Orca menſuræ genus, *p.* 118. *&* 478.
Ordinatio ſervi alieni illicita, *p.* 46. Item & bigamorum, *p.* 47. Extra Eccleſiam ab hæreticis facta etſi illicita, valida nihilominus eſt, *p.* 322. Statis temporibus facienda, *p.* 67. *& ſeq.*
Originalis peccati quæſtione in Sicilia orta S. Auguſtinum Hilarius Syracuſanus conſulit, *p.* 23. Super idem argumentum S. Auguſtinus reſpondet, *p.* 28. *& ſeqq.*
Ottonis Imp. I. promiſſio de reſtituendo patrimonio Siculo eccleſiæ Romanæ facta, *p.* 342.

P

PAlatini qui fuerint dicti, *pag.* 225. Pallium a S. Gregorio Meſſanenſi epiſcopo conceſſum, *p.* 172. Item Syracuſano, *p.* 173. Ac etiam Panormitano, *p.* 289. Ejus antiqua forma, *p.* 172.
Palmatiana genus veſtis eſt, opere plumario concinnata, *p.* 118.
S. Pancratius Tauromenii epiſcopus & martyr, *p.* 126. 406 *& ſeqq.* Meſſanæ ſub ejus nomine baſilica conſecratur, *p.* 126. Item & Lilybœi, *p.* 247. Ejus acta ſuſpecta ſatis, *p.* 316. Ejus epiſtola ad S. Marcianum, & altera S. Marciani ad ipſum S. Pancratium ſuppoſititiæ, *p.* 358. *& ſeq.*
Panormitana eccleſia Syracuſanæ olim ſubjecta, *p.* 341. 421. *& ſeq.* Nunc metropolis, *p.* 413. Paſtore viduata a Barbaro epiſcopo Beneventano viſitatur, *p.* 280. *& ſeq.*
Panormitani epiſcopi Victor & Johannes. *Vide in propriis eorum nominibus.*
Panormum Saraceni invadunt, *p.* 331. Celebris hujus urbis in beatam Mariam virginem cultus, *p.* 348. *& ſeqq.*
Parhippum qui exigere poterant, *p.* 16.
Paſchalis papæ I. epiſtola ad archiepiſcopum Panormitanum ſuppoſitionem redolet, *p.* 399.
Paſchaſinus Lilybœtanus epiſcopus bis a S. Leone de cyclo Paſchali conſultus, *p.* 43. Legatus ab eo conſtitutus ad celebrandam ſynodum contra Euthychen, *p.* 59.
Patriciatus dignitas, *p.* 93. Feminis quoque tributa, *p.* 150. 310. *&* 473. Patriciorum Siciliæ numerus, *p.* 472.
Patrimonium eccleſiæ Mediolanenſis in Sicilia, *p.* 78. *&* 125. Eccleſiæ Romanæ, *p.* 447. *& ſeqq.* Eccleſiæ Ravennatis, *p.* 48. 248. *&* 305.
Patrono ſeu fundatori eccleſiæ proceſſionis honor debetur, *p.* 127. Ta-

lis

lis honor in quo conſiſtat, *pag.* 127.
Paulinus Taurianenſis epiſcopus in Siciliam profugit, *p.* 108. Meſſanenſi monaſterio S. Theodori præponitur, *ibid.* & *p.* 109. Ad Liparitanam eccleſiam transfertur, *p.* 128. Viſitandi primam ſuam eccleſiam facultatem obtinet, *p.* 129.
Pauperum protectionem epiſcopi ſuſcipiant, *p.* 176.
Petrus ſubdiaconus, & rector patrimonii S. Petri in Sicilia, *p.* 98. 454. & *alibi paſſim.*
Photius pſeudo - patriarcha Theophani monacho Siculo ſcribit, *p.* 316. Item & Euthymio Catanenſi metropolitæ, *p.* 329. Gregorio pariter Syracuſano epiſcopo, *p.* 330. Ejus ordinatio ab eodem Gregorio facta illicita fuit, & ſacrilega, *p.* 319. & *ſeqq. uſque ad* 328.
S. Placidi & Soc. ejus acta ſuppoſitionem redolent, *p.* 378. Item & epiſtolæ de ejus paſſione ſcriptæ, *cit. p.* 378. & *ſeqq.*
Porphyrius Siculus diverſus a Porphyrio Tyrio, *p.* 19.
Poſſeſſio Meltinas, *p.* 45. & 439. Aſinaria, *p.* 211. Juliana, *p.* 287. Fajano, Naſoniano, & Libiniano, *p.* 208.
Poſſeſſores & defenſores Catanenſis civitatis, *p.* 79. Syracuſanæ civitatis, *p.* 82.
Præſcriptio triginta annorum in rebus Eccleſiæ admiſit Gelaſius, *p.* 74. Quadraginta annorum voluit S. Gregorius, *p.* 101.
Prætores Siciliæ, *p.* 466. Horum munus & auctoritas, *ibid.*
Prandia viſitantium epiſcoporum qualia eſſe debeant, *p.* 96. & *ſeq.*

Q

QUæſtor Conſtantinopolitanus ex Juſtiniani decreto appellationes e Sicilia porrectas ſuſcipiat adverſus ſententias prætoris, vel ducis, vel cujuſvis alterius judicis, *pag.* 91. & *ſeq.*

R

RAtionalis Siciliæ, *pag.* 20. & 465. Eufraxius, *p.* 4. Gerulus, *p.* 5. Callepius, *ibid.* Eorum munus, *p.* 465.
Ravennatis eccleſiæ patrimonium in Sicilia, *p.* 48. 248. & 305.
Rectores patrimonii eccleſiæ Romanæ in Sicilia, *p.* 454. & *ſeqq.* Eorum numerus, ordinatio, & poteſtas, *ibid.*
Reges barbari ſubditos quaſi ſervos habent, *p.* 238.
Reſidentiæ epiſcopalis diſciplina, *p.* 225. & *ſeq.*
Roberti ducis juramentum de ſolvendo canone Romanæ eccleſiæ propter Siciliam, *p.* 355. Item & fidelitatis ſervandæ, *p.* 356.
Rogerius comes an Siciliam acquiſierit pleno jure, *p.* 453.
Romam Siciliæ epiſcopi potius ad natale S. Petri, quam alio die veniant, *p.* 108. 122. & 182.
Romanæ eccleſiæ Sicilia feudum non eſt, *p.* 355.
Ruſticiana patricia, *p.* 254. 255. & 259.

S

SAbellii error, *pag.* 298.
Sabinus ſubdiaconus & rector patrimonii S. Petri in Sicilia, *p.* 215. 295. & 455.
Sabinianus defenſor civitatis Lilybœtanæ, *p.* 231.
Sacerdotis nomine & epiſcopi, & presbyteri veniunt, *p.* 284.
Salerius eccleſiæ notarius vel chartularius, *p.* 212. 261. 288. & 460.
Samaræi idem erant ac Judæi, *p.* 175. & 191.
Saraceni Panormum occupant, *p.* 331. Item & Syracuſas, *p.* 332. & *ſeqq.* Eorum in Græcos, & iſtorum in illos irruptio, *p.* 313. Cum Siculis inducias firmant, *p.* 314. Cultum Chriſtianæ religionis Siculis non interdixerunt, *p.* 248. 488. & *ſeqq.*
Sardicenſis ſynodi patres Julio papæ ſcribunt, ut Siculos de diſpoſitis in ipſa ſynodo erudiret, *p.* 6.
Sardicenſis pſeudo - ſynodi ad Donatum epiſtola de Syracuſano epiſcopo, *p.* 7.
Scandalum evitandum, *p.* 297.
Scholaſtici vox quid ſignificet, *p.* 100.
Scribones Siciliæ, *p.* 470. & *ſeq.* Eorum officium, mala fama, & numerus, *ibid.*
Secundinus epiſcopus Tauromenii de recuperandis eccleſiæ ſuæ bonis ſollicitus,

citus, *pag.* 124. Sincerum injuſte vexari non ſinat, *p.* 176. S. Gregorii homilias emendandas recipit, *p.* 143. Vir ſanctiſſimus, reverendiſſimus, ac ſacræ lectioni intentus, ab eodem S. Gregorio nominatur, *ibid.* Non patiatur Caſtellienſe monaſterium in laicorum poteſtatem venire, *p.* 195. Erga Leonis uxorem benignius agat, *p.* 233. Monaſterio S. Chriſtophori moleſtiam irrogari non patiatur, *p.* 234. Gregorium expræfectum commendatum recipiat, *p.* 244. Item & Adrianum patrimonii Siculi rectorem, *p.* 283. In cauſſa Doni epiſcopi Meſſanenſis cum Siſinnio defenſore judex exſiſtat, *p.* 187.
Servi alieni ordinatio illicita, *p.* 46. *&* 267.
Servus-Dei diaconus, *p.* 111. 115. *&* *alibi paſſim.*
Servus ſervorum Dei quando Romanus pontifex dici cœpit, *p.* 106.
Sextarius menſuræ genus, *p.* 110. *&* 479.
Sicilia a Vandalis capta, *p.* 43. Romanæ eccleſiæ feudum non eſt, *p.* 355. Francis imperatoribus numquam paruit, *p.* 398. Injuſtis exactionibus gravatur, *p.* 170. *&* 307. Ab apoſtolicis temporibus Chriſtianam religionem accepit, *p.* 405. *& ſeqq.* Sub Saracenis illam non amiſit, *p.* 480. *& ſeqq.* Ejus lacrymabilis ſtatus ævo S. Gregorii, *p.* 155. Ante nonum ſeculum nullum metropolitam, niſi Romanum pontificem habuit, *p.* 413. *& ſeqq.*
Siculi epiſcopi Romam primum bis in anno celebrandæ ſynodi cauſſa navigare debebant, deinde ſemel in anno, poſtea ſemel in quinquennio, *p.* 58. 182. *&* 416. Primum in die anniverſaria ordinationis pontificis, inde in natali die S. Petri, *p.* 108. 122. *&* 182. Litteras ad Orientales patres mittunt, & viciſſim recipiunt, *p.* 14. *&* 17. Eorum electio, *p.* 166. 167. *&* 281. Conſecratio, *p.* 415. *& ſeq.* Eorum concilia, *Vide*, Concilium Sicilienſe.
Sigillum principis bonis defuncti apponi ſolitum, *p.* 255.
S. Simeonis Syracuſani ſollemnis canonizatio, *p.* 343. *& ſeqq.*
Simoniaci ab officio deponendi, *p.* 71.
Siſinnius Meſſanenſis eccleſiæ defenſor, *p.* 187.
Siſinnius patrimonii Ravennatis eccleſiæ in Sicilia curator, *p.* 48. *& ſeqq.*
Sitonicum idem ac horreum publicum, *p.* 100. *&* 274.
Solidi uſus in Sicilia, & ejus valor, *p.* 476.
Spectabiles qui dicebantur, *p.* 96.
Stephanus chartularius marinarum partium Siciliæ, *p.* 130. *&* 140.
Strategi Siciliæ, *p.* 471.
Subdiaconorum Siciliæ cœlibatus quo tempore, & quo auctore incœpit, *p.* 114. *&* 158.
Symmachus præfectus Urbis Flaviano fratri de vulneratis Siculorum cauſſis ſcribit, *p.* 18.
Syndacorum pro litibus monachorum inſtitutio, *p.* 120.
Syracuſæ urbs caput Siciliæ nominata, *p.* 464. Duos habebat portus, *p.* 334. A Saracenis invaſa, *p.* 331. *& ſeqq.* In ea condita lex ab Juliano de reformatione curſus publici, *pag.* 10. Ibi reſidebat procurator Baphii, *p.* 21. *&* 465. Ejuſdem urbis poſſeſſores & defenſores, *p.* 82. Ejus comitiva, *p.* 77.
Syracuſanus epiſcopus Chreſtus, *p.* 2. Chreſtus alter, *ibid.* Gregorius, *p.* 306. Germanus, *p.* 7. Gregorius, *p.* 319. *& ſeqq.* Johannes, *p.* 165. *& alibi paſſim.* Iſaac, *p.* 295. S. Marcianus, *p.* 2. 358. 359. 406. *& ſeqq.* S. Maximianus, *p.* 127. Theodorus, *p.* 321.
Syracuſani epiſcopi electionem faciant cives, *p.* 166. Ejuſdem epiſcopi ordinationem ſibi reſtitui petit Nicolaus papa I. *p.* 318. *Vide præterea*, Johannes, *&*, Maximianus.
Syracuſana eccleſia ab initio non fuit metropolis, *p.* 417. *& ſeq.* Bene tamen poſt tempora Leonis Iſaurici, *p.* 421. Plures eccleſias ſuffraganeas habuit, *p.* 341. 421. *& ſeq.* Hodie Monte-Regalenſi ſubjacet, *p.* 413.

T

TAbularius idem erat ac diſpenſator redituum clericorum, *pag.* 290.
Talentum Siculum, *p.* 475.
Talitanus patrimonii publici curator, *p.* 249.
Tauromenitana eccleſia ante nonum ſæculum non fuit metropolis, *p.* 420.

Ad

Ad archiepiſcopalem dignitatem poſt tempora Leonis Iſaurici evecta, *pag.* 421. & 422. Syracuſanæ ſubjacet, *pag.* 341. 421. & *ſeq.* Troinenſi unitur, *p.* 149. Meſſanenſi tribuitur, *ibid.* Ejus bona ab actionariis eccleſiæ Romanæ invaſa reſtituantur, *p.* 124. Item & ea quæ epiſcopus diſſipaverat, *p.* 373. & *ſeq.*
Tauromenitanus epiſcopus S. Pancratius, *p.* 126. 247. 316. 358. & *ſeq.* 406. & *ſeqq.* Rogatus, *p.* 124. Victorinus, *ibid.* Juſtus, *p.* 125. Secundinus, *p.* 124. & *alibi paſſim.* Zacharias, *p.* 326. & 328. Gregorius Cerameus, *p.* 408. 410. & 422. Theophanes. *Vide*, Theophanes.
Taurus præfectus Prætorio, *p.* 9.
Tertulli patricii donatio de rebus Siculis S. Benedicto facta ſuppoſititia eſt, *p.* 374. & *ſeqq.*
Tertyllus Siciliæ gubernator, *p.* 365.
Teſtamentum, illæſis eccleſiæ bonis condere poſſunt epiſcopi, *p.* 159. & 167.
S. Theclæ virginis Leontinæ epiſtola ad Romanum pontificem ſuſpecta, *p.* 366.
Theodorus archiepiſcopus Syracuſanus, *p.* 321.
Theodorus epiſcopus Lilybœtanus, *p.* 145. 167. & 231.
Theodoſius monachus Syracuſanæ cladis ſcriptor diſertiſſimus, *p.* 332. & *ſeqq.*
Theophanes Cerameus Tauromenii archiepiſcopus, *p.* 316. 410. & 422. Diverſus a Theophane monacho, cui ſcripſit Photius, *p.* 316.
Thermarum epiſcopus Syracuſano ſubjectus, *p.* 341. & 421.
Tonſurati ſub rectoris poteſtate, *p.* 135. Nomen defenſorum non ſumant, *p.* 216.
Trajanus Melitenſis epiſcopus, *p.* 129. 218. 223. & 283.
Translatio clerici ad alienam eccleſiam inconſulto proprio epiſcopo fieri prohibita, *p.* 174. Item & monachi, *p.* 160. & 224.
Trecalitana eccleſia olim epiſcopalis, Syracuſanæ ſubjecta, *p.* 341. & 422.
Trecalitanus epiſcopus Petrus Agrigentinæ eccleſiæ viſitator inſtituitur, *p.* 164. De Lucuſiani monaſterii pecunia quadraginta ſolidos accipiat, *p.* 261.
Tremiſſis nummi genus, *p.* 476.
Tributa a religioſis locis exigi præcipit S. Gregorius, *pag.* 230.
Trium provinciarum nomine Siciliæ, Sardinia, & Corſica veniebant, *p.* 4. 5. & 20.
Tunica S. Johannis e Sicilia Romam translata, *p.* 140.
Tyndaritanus epiſcopus Eutychius, *p.* 151. Severinus, *ibid.* Theodorus, *ibid.* Benenatus, *p.* 152. & 219. Syracuſano olim ſubjectus, *p.* 341. 421. & *ſeq.*
Tyrones Siciliæ tricenis ſolidis æſtimati, *p.* 22.

V

Valeriani aſſeſſoris Licinii epiſtolæ de SS. MM. Alphio, Philadelpho, & Cyrino ſuppoſititiæ ſunt, *pag.* 364. & 365.
Vandali Siciliam occupant, *p.* 43. & 76.
Velum denegandum ſanctimonialibus ſexaginta annis minoribus, *p.* 154. Viduis per manus epiſcopi non detur, *p.* 68. Quibus anni diebus virginibus ſit dandum, *ibid.*
Venantius exmonachus patricius Syracuſanus, *p.* 104. 178. & *alibi paſſim.*
Venantius patricius Panormitanus, *p.* 268. 275. & 282.
Veſtem albam baptizati induant, *p.* 193.
Victor epiſcopus Panormitanus Romam venire juſſus, *p.* 123. Accuſatus, ſed non convictus, *p.* 142. Gregorium abbatem monaſterio ſuo reſtituat, *p.* 161. Pro monaſterio S. Hermæ presbyterum ordinet, *p.* 178. Item & pro monaſterio Præcoritano, *p.* 220. Judæos injuſte non vexet, *p.* 293. Iis pretium pro ablatis ſynagogis reſtituat, *p.* 212. Electioni abbatis monaſterii Lucuſiani interveniat, *p.* 260. Litem cum Maurentio finiat, *p.* 268.
Victor Syracuſanæ provinciæ cenſitor, *p.* 83. & 84.
Victoria a Fantino diligenter examinetur, *p.* 161.
Viduæ clericorum aliis non nubant, *p.* 158. & 294. Per manus epiſcopi non velentur, *p.* 68.
Vigilio papæ ab Juſtiniano, & Juſtiniano a Vigilio, ipſique Vigilio a Gordiano monacho ſcriptæ epiſtolæ de martyrio S. Placidi ſuppoſititiæ ſunt, *p.* 383. & *ſeqq.*
Virgines quo tempore velabantur. *Vide*, Velum.
Vi-

Viſitandi vacantes eccleſias diſciplina in Sicilia obſervari ſolita, *pag.* 410.

Vitalianus papa Georgio epiſcopo Syracuſano Johannem epiſcopum Lappenſem commendat, *p.* 306. Ejus ad monachos Siculos epiſtola ſuppoſititia eſt, *p.* 397.

Vitigiſclus Syracuſanæ provinciæ cenſitor, *p.* 83. *& ſeq.*

Vitus defenſor eccleſiæ Romanæ in Sicilia inſtituitur, *p.* 257. Romano commendatur, *ibid.*

Uncia, & ejus valor in Sicilia, *p.* 477.

Urbicus abbas Gregoriani monaſterio in urbe Panormi, *p.* 162. *&* 262. De incoſtantia a S. Gregorio arguitur, *p.* 260. Præ humilitate Panormitanum epiſcopum eligi recuſat, *p.* 282. Presbyterum pro monaſterio ſuo ordinari petit, *p.* 178. Agathonem in monaſterio ſuſcipiat, *p.* 180.

Urſus Ravennatis epiſcopus natione Siculus non fuit, *p.* 47.

Uſura laicis ſimul & clericis interdicta, *pag.* 47.

X

XEnia a rectore patrimonii S. Petri in Sicilia ſæcularibus magiſtraticus dari mandat S. Gregorius, *pag.* 134.

Xenodochium de Via-Nova, *p.* 115. Valerii in urbe Roma, *p.* 208. Sancti Theodori Panormi, *p.* 227. *&* 269. Aliud Panormi ſumptibus ſuis conſtrui ordinat Iſidorus, *p.* 269.

Z

ZAcharias Tauromenii archiepiſcopus, *pag.* 420. *&* 422. Photii pſeudo-Patriarchæ legatione ad Romanum pontificem fungitur, *p.* 326. Item & Gregorii Syracuſani metropolitæ, *ibid. & p.* 328.

Zenofilus corrector Siciliæ, *p.* 461.

Zephyrini papæ ad epiſcopos Siciliæ epiſtola ſuppoſitionem redolet, *pag.* 362.

FINIS.

AUCTORIS AD LECTOREM
admonitio.

QUum mihi ante Codicis hujus Diplomatici publicationem plura alia monumenta ad rem facientia præ manibus habere , illaque expendere , ac lucubrationes haſce meas commodius recognoſcere licuerit , ut ipſæ qualescunque demum ſint , perfectiores , atque caſtigatiores in lucem prodeant , aliqua ex iis delere , aliqua mutare atque ſupplere neceſſarium omnino exiſtimavi . Igitur :

Pag. 7. lin. 5. *Dele hæc verba* . Eorum prius ſectæ perditiſſime addictus , ab hæreſi reſipuerit ; *Et lege* . Quam in Marcellum protulerat ſententiam non inde confirmaverit .

Pag. 11. in not. col. 2. lin. 9. *Dele hæc verba*. Evagrium hunc Acacianum, &c. *uſque ad finem* . *Et lege* . Evagrium hunc Pyrrhus Siculorum Epiſcoporum catalogum texens , non memorat, vel quia ei minime occurrit , vel quia canonice electum non æxiſtimavit . Certe Pyrrhum , & quemquam alium offendere non debuit, quod ex Acacianis Arii fautoribus magna ex parte coactum ſit Antiochenum Concilium , cui interfuit Evagrius ; ut enim ex hac Epiſtola diſcimus, nihil in hoc Concilio contra Fidem geſtum eſt , & plures Orthodoxi Epiſcopi ei ſubſcripſerunt , inter quos S. Meletius Antiochenus, & S. Euſebius Samoſatenus.

Pag. 49. in not. col. 2. lin. 8. *poſt verba* non poteſt; *dele*. Octavius Cajetanus *uſque ad*. collatum . Aſt . *Et lege* . Quamvis Octavius Cajetanus , aliique , e Scriptoribus noſtris S. Urſum Ravennatem Antiſtitem natione Siculum tradentes, ab eo putent patrimonium Siculum Eccleſiæ Ravennati ab eodem, ut conſtat, ædificatæ fuiſſe collatum : quæ ſane conjectura a patria deſumpta non parvifacienda . Ab Urſo etiam opinantur, cultum Sanctorum noſtrorum, Agathæ , Luciæ , & Euplii in Ravennatem Eccleſiam promanaſſe . Equidem Agnellus antiquus & gravis ſcriptor in vita S. Petri XVII. narrat ipſum S. Petrum , omneſque retro Epiſcopos uſque ad S. Apollinarem a partibus Syriæ veniſſe ; at veroſimile nobis non videtur, tot Præſules ex una Syriæ provincia omnes continua ſucceſſione originem duxiſſe . Eo vel maxime quod ut plurimum eorum nomina latina omnino ſint , quod etiam aperte fatetur ejuſdem Agnelli illuſtrator Bacchinus . Cæterum Urſus S. Baſſiano Syracuſano Laudenſi Epiſcopo ex hujus Actis affinitatis vinculo conjunctus fuit , eumque Siculum exhibent monumenta Eccleſiæ Ravennatis , quæ vidit & illuſtravit Rubeus in Ravenn. Hiſtor.

Pag. 117. in not. col. 2. lin. 2. *Dele hæc verba :* Verum a Mariniano *uſque ad finem notæ*. *Et ſupple* . Marinianus Monacus ab Epiſcopo Ravennate diverſus plerisque videtur , eo quod S. Gregorius poſt datas de Urbico Abbate , & Ravennenſi Mariniano Epiſtolas iterum Mariniano Abbati, ſcripſerit hic Dip. 231. nimirum Panormitano noſtro , ut obſervant Socii Bollandiani die 23. Aprilis de S. Georgio § 4. n.37. Verum Pyrrhus , & Mabillonius opinantur Epiſtolam illam , quæ ceteroqui Indictione caret , nec in omnibus Codicibus eandem ſedem obtinet , extrà verum ordinem reperiri , atque ad ſuperiorem locum , ideſt ante illas Urbicum Abbatem , & Marinianum Epiſcopum Ravennenſem commemorantes ſubſtolli debere. Addimus ex Gregorianis Epiſtolis Maximianum Epiſcopum nec Ravennatem , nec ex Ravennenſi provincia oriundum fuiſſe , at alienigenam & Monachum , ac D. Gregorio olim ſodalem . Quæ omnia Mariniano Abbati qui forſitan Romæ Gregorio ipſi amicitia & familiaritate cum S. Maximiano deinde Syracuſano Epiſcopo conjunctus fuerit , bene aptari poſſent . Rem tamen doctioribus definiendam relinquimus : ceteroqui tanti momenti non eſt ut in ea diſcutienda diutius immoremur.

Pag. 135. in not. col. 1. lin. 9. *Poſt vocem* ; prohibui . *Adde*. Hoc tamen non impedit,

dit, quominus hujuſmodi Monaſterium Gregorianum quoque dici poſſit, ſed diverſum a ſex illis, quæ S. Gregorius ante initum Pontificatum conſtruxerat; idque ſuadet magna ipſius S. Gregorii de hoc conſtruendo Monaſterio ſollicitudo, & de erogandis expenſis permiſſio.

Pag. 142. lin. 2. *Dele hæc verba*. Victorem Epiſcopum. *Et lege*. Bonifacium virum clariſſimum.

Pag. ead. in not. col. 2. *Dele hæc verba*. Quod Victor, *& reliqua uſque ad finem*.

Pag. 155. in not. col. 1. lin. 12. *Dele hæc verba*. De Siciliæ ſtatu; *cum reliquis uſque ad finem notæ*. *Et lege*. De Siciliæ ſtatu conqueritur S. Gregorius, utpote qui immediatus Metropolita Siciliæ erat, & omnium gravamina, oppreſſis ex animo auxiliaturus, ſuſcipiebat. Jam enim accuſationes ſane quamplures, ſed partim veræ, partim falſæ, ad eum venerant, ac magis atque magis veniebant: hinc S. Gregorius, urgentibus tunc hoſtium invaſionibus, eo Apoſtolico zelo, qui tantum Pontificem decebat, Siciliam tot tantisque diſſidiis perturbatam, brevi perituram prædixit. Et quidem non in caſſum cecidit admonitio, quoniam Sicilia in meliorem, ut par erat, diſciplinam converſa, tentatam invaſionem non ſubiit, & inacceſſa Sclavinis remanſit. Conſule quæ dabimus in notis ad Dipl. CCXXVIII. Interim cave ſuſpiceris, Siciliam tunc temporis juſtitiæ pietati ac religioni minus fervide ſtuduiſſe. Plures enim illius ævi Sanctos nobis prodit antiquitas, Maximianum, Johannem, Iſidorum, & Gregorium Epiſcopos, Fauſtumque Abbatem, ne memorem quos ſub tantis præſulibus pietatis cultores clarere debuiſſe, nulli dubium eſt.

Pag. 180. in not. col. 2. lin. 10. *Dele*. Porro Agathonem Papam ut ſuum veneratur & colit Panormitana noſtra Eccleſia, hæc in ſuo Martyrologio die 9. Julii adjiciens verba. *Et lege*. Quomodocumque res ſe habeat, non propterea Agathonem Papam noſtræ Panormitanæ Eccleſiæ denegamus, quæ multis Scriptoribus ſuffragantibus, illum ut ſuum veneratur, & colit; atque de eo ita habet in Martyrologio.

Pag. 341. lin. 1. *Dele* 292. *Et ſupple* 19. *ac Diploma ipſum cum ſua nota e Codice transfer in Appendicem, coordinatis & aptatis conſequenter utrobique numeris ſequentium Diplomatum.*

Pag. ead. in not. col. 2. lin. 37. *Poſt vocem*. Baſiludii. *Adde*. Monumenta hæc pro Græcorum more notitiam ſeſquipedalem turgidam atque inflatam exhibent: quum inter civitates Syracuſano Primati ſubjectas loca plurima recenſeant, partim ſemper deſerta, partim epiſcopali dignitate numquam donata. Non ergo ipſis fidendum. Fortius quod capitulum Diſpoſitionis a Leone confectæ ad Siciliam pertinens in antiquioribus Codicibus, ac in Bibliotheca Byzantina non habeatur, & in recenſioribus quaſi aſſutum in fine legatur.

Pag. 399. in not. col. 1. *Dele*. Hanc Epiſtolam &c. *uſque ad finem notæ*. *Et lege*. Epiſtolam hanc nec a Paſchali Papa I. nec ad Panormitanum noſtrum Antiſtitem ſcriptam fuiſſe conſentiunt Viri eruditiſſimi, Philippus Labbeus t. 12. Conciliorum col. 970. & Joſeph Cantelius Metropol. Urb. Hiſt. pag. 446. & 447. qui ad Polonum Archiepiſcopum ſpectare autumat. Viſa hac admonitione neminem fore confido, qui Epiſtolam hanc, alioquin doctiſſimorum Virorum judicio uti Paſchalis primi ad Antiſtitem Panormitanum defenſam in Appendicem merito rejectam non dixerit: quum non falſas tantum, ſed dubia quoque & incertas ex priori claſſe extruſas nos voluiſſe dixerimus, pag. 357.

Pag. 413. lin. 4. *Poſt verba*. Etſi hunc. *Adde*. ut inquit Pyrrhus: *in tanta rerum antiquitate poſt tot Siciliæ clades & bellorum incendia*.

Ibid. lin. 6. *Dele*. Pyrrhus. *Et lege*. Idem celebris Auctor.

Pag. 413. lin. 29. *Dele hæc verba*. Quando plane conſtat: *uſque ad*. abſque ſuffraganeis. *Et lege*. Ab initio autem ad ætatem uſque Imperatoris Leonis Iſaurici, hujus Regni Epiſcopatus Romano Pontifici immediate ſubjecti, proprium non agnoverunt Metropolitam: poſtea vero mutato in pejus Eccleſiæ Siculæ ſtatu, tempore Photii Syracuſanus Metropolita inſtitutus eſt, atque Catanenſis, ſed hic abſque ſuffraganeis.

Pag. 418. lin. 31. *Dele hæc verba*. Atque in primis, *uſque ad*. nec majeſtate vincebat

cebat . *Et adde* . Quamvis enim Panormitana Urbs & inter Phenicias primum celeberrima, poſtmodum etiam teſte Polibio inter Cartaginenſes Princeps, Romanis imperantibus Reſpublica, Colonia Romana Auguſta decorata, Wandalorum quoque tempore ſedes Regum fuerit ; Attamen Eccleſiaſtica politia ad civilis formam non recte reducitur ; Et ſane Primas Angliæ, non Londini ſedet ; quod idem aliis exemplis etiam poſſet confirmari .

Pag. 419. lin. 15. *Dele hæc verba.* Gregorii VII. Diploma *per totam* lin. 22. *Et adde* . Argumentum ex Diplomate Gregorii VII. petitum , etſi præ quatuor præcedentibus aliis firmius ſit, at noſtræ tamen opinioni haudquaquam adverſatur . Non enim illuſtrandæ priori ætati ſufficiens eſt, ſed recentioribus tantum temporibus . Et ſane Panormum circa tempora Saracenicæ irruptionis Metropolim Eccleſiaſticam jam fuiſſe, dubitare non ſinunt præſtantiſſima teſtimonia Gaufredi Malaterra illius temporis Scriptoris, ipſius ejusdem Gregorii VII. & Capitulorum confraternitatis S. Mariæ Naupactiteſſæ, hic Dipl. CCXVIII.

Pag. 425. lin. 18. *Dele hæc verba* . Poſſem & forſitan deberem ex hiſtoria S. Placidi ab ipſo S. Benedicto Aſceterii magiſtro circa annum 534. una cum ſociis in Siciliam miſſi rem confirmare, niſi hujuſce hiſtoriæ fidem ; *Et lege* . Hiſtoria S. Placidi illum perhibet ab ipſo S. Benedicto Aſceterii magiſtro circa annum 534. una cum ſociis in Siciliam miſſum . Plurima vero alia ex hujus Martyris Actis de Monachis in Sicilia poſſem recenſere , niſi illorum fidem , ſalva tamen facti ſubſtantia , quam ex antiquis martyrologiis, aliisque veteribus monumentis adſtruit.

Pag. ead. lin. 34. *Dele hæc verba* : Utut res ſe habeat circa Benedictinorum in Siciliam adventum; *Et lege* . Ceterum, *&c.*

Pag. ead. in margine lin. 7. *Dele hæc verba* . Benedictinorum Monachorum expeditio in Siciliam ſuſpecta .

Pag. 431. lin. 28. *Dele hæc verba* . Cui abſque majori delectu , *uſque ad finem Paragraphi* , *&* *adde* : Cui adhæret Annalium Benedictinorum ſcriptor Johannes Mabillonius, ac nuper edita luculentiſſima diſſertatione eruditiſſimus, ac patriarum rerum indagator diligentiſſimus Antonius Mongitorius . Equidem Monaſterium S. Hermæ idem S. Gregorius clariſſime ſuum vocat . Inſuper de Monaſterio quod vocat ipſe Cellam-Fratrum ſummopere optat dedicari Oratorium, ut cœpta , inquit , *noſtra operante Domino* , *debeant conſummari* : ac ſumptus pro dedicationis ſolemnitate ſubminiſtrat . Quo ad Prætorianum inſtat Diploma LXXXVI. ut conſtruatur de expenſis & annona Eccleſiaſtica . Quamvis , ut verum fatear , hæc duo Monaſteria ex Diplomatibus Gregorio potius Pontifici , quam Prætori videntur attribuenda . De reliquiis autem non deſunt conjecturæ non contemnendæ majorum & jam traditione roboratæ ; præſertim quod Silvia Gregorii mater Panormi primam lucem aſpexerit .

Quoniam vero ſparſim in toto hoc Codice aliqua forſan leguntur hujuſcemodi correctioni contraria , aut ſaltem non conſonantia , nec commode mutari poterant : nihilominus ad iſtius normam & ipſa etiam redacta , ac reformata intelligantur.

30 tt

SPECIAL 88-B
FOLIO 3337

THE GETTY CENTER
LIBRARY